SCRIPTA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

WITHDRAWN

PSALTERIUM

EX HEBRAEO LATINUM

AUCTORE

FRANCISCO ZORELL, S. I.

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

ROMAE
SUMPTIBUS PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI
—
1928

PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM

Conceditur facultas edendi scriptum cui titulus *" Psalterium ex hebraeo latinum „*.

Romae, 10 Decembris 1927.

Iosephus Filograssi, S. I.

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen. Vicesger.

Roma — Typographia Campitelli — Via Orazio Coclite N. 50 A

PROLEGOMENA

PROLEGOMENA

§ 1. De libro psalmorum.

Ex omnibus sacrae Scripturae libris semper Ecclesiae imprimis carus fuit liber psalmorum. Hoc evidenter demonstratur cotidiano ac perpetuo huius libri usu, creberrima eius citatione, multifaria laude eximia ei a viris sanctis doctisque tributa, immensa codicum eius copia manu scriptorum editionumque typis impressarum, versionum quoque omnium gentium linguis paratarum, ac commentariorum sive scientiae sive pietati inservientium multitudine.

Iure merito liber psalmorum ita amatur. Ceteri enim libri sacri nobis de Deo narrant nosque ad finem supernaturalem utilissime instruunt, monent, provehunt; verum psalterio a se inspirato et per Synagogam Ecclesiae transmisso Spiritus Sanctus nos directe ad Deum digne colendum, laudandum, invocandum erudit ac veluti manu ducit. Hoc volumine, quo modo et qua mente maiestas divina a nobis honorari atque exorari velit, instruimur, non praeceptis regulisve theoreticis datis, sed ipsis verbis, laudibus, precibusque quibus utamur nobis divinitus suggestis. Huiusmodi igitur orationibus si utimur, ab eo ipso nobis oblatis, quem precamur, quomodo dubitare possumus, quin ei satisfaciamus ac benigne ab eo audiamur? Verissime hic " Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus „ (Rom. 8, 26).

Iste libellus, utpote divinitus pro hominibus factus, mirum in modum fini suo nostraeque indoli congruit. Pro omnibus enim mortalium erga Numen officiis, pro cunctis vitae humanae,

tam privatae quam publicae, condicionibus, pro variis, quibus mens hominis ad Deum versus fertur, affectibus ibi aptae preces reperiuntur. Iusti, pii, sancti in eo sua animi sensa enuntiata habent; nec vero minus peccatores adaptata suae condicioni verba, quibus numen a se offensum placent, ex eodem fonte hauriunt. Liber psalmorum ex una parte est tam simplex, ut animae humiles et scientiae altioris rudes sibi conveniens in eo inveniant pabulum; idem ex altera parte tam grandis est et sublimis, ut summa ingenia per tam multa iam saecula ad eum noscitandam, permeditandum, dilucidandum vires contulerint et in eius copia exhaurienda defecerint. Sane de illo quoque dici potest: " infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei „ (Sap. 7, 14). Quis vero numerare poterit fructus pietatis, gratiae supernae lumina, iubila sanctorum, solacia piorum, salutares stimulos peccatorum, lacrimas paenitentium, universa denique mentium devotarum sensa et desideria, dum psalmos devote recitant, per Dei gratiam excitata? Numquam igitur profecto satis Deo gratias agere pro tanto dono poterimus.

Antiquam hanc *psalmorum admirationem*, quam in Ecclesia semper exstitisse constat, huiusque salubris gratiarum fontis sitim apud fideles *ad novam vitam excitavit Pius papa X*, sanctae memoriae, usu psalmorum in Ecclesiae latinae liturgia per bullam " Divino afflatu „ (kal. Nov. 1911) reformato. Quamobrem inde ab illo tempore huic divino psalterii libro pene " ex omni natione quae sub caelo est „ recentes exstiterunt laudatores, interpretes, commentatores, ad magnum sane Ecclesiae emolumentum.

§ 2. De vulgati psalterii latini origine et indole.

Iudaei, cum ultimis saeculis ante Christum natum extra Palaestinam per orbem terrarum dispergerentur — certe etiam hoc providente Deo, ut gentiles ad veritatem et gratiam per Christum accipiendam paulatim praepararentur —, secum extulerunt summum thesaurum, sacros libros. Quos mox, sive quia ipsi sermoni patrio desuescebant et graeco exinde utebantur, sive quia proselyti divinas scripturas noscere ac lectitare avebant, paulatim in Aegypto inde a regno Ptolemaei II Philadelphi (285–246 a. Chr. n.) et deinceps in idioma graecum transtulerunt tunc omnibus fere nationibus cultis notum ac familiare. Certe *circa annum 130 a. Chr. n. totius Veteris Testamenti hebraici versio graeca exstabat*,

non ab uno interprete facta, sed a multis elaborata, melius vel imperfectius pro diversa singulorum indole.

Item *post Christum natum*, cum religio christiana per eas regiones disseminaretur, quibus, in vita quidem publica et civili, in usu erat lingua latina, *iidem libri sacri pedetentim ex graeco in latinum conversi sunt.* Quo factum est ut iam saeculo secundo currente psalmorum quoque libellus per orbem romanum legeretur atque in coetibus sacris cantaretur tam latine quam graece.

Id *psalterium latinum*, quo Ecclesia romana in officiis liturgicis, praesertim in " breviario „ quod vocant, utitur, *est graecorum psalmorum*, quos modo commemoravimus, *versio pene litteralis* iam primis aerae christianae saeculis confecta atque a S. Hieronymo in nonnullis locis secundum textum hexaplarem Origenis leviter correcta. Ex hac sua origine psalterii nostri latini indoles, proprietas et, ut ita dicam, color facile intellegitur. Etenim graecae versionis auctor evidenter volebat textum psalmorum primitivum ad litteram fideliter imitari, etsi tali modo saepe verba graeca sensum poëtae hebraei haud satis clare exhibebant ac nonnunquam nova obscuritate velabant. Cum enim in omni genere traductionis verborum ex una lingua in aliam difficile sit a genuino sensu primi auctoris non deficere, difficilior est interpretatio sermonis semitici per linguas ab illo tantopere differentes. Multo vero magis ardua erat versio poëmatum gentis peregrinae, de quorum origine, occasione, forma, particulari scopo interpreti pene nihil notum erat. Quare, cum illa aetate ars interpretandi sermonem peregrinum nondum multum exculta esset (per frequentes exinde sacrarum litterarum versiones ea ars plurimum profectura erat), cum interpretes ad tale opus bene praeparati certe exsisterent pauci, cum poëtica Hebraeorum dictio, a simplici prosa ceterorum librorum satis multum discrepans, vocabulorum rarorum usu, sensus ambiguitate, ab una idea ad aliam subitaneo transitu, argumenti obscuritate interpreti graeco haud pauca proponeret aenigmata : certe *non est mirum, quod libri sacri poëtici, atque inter eos psalmi, imperfectius sunt sermone graeco (posteaque latino) expressi.* Nihilominus ipsa harum versionum exilitas et color semiticus egregium est testimonium fidelitatis sincerae interpretum : malebant enim in eloquendo textu sacri libri peregrini deficere opusque praebere propter stili locutionisque imperfectionem vituperabile, quam pro obscurioribus verbis poëtarum sacrorum substituere clariora, vel pro humilibus elegantiora sua.

Quod etiam psalmi, quotidianae hae preces Ecclesiae divinitus acceptae, hoc modo ab antiquis in graecum latinumque versi sint et tales, quales tempore S. Hieronymi exstiterunt, semper deinde conservati, id hodie quidem multis displicet, sed evidenter a veteribus hoc incommodum minus sentiebatur. Etenim, cum proselyti et primi christiani, modo ab idololatria ad cognitionem unius veri Dei conversi, magno horum carminum sacrorum, a Deo — ut docebantur — poëtis VT[i] inspiratorum, desiderio flagrarent, prima quaeque eorum versio avide ab iis arripiebatur, quamvis imperfecte sonaret, et in cultu liturgico ac privato usurpabatur. Cum vero deinde his psalmis canendis, ex quibus aspirante gratia Dei tantum luminis et solacii hauriebant, assuevissent, melioris aut elegantioris versionis desiderium vix in eorum animis oriebatur. Etiam optima ingenia virique litteris apprime exculti ac certo a teneris meliori dictioni graecae vel latinae assueti (Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus), ut ex eorum operibus elucet, suo tum psalterio bene contenti videntur fuisse nec exoptasse aliud melius. Quin etiam, cum S. Hieronymus ex hebraeo meliorem versionem adornasset, ut haec pro veteri in ecclesia usurparetur obtineri non potuit, atque, ut videtur, ne ipse quidem exspectavit.

Vetus igitur psalterium, tam graecum quam, utpote illius fidelis imago, nostrum latinum, *nonnullis velut spinis horret*, quibus nos, cum sacrorum carminum flores fructusque carpere cupimus, cotidie quasi pungimur. Multis quidem sermonis hebraici proprietatibus, etiamsi in versione retinentur, facile assuescimus neque illis in recte intellegendo et devote precando impedimur. Tolerabiles hebraismi huiusmodi sunt ex. gr. frequens copulae (*est*, *sunt*, etc.) omissio, crebra sententiarum logice inter se subordinandarum coordinatio, quidam dicendi modi a sermone latino alieni, ut " quaerere alicuius animam, cornu salutis, filius hominis, lumen vultus (= serena facies) „ et huiusmodi plura. Immo tales loquendi modi devotionem eatenus promovent, quatenus iis lectis oblivisci non sinimur, nos recitare verba prophetae populi electi Israël, nos peregrinos et hospites admissos esse ad civitatem Dei cum filiis Abraham.

Aliae vero linguae hebraicae proprietates, in versione graeca latinaque retentae, nos magis turbant. *a*) Haud pauca vocabula hebraica sunt plurifariae significationis, erantque in versione genuine latina diversis pro vario contextu vocibus latinis expri-

menda ; sed illi primi interpretes malebant pro una eademque voce hebraica semper idem vocabulum substituere (1). — *b*) Gravius est quod iidem modorum seu temporum verbi hebraici multifariam significationem haud satis perspexisse aut ad eam in interpretando parum attendisse videntur, ita ut tempora verbi graeci ac latini saepe sensum verbi hebraici obscurent (2). —

(1) Exempli gratia : **a** verbum *šafâṭ* semper vertebant in κρίνειν, *iudicare*, cum passim etiam significet *alicuius iura tueri*, alicuius *curam gerere*, populum *gubernare*. Hinc legimus : *iudica me Deus !* i. e. ius meum tuere, 43, 1 ; 54, 3 ; *iudex viduarum*, tutor, 68, 6 ; *erudimini, qui iudicatis*, gubernatis, *terram* 2, 10. — Nomen correspondens *mišpâṭ* vertitur κρίσις, κρίμα, *iudicium*, etiam ubi *iuris tuitionem, iustitiam, ius gubernandi, legem, morem* indicat : *diligit iustitiam et iudicium*, ius 33, 5 ; *Deus iudicium tuum*, populi regendi potestatem, *regi da* 72, 2 ; *in iudiciis meis*, in praeceptis meis, *non ambulabunt*, 89, 31 ; *facit iudicium*, ut defensor subvenit, *iniuriam patientibus* 146, 7.

b Nomine *ĕmèt*, quod constanter per ἀλήθεια, *veritas* vertitur, saepe significat *fidem, fidelitatem, omni fiduciâ dignam clementiam ;* hinc : *sicut iurasti David in veritate*, fidelitate, *tua*, 89, 50 ; *veritas*, fidelitas, *mea et misericordia mea cum ipso* 89, 25.

c *nèfeš*, cui semper ψυχή, *anima* correspondet, passim dicitur pro *vita, ciborum appetitu*, animi *furore ;* ex. gr. : *nequando rapiat ut leo animam meam*, i. e. vitam 7, 3 ; *ut peterent escas animabus suis* 78, 18 ; *non tradas eum in animam*, furori, *inimicorum eius* 41, 3.

d Particula *kî* (ὅτι, *quoniam, quia*) passim melius explicanda erat per voces *nam, si, quando, profecto, quod* (que, dass) ; — *wĕ-* (καί, *et*) saepe dicitur pro *sed, igitur, dum, quamquam ;* — magis mirum est quod particulam *gàm* (*etiam, etsi*) passim per καὶ γάρ, *etenim* transtulerunt, unde legitur : *etenim*, etiam, *Assur venit cum illis* 83, 9 ; *etenim*, etsi, *sederunt principes*, 119, 23 ; confitebuntur caeli mirabilia tua, Dñe : *etenim* veritatem tuam in ecclesia sanctorum, 89, 6.

(2) Cum sermo hebraicus verbi tempora modosque nostrarum linguarum vix clare indicet, sed eorum loco paucas formas multifariae significationis usurpet, fere singulae formae verbales per se sunt ambiguae, neque potest, nisi accurate observato orationis contextu, recte verti. Exempli gratia " perfectum „ *qâm* sensu correspondet formis latinis *surrexit, surrexerat, surrexerit, surrexisset, surget* (perfectum confidentiae seu propheticum), *surgit* vel potius *stat* (in verbis stativis quae statum indicant) ; sed graecus et latinus psalmorum interpres pene semper idem " tempus „, ille aoristum, hic perfectum, posuere, ἀνέστη, *surrexit ;* — item pro " imperfecto seu futuro „ *jaqûm*, quod per *surget, surgat, surgeret, surgit, surgebat* interpretandum erat, pene semper futurum ἀναστήσεται, *surget* substituunt. Hinc saepe in psalterio perfectum legimus pro praesenti, " *speravi, timui, laetatus sum, intellexi, dilexi* „ pro spero, timeo, laetor, intellego, diligo ; — item alibi futurum pro praesenti : *Deus meus, sperabo in eum* 90, 2 ; *laetabor et exsultabo in te* 9, 2 ; *aures habent et non audient* (114, 14 = 113 B 6) ; *tenebrae non obscurabuntur a te* 139, 12 ; orto sole

c) Praeter hebraismos intellectu faciliores ideoque venia dignos usuveniunt alii quorum sensus etiam attentum lectorem fugit ([3]). — *d*) Nonnulli loci aut nituntur diversa lectione vocabuli ancipitis ([4]) aut tam obscure sonant, ut vix quomodo ipse interpres eos intellexerit dici queat. ([5]). Crescit difficultas, si in uno psalmo frequentius talia occurrunt.

Accedit quod Vulgatae editiones et breviarium psalmos nobis plerumque proponunt dumtaxat ut versuum seriem indefinite longam sine ulla visibili carminis in partes strophicas divisione, ita ut mens a primo versu ad ultimum non habeat ubi paulisper subsistat et novi ordinis idearum incepti conscia fiat. Nonnusquam in distributione textus in versus alternatim recitandos ad parallelismum idearum, quo singulorum versuum membra in poëmate hebraico compingi solent, haud satis attentum est, ita ut dirimantur quae erant in uno versu copulanda et vice versa, ut 68 (67), 15–17; 89 (88), 4s 12–17. 36–38 al. Quo fit ut haud semel in medio aliquo versu nova carminis pars incipiatur: 75 (74), 2s.; 106 (105), 23s. 33s. 42s.

Si pro psalterio gallicano, quo utimur, substitueretur (id quod multi desiderant) versio S. Hieronymi ex hebraico facta, quae a

ferae *in cubilibus suis collocabuntur* 104, 22. — Nonnunquam in texto vulgato formis verbalibus tam saepe per diversa tempora huc illuc ferimur ac trahimur, ut mens ubi sistat non inveniat, ut Ps. 18, 20–48; 104, 6–11. 25–30.

([3]) Ut: *filios mortificatorum*, ad mortem destinatos, 79, 11; *in corde et corde*, duplici, fallaci mente 12, 3; Deus *ostendet mihi super inimicos meos*, efficiet ut videam inimicos prostratos et victos, 59, 11, etc.

([4]) 73, 9 ἐν τῇ πόλει, *in civitate* (hebr *ba'îr*) pro *in evigilando*; — 127, 4 οἱ υἱοὶ τῶν ἐκτετιναγμένων, *filii excussorum* (*b.né hann.'urim*) pro *filii iuventutis*; 139, 17 mihi nimis honorati (i. e. valde honorabiles) sunt *amici tui* (hebr. *re'êka*) pro *cogitationes tuae*: — 64, 8 legit interpres *parvulorum* (*p.ta'îm*) pro *subito* (*pit'ôm*) etc. — Similiter rursus interpres latinus offendit, ubi pro graeco οἵ τε [= καὶ οἱ ...] vertit *quique* (quilibet, omnes) 49, 3; et pro graeco ἀρχή (principatus; principium) posuit *principium*, ubi dicendum erat *principatus* 110, 3.

([5]) Quomodo enim censeamus interpretem, bene intellecto loco psalmi, dicturum fuisse: *rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia*, 68, 13; aut: *delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua; et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira consummationis et non erunt*, 59, 13 s.; aut: *inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt, sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes*, 56, 7 s.; aut: *dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia*, 90, 12; etc.

nobis nimis neglegitur et ignoratur, difficultates, quas enumeravimus, certe multo minus sentirentur. Nam illa facta est a viro, hebraici sermonis pro sua aetate optimo cognitore; facta est ad eum finem, ut Romani scire possent quid verba originalia significent; est planior, multosque scopulos rectae intellegentiae obstantes feliciter evitat. Nihilominus timemus ne in hac quoque versione insint nonnulla, si nobis recitanda essent, minus placitura: iuxta locos perbene versos alii habentur qui primitiva aenigmata non solvunt (6). Id quod eo satis excusatur, quod omnis poëmatis ab una lingua in aliam versio, et magis etiam carminis semitici in sermonem latinum translatio necessario ab originali perfectione deficit, quod linguae hebraicae cognoscendae tot adiumenta, quot nobis, saeculo quarto praesto non erant, quod Hieronymus in parandis versionibus sat celeriter laborabat et vix tot dies, quot nos hebdomades aut menses, sibi ad id sumendos existimabat.

Omnes difficultates, de quibus diximus, explicatione commentariorum elucidantur ac vel tolluntur vel minuuntur. Sed quia haec via est longa et laboriosa, multi iamdiu aliam viam ingressi sunt iucundiorem, ut psalmorum hebraicorum novam versionem, sive vernaculam sive latinam, facerent, illis imperfectionibus, quatenus fieri possit, carentem et facilius intellegibilem. Quo plures et meliores huiusmodi conatus novae versionis fiunt, quae inter se illustrant, expoliunt, corrigunt ac velut de palma concertant, eo citius pervenietur ad consensum quemdam de optimo genere interpretandi.

§ 3. De carminum hebraicorum forma.

In formam carminum sacrorum inquirere iucundum atque utile est. Iucundum quidem, sicut quaevis consideratio alicuius operis artificiosi; utile vero propter emolumentum quod inde sive pro crisi textuum sive pro intellegentia ipsorum poëmatum

(6) Vertit S. Hieronymus ex. gr. 19, 4 " *Non est sermo et non sunt verba, quibus non audiatur vox eorum* „. — 21, 13: " *Quia pones eos umerum, funes tuos firmabis contra facies eorum* „. — 29, 6: " *Et disperget eas* (cedros) *quasi vitulus Libani, et Sarion quasi filius rhinocerotis* „. — 32, 4: " *versatus sum in miseria mea, cum exardesceret messis iugiter* „. 90, 12: " *Ut numerentur dies nostri sic ostende, et veniemus corde sapienti* „. — 89, 8: " *Deus inclitus in arcano sanctorum nimio, et terribilis in cunctis qui circum eum sunt* „.

sperari potest. Hocque de poësi Hebraeorum etiam magis dici potest quam de Graecorum vel Romanorum. Apud hos enim versus strophaeque erant a forma et structura sententiarum satis independentes: nec cum versu nec cum stropha necessario etiam sententia grammaticalis finiebatur, sed haec ad arbitrium poëtae ab uno versu in alium, a stropha in stropham continuabatur, in media aliqua stropha demum vel in medio versu absolvenda. Quo fit ut cognitio formae stropharum et versuum ad intellegendum sensum carminis vix quidquam conferat. Sed apud Hebraeos generatim cum singulis versibus etiam sententia grammaticalis seu ideae unius enuntiatio, cum strophis ideae alicuius longior evolutio simul finitur. Itaque universim quivis versus hebraicus ideae alicuius partes parallelismo duorum triumve membrorum simul et discernit et coniungit; stropha complures versus eandem ideam evolventes complectitur et a versibus stropharum vicinarum segregat; integra denique carmina, si ad numerum versuum in strophis attendimus, haud sine artificio ingenioso composita (ut nobis quidem videtur) apparent. Ideo cognitio formae carminis in eorum interpretatione, in iudicio de eorum pulchritudine ferendo, in crisi textus sua utilitate non caret. Quare in hanc quaestionem, quae est de forma poëmatum hebraicorum, ut aliis multis, nobis quoque operae pretium est visum inquirere.

Nos in hac latinae versionis psalmorum editione longiorem de ea re tractatum texere nolumus. Sufficiat nobis hic summatim ea proponere, quae nobis post multa VT[i] poëmata perquisita videntur esse probabiliore.

1) *Unitas illa, ex qua multiplicata poëma hebraicum exsistit, est versus*, non stichus.

Versus est id quod in carminibus bibliorum hebraicis inter duo Sôphpasûq (׃) continetur; seu id quod in citationibus numerari solet (" versus primus, secundus, tertius „, etc.) vel in sollemni officio chorali alternatim cantari. Talium versuum membra minora (bina vel terna in unoquoque versu) *stichi* vocantur. — *Versum*, non stichum, esse unitatem, ex qua poëma componitur, ex eo nobis certum videtur esse, quod *a*) inquisitione metrica facta nobis constat, versuum (non stichorum) longitudinem a poëta certis legibus subiici, *b*) quod versuum (non stichorum) determinatus numerus in stropham coalescit, *c*) parallelismus stichos ad unitatem versus compingit.

2) *Carmina biblica non sunt tantum indefinita series versuum* sine ulla membratione; sed adest in carminibus, nisi sint

valde brevia, ordinata in quasdam partes, numero versuum mensurabiles, distributio. Donec melius et convenientius nomen inventum sit, has partes " *strophas* „ vocabimus.

Si enim, attentione ad decursum idearum in carmine fixa, versus vicinos et in eadem idea versantes coniungimus, et talem partem a proxima, in qua alia idea tractatur, seiungimus, tandem saepenumero integrum carmen a poë a iucunde ex quibusdam quasi strophis compositum invenimus. Quae *strophae sunt aut aequales* quod ad numerum versuum attinet, continentes versiculos binos (ut ps. 12. 23. 24. 32), ternos (ps. 2. 13. 54. 55), quaternos (46. 103. 126) etc.; — *aut non omnes aequales, sed binae aequales, et plerumque symmetrice dispositae*, ita ut prima et ultima stropha sint aequales (= eundem numerum versuum contineant), itemque secunda et penultima, tertia et antepenultima; in medio carmine stare potest stropha centralis solitaria (ita divisimus ps. 1 in 3, 2, 3 versus, — ps. 17 in 5, 3, 3, 5 versus, — ps. 104 in 5, 8, 5, 5, 8, 5 versus, — ps. 38 in 8, 6, 8 versus, — ps. 39 in 3; 3, 2, 3; 3 versus, etc.). — In aliis psalmis aliae proportiones numericae observantur. Nonnulli psalmi sunt tales ut duabus strophis aequalibus anteponatur vel postponatur minor aliqua stropha per modum prologi (cf. ps. 49. 50) vel epilogi (102), aut etiam unicus versus (versus intercalaris saepius repetendus? cf. ps. 120. 123).

De his rebus tam in universum quam in singulis poëmatis posse diverse iudicari, et iudicium a considerationibus subiectivis multum pendere neque ut certum posse proponi, per se patet. Ad unam stropham revocare studebamus versus unam ideam evolventes, et attendebamus ubi nova idea incipiat, ubi a soliloquio ad alloquium, a verbis unius loquentis ad verba alterius transeatur, ubi ab invocatione Dei nova pars inchoetur et similia. Quam recte id factum sit, libenter aequo aliorum iudicio relinquimus.

Nonnunquam, raro tamen, talis carminis in strophas aequales, vel inaequales symmetricas dispositio obtenta haud est sine versus in alium locum transpositione suo in loco adnotata (cf. ps. 18. 92. 106. 148). Talem translocationem ut meram coniecturam proponi clarum est; eam indicare malebamus quam carmen informe relinquere. Probabilius enim est, esse in textu tradito pauca et exigua menda coniecturâ sanabilia, quam poëmata formae irregularis.

3) In plerisque psalmis observatur notissimus ille " *parallelismus membrorum* „. Is in eo consistit, ut in versus stichis vel eadem idea per synonyma repetatur (" In exitu Israël de Aegypto, domus Iacob ex populo barbaro „ 114, 1), vel in partes divisa proponatur (" laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellae lucidae „ 148, 3), vel per contraria illustretur (" abominabiliter agunt, non est qui faciat bonum „). De his in libris Introductionis satis tractatur, nec illa sunt hic repetenda.

4) Porro *in carmine hebraico observari potest:*

a) *Rhythmus quidam tonicus*, nempe talis ut syllabae atonae et accentuatae secundum normas certas alternent. Nostro quidem iudicio hoc fit ita ut inter duas syllabas cum accentu

efferendas interiaceant ad libitum duae atonae vel una solum (ut in multis poëmatis germanicis vel anglicis).

b) Insuper habetur *longitudo versuum varie regulata.* Longitudinem versuum metimur numero ictuum seu syllabarum in rhythmica lectione accentuatarum. Aequales versus appellamus eos qui habent eundem numerum ictuum, v. gr. duos versus ictuum septenorum. Iamvero nobis dicendum videtur : poësis hebraica longiora carmina ex versibus aequalibus composita non habet. Ergo versus psalmorum sunt inaequales. Sed in hac ipsa versuum inaequalitate quaedam normae observatae esse videntur. Censemus nunc pleraque carmina biblica ad tres formas seu ad tria " schemata „ revocari posse, quae a nobis siglis A, B, C designantur. Scilicet

" *Schema A* „ habet versus inaequales, sed ita ut bini versus inter se sint aequales. V. gr. versus psalmi 1 habent 6, 6. 9, 9. 6, 7, 7. 6. ictus; psalmi 87 versus habent 9, 4, 9. 6, 6. 4. ictus. Nullus versus alicuius metri solitarius stat, sed habet alium sibi comparem.

" *Schema B* „ habet versus inaequales, sed ita ut unicuique versui certi metri correspondeat alter uno ictu longior vel brevior. Ex. gr. psalmi 12 versus habent 8, 7. 7, 8. 10, 9. 6, 7. ictus. (Versus duorum parium possunt liberius poni et permisceri, v. gr. pro 10, 9. 6, 7 poni posset 10, 6, 9. 7. vel 10, 6, 7. 9. etc.). Quo melius pateat versuum pene-aequalium connexio, pro " 6, 7. „ scripsimus in margine " 6 6^1 „ et pro " 6, 5. „ scripsimus " 6 6' „.

" *Schema C* „ habet (ut A) versus binos aequales, sed eos plane symmetrice dispositos, ita ut versus primus sit aequalis ultimo, secundus penultimo, tertius antepenultimo etc. In medio stare potest unus versus solitarius. Sic psalmi 67 versus habent 6 5 6 9 6 5 6 ictus.

Nobis, eo quod inaequales versus in carmine admittimus, multo rarius ad crisin textus metri causa confugiendum est quam si exigeremus ut omnes versus sint aequales.

5) Ut benevolus lector formae hebraicorum carminum aliqualem saltem ideam claram sibi facere possit, hîc singulorum trium " schematum „, A, B, C, unum breve exemplar, in litteras transcriptum latinas, ponere liceat.

" Schema A „. — Psalmus 82. — 1, 3, 3, 1 versus.

6, [1] *Ĕlohîm niççáb ba':dat–Él* α | *b.qèreb ĕlohîm jišpóṭ.* —
5, [2] *'Ad–matàj tišp.ṭu–'áwel* α | *ufnê r.ša'îm tiśśá'u.* SELA.
6. [3] *šifṭû jatôm wadál** | *'anî warâš haçdîqu.*
5. [4] *pall.ṭu–dàl* α *w.'ebjôn* | *mijjàd r.ša'îm haççâlu.* —
8, [5] *Lô' jad.'û w.lo'–jabînu* | *baḥ:šeká jithalláku* | *jimmôṭu kol–môs.dē–ár*^{e}*ç.* β

6, 6 *':ni–amàrti ĕlohîm attèm | ubnê Eljôn kull.kèm.*
6. 7 *akén k.'adàm t.mutûn | uk'aḥàd haśśarîm tippólu. —*
8. 8 *Qûma Ĕlohîm, šofṭá ha'áreç ! | ki–àtt tinḥàl b.kol–hàggojîm.* β

*) Ita secundum LXX. Syr.

" Schema B „. — Psalmus 112. — 1, 4, 4, 1 versus.

6 1 *Ašrē–îš* α *jaré' et–Jahwè | b.miçwotâw ḥaféç mĕ'ôd. —*
6' 2 *Gibbôr ba'áreç jihjè zar'ô | dôr j.šarîm j.borák.*
5 3 *hōn–wa'óšer* α *b.betô | w.çidqatô 'omèdet la'àd.*
5' 4 *zaràḥ baḥošk* γ *ôr lajšarîm | ḥannûn w.raḥûm w.çaddîq.*
6 5 *ṭôb îš–ḥonén* α *umalwè | j.kalkél d.barâw b.mišpáṭ. —*
6' 6 *Ki–l'olám lo'–jimmôṭ | l.zeker–'olám* α *jihjè çaddîq.*
7 7 *mišš.mu'á ra'á lo'–jirá' | nakôn libbô, baṭûaḥ b.Jahwè.*
7' 8 *samûk libbô, lo'–jirá' | 'ad–ăšèr jir'è b.çarâw.*
10 9 *pizzàr natàn la'èbjonîm* β *| çidqatô 'omèdet la'àd | qarnô tarûm b.kabôd. —*
10' 10 *Rašá' jir'è w.ka'ás | šinnâw jaḥ:róq w'namás | ta':wàt r.ša'îm tobéd.*

" Schema C „. — Psalmus 67. — 2, 3, 2 versus.

6 2 *Ĕlohîm j.ḥonnénu wibārkénu* δ *| ja'ér panâw ittánu,* SELA.
5 3 *ladà'at ba'áreç darkák | b.kol–gojîm* α *j.šu'ataák. —*
6 4 *Jodûk 'ammîm Ĕlohîm | jodûk 'ammîm kullám.*
9 5 *jiśm.ḥû wirann.nû l.'ummîm ki–tišpóṭ 'ammîm mišôr | ul'ummîm ba'áreç tanḥém.* SELA.
6 6 *jodûk 'ammîm Elohîm | jodûk 'ammîm kullám. —*
5 7 *Ereç–nātná* α *j.bulàh | j.bārkénu Ĕlohîm ĕlohênu.*
6 8 *j.bārkénu Elohîm | w.jir.'û otô kol–àfsē–areç.* β

NB. Additae litterae graecae monent, regulas quasdam observari. Scil.: (α) Duo vocabula vicina trium syllabarum habent 1 ictum (non 2); — (β) vocabula tetrasyllaba (vel vocabula vicina inter se arcte iuncta quattuor syllabarum) habent 2 ictus; — (γ) ex duabus syllabis vicinis grammatice accentuandis prior suo accentu privatur. — (δ) Vocalis quodammodo ex concursu duorum šwa orta (*wibārkénu* pro *w.j.bārkénu*) etiam media inter atonas syllabas (utpote nimis debilis ad accentum recipiendum) manet atona: ideo in tali casu (et solum in tali casu) tres atonae vicinae stant.

Regulae in pronuntiando et accentuando observandae exponuntur in opusculo nostro " Einführung in die Metrik und die Kunstformen der hebräischen Psalmendichtung, Münster 1914 „, § 2–5. Suppressio vocalis syllabarum finalium – *kā, tā, hā* ibi in § 4 commendata et rationibus fulta nuper comprobata est vetustis codicibus hebraicis inventis qui in vocalizatione hanc pronuntiationem exhibent; cfr. *Kahle*, Die Masoreten des Westens, Bonn 1927.

§ 4. De huius latinae psalmorum versionis propria ratione.

Ex quo, iussu Pii X, Pont. Max., clerici singulis pene hebdomadibus integrum psalterium recitant, magnum ubique ortum est desiderium in manibus habendi commodum subsidium ad haec sacra carmina facilius, dum recitantur, intellegenda. Unde haud pauci huiusmodi libri et prius iam exsistentes denuo editi, ac novi commentarii in hunc finem perutiles elucubrati sunt, quorum unusquisque suo modo praeclare ad metam sibi propositam contendit. Unicuique scriptori sua propria est ratio lumen psalmis afferendi, qua excellit; nullus commentarius omnia complecti potest; semper restabit adhuc opportunitas alio modo psalmos illustrandi. Quare, cum nos nonnumquam ad similem conatum invitaremur, non abnuendum censebamus.

Simplicissima, etsi per se sola non sufficiens, methodus interpretationis nobis semper esse visa est fidelis et plana textus originalis versio. Confidebamus fieri posse versionem talem, quae veterum versionum incommoda vitaret ac tam singularum sententiarum quam totorum carminum sensum satis omnibus intellegibilem exhiberet. Ad hoc idem haud exiguum emolumentum collaturam esse censebamus carminum in sua membra divisionem, qua in luce ponitur et decursus idearum et pulchritudo poëmatum sacrorum.

Efficere conabamur, ut versio latina exsisteret, quatenus sermonis latini proprietas id permittit, satis fidelis imago verborum originalium. Ex una parte hebraismi non facile intellegibiles vitandi erant, ex altera parte simplicitas ingenua dictionis hebraicae fuit retinenda. Quatenus hoc nobis contigerit, ut assequeremur, lectores viderint.

Studebamus versionem facere talem, ut generatim verba latina per se, sine commentario, cogitata sensaque textus hebraici exprimerent. Hoc interdum affectabamus insertis in versionem vocabulis, quae in psalterio hebraico non exstant, sed quorum idea virtualiter, ut ita dicam, ibidem continetur; talia vocabula inserticia cursivis litteris imprimenda curavimus. — Sicubi in nostra versione, contra morem dictionis hebraicae et versionum veterum, genetivum vel adiectivum nomini a n t e ponimus, id signum est hisce duobus vocabulis correspondere hebraicum unum (v. gr. pro *lam.naṣṣéaḥ* scribimus *chori magistro*, pro *š.ḥaqîm* item *summae nubes*). Item, si simplicis verbi hebraici modalitas per additum verbum auxiliare exprimenda erat, hoc verbum auxiliare semper infinitivo postposuimus (*quis stare poterit?* pro 'quis stabit?' *ut psallere possim* pro 'ut psallam'). — Pro *pietas tua et fidelitas tua* dicebamus pro more latino brevius

pietas ac fidelitas tua, pro *eripiam eum et glorificabo eum* item *eripiam ac glorificabo eum;* i. e. evitatam repetitionem pronominis vocula " *ac* „ (pro communi " *et* „ posita) innuimus. — Ne quid in textu latino desit, quod verbis hebraicis inest et latine dici potest, saepe etiam affectus varios quae quibusdam formis verbi hebraici indicantur (ut infinitivo absoluto, formis verbi " voluntativis „, imperativo emphatico), adiectâ voce interiectionis (*o! ah! eia! io!...*) exprimere satagebamus (distinguimus igitur simplex *šĕmà'* = audi, *qûm* = surge, ab emphatico *šim'á* = o audi! *qûma!* = o surge! Ex precibus enim S. Augustini aliorumque id ab indole precationis latinae minime abhorrere satis elucet. Alibi infinitivo absoluto verbi iterationem substituimus, ut " *expectavi, expectavi Dñum* „ (40, 2).

De aliis quibusdam versionis scriptionisque proprietatibus conferatur " *Explicatio scriptionis* „ infra immediate ante textum Psalmorum posita.

Commentarium in librum Psalmorum conscribere noluimus; de bonorum enim commentariorum defectu hodie vix adhuc conqueri licet (cfr. delectum bibliographiae infra positum), ac versio apte parata psalmos facit velut sua ipsorum luce fulgentes. Quare pro praesenti scopo paucae notae de *Argumento* uniuscuiusque poëmatis, *Adnotanda* de locis breviter illustrandis et *Crisis textus* brevis addita in calce voluminis sufficere nobis visa sunt.

Clariorem vero ac suaviorem, profundiorem et interiorem horum carminum divinorum intellegentiam nobis omnibus, precor, Ille communicare dignetur, qui ea Davidi, egregio psaltae Israël (2 Sam. 23, 1), ceterisque auctoribus sacris inspiravit, Spiritus Sanctus, " qui locutus est per prophetas „.

Delectus bibliographiae,

auctorum potissimum recentium, praesertim eorum qui textum hebraicum interpretantur vel in commentario eius rationem habent. Asteriscus auctores acatholicos indicat.

Quincuplex Psalterium : Gallicum, Rhomanum (*sic*), Hebraicum [sc. S. Hieronymi versio latina], Vetus, Conciliatum. Parisiis 1513.

François M., Liber Psalmorum hebraicae veritati restitutus: Liége 1903.

Landersdorfer Simon, Die Psalmen lateinisch und deutsch. Regensburg 1922.

Mlčoch Melchior, Psalterium, seu Liber Psalmorum. Olomuci 1890.

Sante, C. van, Psalmi. Turnholti 1921.

Beelen J. Th., Het Boek der Psalmen. Leeuwen 1878.

Boylan P., The Psalms. 2 voll. Dublin 1920. 1924.

Calès J.; Le Psautier des fils de Coré. Le Psautier d'Asaph. [In: Recherches de Sciences Religieuses 1924 sqq.].

Crampon A., La Sainte Bible. Traduction d'après les textes originaux.[2] Tournai 1923.

Delitzsch Franz *, Biblischer Commentar über die Psalmen.[4] Leipzig 1883.

*Duhm B.**, Die Psalmen. [Marti, Kurzer Hand-Commentar zum A. T. XIV][2] Freiburg 1922.

*Ewald H.**, Die poetischen Bücher des Alten Bundes. Zweiter Teil: Die Psalmen.[2] Göttingen 1840.

Ecker Jacob, Porta Sion. Lexikon zum lat. Psalter. Trier 1903.

*Ehrlich A.**, Die Psalmen. Berlin 1905.

Fillion Cl., Les Psaumes commentés selon la Vulgate et l'Hébreu. Paris 1893.

„ „ Le nouveau Psautier du Bréviaire romain.[2] Paris 1913.

*Gunkel H.**, Die Psalmen. Göttingen 1926.

Higgins V., Commentary on the Psalms. Dublin 1913.

Ireneo di S. Giovanni Ev., Saltero romano tradotto dall' ebraico in italiano e dichiarato con brevi note. Roma 1922.

Kahn Zadoc,* La bible traduite du texte original par les membres du rabbinat français. Paris I 1899 ; II 1906.
*Kautzsch E.**, Die Psalmen.[3] [Die Hl. Schrift des A. T.][4] Tübingen 1922.
*Kittel Rud.**, Die Psalmen.[4] Leipzig 1922.
Knabenbauer Jos., Commentarius in Psalmos. [Cursus S. Scr. II 2] Parisiis 1912.
*König E.**, Die Psalmen. Gütersloh 1927.
Leimbach K., Die Psalmen. [Biblische Volksbücher.][4] Fulda 1922.
Lesêtre H., Le livre des Psaumes.[2] Paris 1911.
Mari Fr., Il libro dei Salmi. 1910.
Meyer Wendelin, Die Psalmen. Paderborn 1916 ff.
Miller Athan., Die Psalmen. [Ecclesia orans. V] Freiburg 1923.
Minocchi, I Salmi, tradotti dal testo ebraico. Firenze 1895.
Pannier E., Psalterium iuxta hebraicam veritatem. Lille 1913.
Pérennès H., Les Psaumes, traduits et commentés. Paris 1922.
Schlögl Nivardus, Die Psalmen hebräisch und deutsch. Graz 1911.
„ „ Die Psalmen. [Die Hl. Schriften des A. B. III 1] Wien–Leipzig 1915.
Sedláček J., Vyklad posvátnych žalmu. V Praze 1900–01.
Stephan, Psalmenschlüssel. [3] Regensburg 1925.
Thalhofer Val., Erklärung der Psalmen.[8] Herausg. von F. Wutz. Regensburg 1914.
Vaccari Alb., I libri poetici della Bibbia tradotti dai testi originali. Roma 1925.
van der Heeren Ach., Psalmi et Cantica Breviarii. Brugis 1913.
Vigier y Diaz, Commentarios a los salmos. Madrid 1901.
Vlašić, Psalmi Davidovi. Dubrovnik 1923–24.
Wolter Maurus, Psallite sapienter.[3] 5 voll. Freiburg i. Br. 1904–07.
Wutz Franz, Die Psalmen textkritisch untersucht. München 1925.
„ Die Psalmen des Breviers textkritisch untersucht. München 1926.
Zenner J. K., Die Psalmen, auf Grund einer kritischen Bearbeitung des Textes ... übersetzt. [Ut manuscriptum impressum] Köln 1899.

Explicatio scriptionis.

LITTERIS MAIUSCULIS scripta sunt vocabula, quae ad ipsum carminum textum non pertinent; cuiusmodi sunt psalmorum tituli, notae musicales (SELA), doxologiae finales quinque librorum psalterii.

Litteris cursivis expressa sunt vocabula textui a nobis inserta, quo sensus verborum clarius enuntietur.

Littera initialis Maiuscula nonnumquam pronomina vel verba ad Deum referenda distinguit (nempe ubi sine hac distinctione dubium esse posset, ad quem sint referenda), ex. gr. manus Tua 21, 9, in Te 21, 12, Perdes 21, 11.

* Asteriscus de adnotatione critica admonet in " Crisi textus „ in fine voluminis posita.

'...' His virgulis includuntur verba, si versio non est litteralis, sed liberius sensum reddit, ex. gr. 9,14; 28,5.

Nomina divina ita scripta sunt: " Dñus „ = יהוה, " Dominus „ = אדני, " Deus „ = אלהים, אל, " Déus „ in psalmis 42–83 = אלהים, ubi hoc nomen pro יהוה substitutum videtur.

In nominibus propriis indeclinabilibus accentus acutus casum genetivum (*Deus Iacób* 76, 7), accentus gravis dativum (*Isaàc* 105, 9) indicat, ubi id claritatis causa indicandum videbatur. (De horum nominum accentu cfr. nostrum N. T. Lexicon graecum p. XII).

Maiusculae (A, B, C...) in margine sinistro initium novae partis seu quasi " strophae „ indicant.

In margine dextro psalmorum (1–41) Maiusculae (*A*, *B*, *C*) " schema „ metricum psalmi indicant; — numeri indicant, quot arses (ictus, pedes) unusquisque versus habeat. [NB. In psalmis schematis B 7' significat (7—1) seu 6, 7^1 vero (7+1) seu 8]. Cfr. uberiorem rei declarationem in § 3 Prolegomenorum. — Ob typotheticas difficultates ultra primum librum psalmorum haec signa non continuavimus.

In fine Argumenti numeris quibusdam indicatur, ex quotnam versibus singulae carminis partes seu quasi-strophae constent.

N. B. Per totum librum in citationibus ex libro Psalmorum semper sequimur numerationem Hebraeis propriam.

PSALMI

" Orabo spiritu, orabo et mente:
psallam spiritu, psallam et mente „.

1 Cor. 14, 15

LIBER PRIMUS (Ps. 1-41)

Ps. 1. De duabus hominum viis contrariis.

		A
A	[1] Beatus vir,	6,
	qui non ambulavit in consilio impiorum	
	Et in via peccatorum non stetit	6.
	et in consessu desipientium[a] non sedit,	
	[2] Sed in lege Dñi *habet* voluptatem suam	9,
	et de eius lege meditatur[b] die ac nocte.	
B	[3] Erit velut arbor plantata ad rivulos aquae,	9.
	quae fructum suum dat suo tempore,	
	Cuiusque folia non defluunt,	6,
	et quidquid aget, prospere eveniet.	
C	[4] Non sic impii;	7,
	sed sunt sicut palea quam dispellit ventus.	
	[5] Itaque non subsistent[c] impii in iudicio,	7.
	nec peccatores in coetu iustorum.	
	[6] Nam novit[d] Dñus viam iustorum,	6.
	sed via impiorum peribit.	

Argumentum. A) *Beatus est homo iustus;* B) *nam est, sicut bona arbor, floridus et fructuosus;* C) *impius vero est, sicut palea, sterilis et inanis, damnabitur in divino iudicio, finis eius erit pernicies.* — (3, 2, 3 versus)

Adnotanda. Psaltes non omnia de utroque, de homine iusto et de impio, singillatim persequitur, sed cum delectu nonnulla; ac, quod de alterutro asserit, eius contrarium de altero dicendum universim innuit nobisque percogitandum relinquit. A beatitudine carmen incipit, in perniciem desinit: inter haec duo nobis est eligendum.

[a] Vox *lés*, ut ex aliis locis (Prov. 9, 7. 8. 12; 14, 6; 15, 12 al.) elucet, hominem delirantem, desipientem, ab intellectuali ac magis a morali aequilibrio deflectentem, turbulentum, petulantem, improbum, etc. indicat, non derisorem; opponitur τῷ *ḥakám* (sapiens) sed etiam apparet ut synonymum ad *rašá'* (impius): cf. Joüon in Mélanges de la faculté or. V, 440 ss.

[b] *Meditatur:* ad legem attendit, animum advertit in agendo; cf. 2, 1.

[c] In iudicio *subsistere* est causam suam evincere, *non subsistere* a iudice damnari.

[d] Deus *novit* viam iustorum, i. e. eius curam sollicitam habet, eos in hac via bene ducit.

Ps. 2. " Christum, Filium eius unicum, dominum nostrum „.

B

A [1] Quare tumultuantur gentes, 5
et nationes meditantur inania?
[2] Conveniunt reges terrae, 5¹
et principes consiliantur una
contra Dñum et contra Christum eius:
[3] " Dirumpamus vincula eorum, 6
et abiciamus a nobis funes eorum! „

B [4] Qui habitat in caelis, ridet, 6'
Dominus subsannat eos.
[5] Tum alloquitur eos in ira sua, 6
et in indignatione sua eos consternat:
[6] " Sed ego institui regem meum 6'
super Sion, montem sanctum meum! „ [a]

C [7] " Sinite narrem de Decreto; 9
Dñus dixit ad me:
'Filius meus es: ego hodie genui te. [b]
[8] Postula a me et faciam gentes hereditatem tuam 9'
et possessionem tuam fines terrae.
[9] Regere * eos poteris sceptro ferreo, 5
ut vasa figlina eos confringere.'„ [c]

D [10] Nunc igitur, reges, prudenter agite, 5¹
Sinite vos moneri, *omnes rectores terrae.
[11] Servite Dño cum timore, 7
et iubilate *ei [d],
cum tremore [12] osculamini Filium. [e]
Cavete ne irascatur et in perniciem ruatis, [f] 7¹
nam propemodum exardescit ira eius:
beati omnes qui ad eum confugiunt! [g]

Argumentum. *Psaltes regius, fortasse in occasione rebellionis absalomianae, defectionem tam multorum ac sortem suam regnique sui divinitus sibi dati permeditans, sed inspirationis luce altiora de Christo eiusque regno praesagiens, et a Deo, ut videtur, praemonstrata simili sorte Messiae-Regis confortatus,* A) *praevidet reges populosque a Deo et Christo deficientes;* B) *Deum*

Patrem audit iura Filii sui vindicantem, ac C) *Messiam decretum Patris promulgantem*; D) *quare omnes commonet et hortatur, ut Messiae-Regi se subiciant, ne pereant.* — (3, 3, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Ita secundum TM et Syrum. LXX–Vg. hic iam Christum inducunt loquentem: " *ego autem constitutus sum rex ab Eo super Sion, montem sanctum Eius* „. Sed textus hebr. hic praeferendus videtur; etenim cum Deus rebelles allocuturus esse dicatur (v. 5), ei nonnulla saltem verba ad illos directa tribuenda sunt; stropharum quoque divisio sic fit concinnior.

[b] Alia est filiatio eius Davididae, de quo Deus dixit: " ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium „ (2 Sam. 7, 14; cf. Ps. 89, 27), alia eius, cui in hoc carmine dicit: " ego hodie *genui* te „.

[c] *Reges, confringes* „ dicitur permissive: Filio hoc ius populos regendi, rebellantes confringendi datur. Consonantes hebr. permittunt, ut primum verbum explicetur " *contundes eos* „ (TM Targ.).

[d] Hac verborum distributione, quam schema metricum psalmi suggerit, evitatur immediata conexio verborum " *iubilate (ei) cum tremore* „; quae tamen, etiamsi retinetur, seriae difficultati obnoxia non est. Etenim vi parallelismi poetici (de quo consule Vaccari, Verbum Domini I [1921] 185) in v. 11 vocabula parallela *servire et iubilare*, ac rursum *cum timore et cum tremore* (= cum debita reverentia; cf. 2 Cor. 7, 15, Eph. 6, 5) in unam ideam confluunt; ergo poeta dicit: iubilantes servite Domino cum timore et tremore.

[e] Postquam psaltes Unctum Domini vidit audivitque a Deo regem in monte Sion constitutum, Filium Dei proclamatum, iure regnandi ac iudicandi omnes gentes instructum, nihil magis exspectatur, quam ut reges ac gentes moneantur, ut huic suo domino se subiiciant. Et hoc praestat textus hebraicus, sive eum cum Syro atque cum Kimchi, Abarbanel aliisque rabbinis vertis " *osculamini Filium!* „ (si cui vox *bàr*, quae alias solum Prv. 31, 2 occurrit, displicet, corrigi posset in *bén*), sive " *osculamini electum!* „ eum quem Deus ut vester rex sit elegit (vox *bàr* a LXX, Syro, Vulg. compluries *electus* vertitur; haec versio a rabbinis secundo loco proponitur). Idem indirecte praestaret versio *osculamini solum* seu *humum* (assyriace *nuššuqu qaqqara* 'solum osculari' = se in signum subiectionis prosternere: Delitzsch, Handwörterbuch 486). LXX δράξασθε παιδείας 'apprehendite disciplinam'; Hier. *adorate pure.*

[f] Hebr. *et pereatis viam.* De usu absoluto particulae *pèn* = 'timeo ne, timendum est ne, cavete ne', cf. Ges.–Buhl s. v., n. 2.

[g] Verbum *ḥzsá bĕ* proprie significat 'se intime, inseparabiliter alicui applicavit seu iunxit' (germ. sich anschmiegen). Hoc aliquis facit aut ob spem salutis, incolumitatis, securitatis, et tunc vertendum est *confugere ad alqm., confidere alci*; aut ex fidelitate et amore, et tunc apte vertitur *fidelem manere, fidem servare alci.*: hîc, ubi *ḥôsê-bô* opponuntur rebellibus, haec posterior versio alicui forsan praeferenda videatur (similiter 5, 12; 31, 20; 34, 23 al.).

Ps. 3 + 4. Davidis tempore rebellionis absalomianae oratio.

3 [1] PSALMUS DAVID IN EIUS FUGA A FACIE ABSALOM FILII SUI. A^1

A [2] Dñe, quam multiplicati sunt adversarii mei! 6,
multi insurgunt contra me.
[3] Multi dicunt de anima mea: [a] 7,
" non est ei salus in Deo. „ SELA [b]
[4] Tu vero, Dñe, es clipeus circum me, [c] 6.
es gloria mea et erectum tenens caput meum [d].

B [5] Voce mea ad Dñum clamabam; 6,
et exaudivit me de monte sancto suo. SELA.
[6] Ego decubueram et obdormieram, 7.
evigilavi *sospes* [e], quia Dñus sustentabat me.
[7] Non timeo multa milia [f] populi, 6.
quae *se* circumcirca collocaverunt adversus me.
[8] O surge, Dñe! 4,
salva me, mi Deus!

C Quoniam * tu percussisti omnes inimicos meos in ma- 7,
dentes impiorum confregisti. [xilla,
[9] Tua Dñe, *est* victoria, 4,
super populum tuum sit benedictio tua! SELA [g]

4 [1] CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. PSALMUS DAVID.
[2] Invocantem exaudi me, Deus iustitiae meae! [h] 9,
qui in angustia sublevasti me, [i]
miserere mei et audi orationem meam.

D [3] Nobiles viri! quousque * vaecordes! [k] 8,
* cur diligitis vana, quaeritis fallacia? SELA.
[4] Scitote igitur, quod Dñus discernit *virum* Sibi carum,[l] 8.
Dñus audit, quando invoco eum.
[5] Irascimini, sed nolite peccare! 7.
recolite *hoc* [m] super cubile vestrum et * considerate,
[6] " Sacrificate sacrificia iustitiae, [SELA: 4.
et sperate in Dño „.

E [7] Multi dicunt: " quis ostendet * ei bona? „ [n]
eleva super nos serenitatem vultus tui, Dñe. [o] 8,

[8] Iam indis laetitiam cordi meo, maiorem *gaudio* temporis. 8.
quo triticum ac vinum * oleumque copiose *messa*
[9] In pace simul decumbam et dormiam : [sunt.
nam tu, Dñe, me desolatum *quoque* facies manere 9.
[securum.p

Argumentum. *Psaltes* A) *Deum alloquens, divinum auxilium sibi a multis infestato implorat;* B) *secum meditans, ad firmam spem sese erigit;* C) *tali spe animatus instantius Dei opem flagitat;* D) *de exauditione certus, adversarios alloquitur, monens ut a conatu vano desistant;* E) *tertio Deum alloquitur, spe non solum erectus et alacer, sed laetus ac securus.* — (3, 4, 3, 4, 3 versus).

Adnotanda. I. *De toto carmine.* Rationes ob quas psalmi 3 et 4 in unum carmen continuum coniungendi videntur: (1) iam complures commentatores animadverterunt, in utroque psalmo supponi eandem rerum condicionem, eandem in psalte mentis dispositionem; (2) in 3, 9 legitur SELA: hoc in fine psalmorum poni non solet [in 24, 10 LXX deest; in 9, 29 adest, sed psalmus alphabeticus 10, 1 continuatur; in 46, 11 LXX abest]; (3) psalmi qui Deum alloquuntur, in 1° versu nomen *Jahve* continere solent (cfr. sequentes), sed in 4, 2 hoc nomen abest: ergo forsan hic non sit versus initialis; (4) in 4, 2 solum dicitur: *miserere mei et exaudi orationem meam*, ceterum in toto hoc 4° psalmo Deo non dicit, in qua miseria versetur; si psalmus 3 praefigitur, omnia clara fiunt; (5) ps. 4 solus difficulter apte in strophas distribuitur. — Quam ob rationem carmen, *si* unum fuit, in duos psalmos sit divisum, de eo solum coniecturae incertae fieri possunt. Fortasse ps. (3 + 4) scriptus erat in duabus columnis, quarum singulae dein ut psalmus integer considerabatur? estne forsan 3, 1 *subscriptio* psalmi secundi, 4, 1 vero psalmi (3 + 4) vel *subscriptio* priori columnae subscripta vel *superscriptio* posteriori columnae superscripta?

II. *Ad singula:* [a] *de anima mea:* de me; haec circumlocutio usuvenit praesertim ubi de homine in vitae periculo versante agitur.

[b] De vocis SELA (quam LXX διάψαλμα, Syr. Targ. ferme *in aeternum*, Hieronymus *semper* vertit) significatione exacta adhuc disputant. Probabilissimum est illam esse liturgicae musices terminum technicum, quo aut chori cantorum alternare, aut musici instrumentis suis interludere vel fortius ludere iubebantur. Qui ea voce strophas distingui aiunt, simul concedunt, eam frequenter non recto loco adscriptam esse.

[c] Veteres saepe utebantur clipeis ita flexis, ut corpus bene circumtegerent.

[d] Timidi, tristes, afflicti caput demittere solent, Deus Davidem reddit fiduciae plenum et animosum.

[e] Non occisus sum ab hoste superveniente dum dormiebam.

[f] Hebr. *myriades.*

[g] Penes te est, dare salutem seu victoriam; hebr. *tibi est salvatio.* Quia praepositio *'al* (super) etiam de officio et obligatione alicui incumbente usuvenit, verti posset: *Si tu percusseris omnes etc. et dentes impiorum confregeris, — Tua, Dñe, erit victoria, et populo tuo incumbet benedictio tua* (= suavis obligatio tibi benedicendi).

h I. e. caelestis defensor iustae causae meae.

i Ad litteram *dilatasti mihi* (eadem etymologia et idea inest frequenti verbo *hôšî'* salvare). Hebraei pericula ut angustias, liberationem ex periculis ut dilatationem, lati spatii concessionem considerant.

k Haec Graecorum lectio parallelismo poetico melius consulit (Vaccari, " Verbum Domini „ I 187).

l Deus in sua erga homines providentia pios ab impiis bene discernit ac longe diverse se gerit erga utrosvis.

m Hebr. *dicite in corde vestro.* In eodem sticho placet, ut Syrus fecit, pro *w.dómmu* 'et silete' legere *w.dammû* 'et recogitate, considerate' (cf. 48, 10). Argumentum vero, de quo ut meditentur psaltes adversariis commendat, sunt verba versus 6i: eum posse in Deum sperare, qui iustitiam operetur. Iusta vita, iuste facta, utpote Deo summopere grata, tropice *sacrificia iustitiae* vocari videntur (cfr. *'sacrificium laudis'* et similia).

n Cfr. 3, 3 et Crisin textus.

o *lumen vultus*, benevola vultus serenitas; *eleva!* fortasse ex alto super nos fac splendere.

p Hebr. *confidenter sedere me facis.*

Ps. 5. Divini subsidii contra impios adversarios petitio.

1 CHORI MAGISTRO. AD TIBIAS. PSALMUS DAVID. *A*

A 2 Verba mea ausculta, Dñe, 5,
intende ad gemitum meum.
3 Attende ad vocem supplicationis meae, 7,
mi Rex ac Deus,
quando ad te preces fundo.
4 Dñe, *iam* mane audis vocem meam, 7.
mane me sisto tibi et praestolor.

B 5 Non enim es Deus, cui placeat *impius, 5.
non hospitio tuo fruitur malus.
6 Stare nequeunt insolescentes coram oculis tuis, 7,
odisti omnes malefactores.
7 Perniciei devoves loquentes mendacium, 7.
virum sanguinis et fraudis *avidum* abominatur Dñus.

C 8 Ego vero fretus multitudine pietatis tuae ingredi 7,
[possum aedem tuam,
prosternere me versus templum sanctum tuum.

In timore tuo, [9] Dñe, bene me duc, 9,
in iustitia tua, propter hostes meos,
complana ante me viam tuam. [a]

D [10] Nulla enim est in ore istorum sinceritas, pectus eorum 9.
[malitiosum,
sepulcrum apertum est guttur eorum,[b] linguam
[11] Puni eos, Deus! [suam dolose levigant. 5,
excidant consiliis suis,
Ob tot eorum crimina repelle eos, 5.
quia rebellant contra te.

E [12] Laeti vero *fac* sint omnes qui ad te confugiunt, 5,
in aeternum exsultent.
Ac tua fruantur protectione,[c] 5.
et iubilare possint de te qui diligunt nomen tuum,
[13] Quod tu benedicas iusto, Dñe, 7.
velut scuto benevolentiâ tuâ eum circumdes.

Argumentum. A) *Audi me, Deus, mane supplicantem,* B) *es enim Deus qui odit impios*; C) *ego igitur sperare possum favorem tuum, et ut me protegas et ducas rogo*; D) *istos vero impiissimos, mihi malevolos, in te rebelles, puni*; E) *iustos vero, me salvato, laetifica!* — (3, 3, 2, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] *Viam tuam,* sc. in qua tu vis ut incedam.
[b] Loquuntur foetida, foeda, turpia.
[c] Hebr. *et proteges eos.*

Ps. 6. Psalmus primus paenitentialis.

[1] CHORI MAGISTRO. CUM FIDICINIO. SUPER OCTAVAM. *B*
PSALMUS DAVID.

A [2] Dñe, ne in ira tua castiges me, 6
neve in indignatione tua punias me.
[3] Miserere mei, Dñe, nam infirmus sum, 8
sana me, Dñe, nam conturbata sunt ossa mea.
[4] Et anima mea turbata est vehementer: 6'
tu vero, Dñe, usquequo?

B [5] O revertere, Dñe, eripe animam meam, 8'
salva me propter pietatem tuam.

[6] Nulla enim est in morte tui recordatio, [a] 5
apud inferos quis te laudibus celebrat?

C [7] Defessus sum gemitu meo, 9
flens inundo omni nocte lectum meum,
lacrimis meis stratum meum humecto.
[8] Iam caecutit prae maerore oculus meus, 5[1]
iam * inveterasco [b] inter tot hostes meos.

D [9] Abscedite a me, omnes malefactores, [c] 7
nam audivit Dñus vocem ploratus mei.
[10] Audivit Dñus obsecrationem meam, 7'
Dñus orationem meam suscipit.
[11] Confundantur et conturbentur vehementer omnes ini- 9'
recedant, confundantur ilico! [mici mei,

Argumentum. A) *Miserere mei et sana me;* B) *nam mortuus te laudare non potero*; C) *vide in quam inconsolabili miseria iaceam*; D) *Deo gratias! exauditus sum.* — (3, 2, 2, 3 versus).

Adnotanda. [a] Ante Christi ascensionem caelum nemini, ne iustis quidem, patebat; de statu vero mortuorum Vetus Testamentum paene nihil revelabat. Hinc psaltes, qui se in terris posse Deum laudare sciebat, quid mortuus posset, ignorabat, quam diutissime vivere et Deum laudare optabat.

[b] TM. *inveterascit*, sc. oculus.

[c] *malefactores*, nocentes. Utrum hic psaltes homines malevolos hostesve spectet an sermone figurato mortem, morbos, dolores, animi angores tamquam suos adversarios consideret, qui, si reconvalescit, recedere debeant, ambigi potest.

Ps. 7. Pro iusta causa ad Deum iudicem appellatio.

[1] QUERELA DAVIDIS, QUAM CECINIT DÑO PROPTER VERBA *A*
CHUS BENIAMINITAE

A [2] Dñe, mi Deus, ad te confugio, 8,
salva me ex omnibus persequentibus me et eripe me,
[3] Secus rapiet *aliquis* sicut leo [a] animam meam, 5,
discerpet, nec erit qui eruat.

B [4] Dñe, mi Deus, si feci istud, 6,
si est crimen in manibus meis,
[5] Si erga eum qui pacem mecum habebat male egi 6.
aut exspoliavi hostem meum plane vacuum,

[6] Persequatur inimicus animam meam 10,
et assequatur et proculcet humi vitam meam,
et gloriam meam [b] in pulverem deducat!

C [7] Eia surge, Dñe, in ira tua, 10.
eleva te contra rabiem adversariorum meorum
et exerce pro me iustitiam quam mandasti.
[8] Et coetus nationum circumstet te, 6,
et super eum in excelso * sede.[c]
[9] Dñus iudicat populos: 8.
ius meum tuere, Dñe,
secundum iustitiam atque innocentiam *quae est* in [me.
[10] Finem, quaeso, habeat malitia impiorum, 5.
ut confirmes iustum.

D Scrutatur corda et renes 5,
Deus iustus.
[11] Clipeus meus est in *manu* Dei, 4,
qui salvat rectos corde.

E [12] Deus est iudex iustus, 6.
et numen iram minans omni die:
[13] Si *quis* non convertitur, gladium suum acuit, 7,
arcum suum iam tendit ac dirigit,
[14] Et illi paravit tela letifera, 6,
sagittas suas facit ardentes.

F [15] Ecce *igitur*: qui concipit nefaria et gravidus est iniu- 5.
pariet[d] — deceptionem. [riae,
[16] Cisternam fodit et excavavit, 4.
et — incidit in foveam quam faciebat.
[17] Recidet iniuria eius in caput ipsius, 7.
et super ipsius verticem crimen eius descendet.
[18] Gratias agere potero Dño pro iustitia eius 6.
et psallere nomen Dñi Altissimi.

Argumentum. *Psaltes accusatus est — secundum inscriptionem a Chus Beniaminita, viro secus ignoto — criminis pessimi et infestatus. Ideo precatur:* A) *Salva me, Deus, ab hoste*; B) *si reus essem criminis mihi attributi, poenam iustam subire non detrectarem*; C) *sed tu ipse, iudex iuste, iudica me*; D) *recordatur psaltes ad solacium suum Dei omniscientiam et aequam iustitiam,*

quae iustos salvat, E) *sed pro iniustis poenas habet paratas*; F) *quare certo confidit conatum adversarii irritum fore, se vero salvatum Deo gratias acturum.* — (2, 3, 4; 2, 3, 4 versus).

Adnotanda. [a] Aliquis *sicut leo,* inimicus sanguinis avidus.

[b] *gloriam meam:* hoc nomen hic, in parallelismo cum vocibus *anima* et *vita* atque ut obiectum verbi *in pulverem* (sepulcri) *deducere* item vitam seu animam designat.

[c] Probabiliter legendum est *šéba* (sede!); nam actio forensis modo nunc incipere a poeta fingitur. — *Coetus nationum circumstet te*: non, opinor, integrae nationes, sed selecti, deputati testes ex variis nationibus (ex Israel et ex gentibus hostilibus, contra quos in v. 4. s., tam iniuste ac crudeliter egisse dicebatur). Alii quidam vel ad aliam vocem *lĕ'óm* confugiunt (a LXX enim compluries ἄρχοντες vertitur, Gn. 27, 29. Is. 34, 1 al.); vel textu mutato 'coetum deorum', iudicum substituunt.

[d] Verba *concipere, gravidum esse, parere* initium, progressum, exitum peccati tropice describunt (cf. Iac. 1, 15): qui alii nocere studet, tandem se sibi ipsi damnum intulisse videbit.

Ps. 8. Dei Altissimi bonitas in hominis (typico sensu: in Christi) exaltatione manifestata.

CHORI MAGISTRO. IN GETTHAEA. PSALMUS DAVID. *B*

A [2] Dñe, domine noster, 10
quam magnificum est nomen tuum in universa terra,
tu, cuius maiestatem * praedicat altitudo caeli [a]!

B [3] Ex ore parvulorum et lactentium perennem comparas 10'
propter adversarios tuos, [laudem,[b]
ut ad silentium redigas inimicum et infensum.
[4] Cum video caelum tuum, opus digitorum tuorum, 8
lunam et stellas, quas condidisti:
[5] Quid est homunculus, ut eius recorderis, 8'
et filius hominis, ut eum visites
[6] eumque feceris paulo *tantum* Deo [c] minorem?

C Gloria et honore coronas eum, 6
[7] praeficiens eum operibus manuum tuarum.
Omnia subiecisti pedibus eius: 8
[8] oves et boves universas,
et etiam pecora campi:

[9] Volucres caeli et pisces maris, 8'
quidquid pernatat semitas marium.
D [10] Dñe, domine noster, 6'
quam magnificum est nomen tuum in universa terra !

Argumentum. A) *Magnificum est Dei nomen in caelo et in terra;* B) *nam pulchritudine astrorum caelestium suam maiestatem, et simul, hominem mortalem tantopere elevans, suam bonitatem manifestat,* C) *homini subiiciens ceteras creaturas suas;* D) *vere igitur quam magnificum est Dei nomen !* — (1, 3, 3, 1, versus).

Adnotanda. [a] *'al* accipimus substantive = *altitudo* (v. lexica); *tnh* legimus *tinná* 'concinendo celebravit'; legi etiam posset cum Syr. Hier. Targ. (qui vertunt " *qui posuisti gloriam tuam super caelos* „) *tannàḥ* vel *tannḥî.* —

[b] Hebr. *fundasti*; 'fundare' est aliquid perenne ac stabile condere. — Qui sunt hi *parvuli et lactentes ?* Fortasse universim homines, quorum eloquentia in laudando Deo, cum eloquentia caelitum comparata, et considerata ineffabili magnitudine Dei, est eloquentia plane puerilis. Vel etiam magis ad litteram: etiam parvuli, conspicientes caelum stellatum (praesertim in Oriente) non possunt non admirari et exclamationibus admirabundis laudare Dei potentiam, et sic confundunt atheos Deum negantes.

[c] S. Hier. hic vocem *ĕlohîm* vertit 'Deo', LXX et Syrus vero 'angelis'; utrumque suo modo verum est.

Ps. 9 et 10 (Vg. 9 A. B.). Adveniat regnum tuum !

9 CHORI MAGISTRO. 'AL-MÛT LABBÉN. PSALMUS DAVID. *A*
א A [2] Gratias tibi agere velim, Dñe, toto corde, 6
narrare omnia mirabilia tua,
[3] Laetari et exsultare de te, 6'
psallere nomen tuum, Altissime:
ב [4] Quod cesserunt inimici mei retrorsum, 5
corruentes et pereuntes a facie tua,
[5] Quod egisti iudicium meum et causam meam, 5[1]
sedisti in throno iudex iustitiae.

ג B [6] Cohibuisti gentiles, perdidisti impium, 8
nomen eorum delevisti in sempiternum,
[7] De inimicis actum est, ruinae *sunt* perpetuae, 8[1]
et civitatum, *quas* destruxisti, interiit nomen *cum
ד *(Duo versus desunt)* [ipsis.[a]

ה C [8] * Ecce Dñus in aeternum sedebit,[b] 6
paravit ad regimen solium suum,
[9] Ut ipse regat orbem terrarum cum iustitia, 6
gubernet nationes cum aequitate:
ו [10] Ut sit Dñus asylum oppresso, 6'
asylum pro temporibus calamitosis,
[11] Ut confidant in te qui noverunt nomen tuum: 6'
non enim deseris quaerentes te, Dñe.

ז D [12] Psallite Dño habitanti in Sion, 8
annuntiate in populis magna facinora eius.
[13] Nam ultor effusi sanguinis est eorum recordatus, 8'
non fuit immemor clamoris miserorum.
ח [14] * Misertus est[c] mei Dñus, 8
* vidit ' me in miseriam actum '[d] ab osoribus meis,
me extrahens ex portis mortis,
[15] Ut narrare possim omnes laudes tuas in portis Filiae 8'
iubilare de salutari auxilio tuo. [Sion,

ט E [16] Mersi sunt gentiles in foveam quam fecerant, 7
reti, quod clam posuerant, captus est pes ipsorum.
[17] Manifestavit se Dñus, iudicium exercuit, [SELA 7
suo ipsius artificio irretitus est impius. HIGGAION.
י [18] Recedant *sic* impii in orcum, 7'
omnes gentiles, Dei immemores!
[20] O surge, Dñe! non praevaleat homo! 7'
iudicentur gentiles coram te!

כ F [19] Siquidem non in perpetuum oblivioni dandus est pau- 8
spes miserorum fallenda in sempiternum. [per,
[21] Eia iniice, Dñe, timorem istis! 8'
sentiant gentiles, se esse homines.
ל 10 [1] Quare, Dñe, stas tam procul. 7
abscondis te temporibus calamitosis,
[2] Superbiâ impii conflagrant miseri, 7'
capiuntur dolis quos *illi* excogitaverunt?

מ G [3] Laudat * impius cupiditatem animae suae, 8
et avarus valedicit,[e] contemnit Dñum.

[4] Impius in superbo fastu suo 7
" non Animadvertit „, *inquit*,
" non est Deus „ est summa cogitationum eius.
נ [5] Profanatae * sunt viae illius omni tempore, 8[5]
altissime *distant* iudicia tua ab illo,
omnes adversantes sibi *contemptim* exsufflat.
[6] Dixit in corde suo: " non labefactabor, [tunatus „. 7'
a generatione in generatione *felix ero, non infor-

ס *(Duo versus desunt)*
פ H [7] Os eius maledictionis plenum est [f] et fraudis et usurae, 9
sub lingua eius est molestatio et vexatio.
[8] Sedet in insidiis *prope* vicos, 7
occultis in locis interfecturus insontem.

ע I Oculi eius imbecillum speculantur, 8
[9] insidiatur in occulto, ut leo in virgulto, insi-
ut corripiat miserum, [diatur, 6
corripiat miserum, abstrahat*que* in rete suum.
צ [10] Speculatus * [?] *eum*, se demittit, 6'
et — cadunt in ungues eius imbecilli.
[11] Dixit in corde suo: " oblitus est Deus, 8'
avertit faciem suam, non aspicit perpetuo „.

ק K [12] Eia surge, Dñe! Deus, eleva manum tuam! 6
ne obliviscaris miserorum!
[13] Quo iure contemnere potuit impius Deum, 6[1]
dicere in corde suo, te non inquisiturum?
ר [14] Vidisti: nam tu labores et aerumnas intueris, 7
ut *ea* des [g] manu tua.
Tibi se committit imbecillus, 7'
orphani tu exsistis auxiliator.

ש L [15] Frange brachium impii, [veniatur. 7
et maligni puni impietatem ita ut non iam in-
[16] Dñus est rex in aeterna saecula, 7'
perierunt gentiles de terra eius!
ת [17] Desiderium humilium, *confido*, audies, Dñe, 8
confirmans cor eorum, *iis* praebens aurem tuam,
[18] Ut iura tuearis orphani et oppressi 8'
nec amplius superbire audeat homuncio de terra.

Argumentum. *Difficile est clare et certo argumentum ac finem, occasionem et tempus huius psalmi indicare. Verba fere has ideas nobis suggerunt: psaltes ex una parte gratias agit, quod Deus, devictis gentilibus (antiquis terrae Chanaan incolis et iis gentibus quas adhuc David sibi subiecit), sibi regnum condiderit et Ipse in Sion residere et regnare velit, ex hoc suo domicilio omnes suos protecturus. — Ex altera vero parte adhuc gentiles (sive gentes nondum subiectae, sive impii Israëlitae, Dei immemores, moribus ac mente gentiles) urgent, imbecillos pauperes supprimunt, beatitudinem quam regnum divinum omnibus afferre vult, impediunt: contra hos igitur ut Deus surgat, psaltes devote rogat. — Patet quam apte etiam in N. T. hae preces fundantur: gratias agere possumus Deo pro regno Dei a Christo fundato, et tamen adhuc habemus cur pro conversione gentilium atque impiorum christianorum oremus. — Quaterni versus arctius inter se unitate ideae iuncti sunt. — Orat igitur psaltes:* A) *Gratias tibi, Deus, ago,* B) *quod gentes nobis inimicas vicisti,* C) *regnum tuum fundasti,* D) *inopum miserorumque salvator exstitisti,* E) *ut hos, ita omnes vince impios gentiles,* F) *surge iisque metum iniice, qui etiamnum miseros supprimunt,* G) *omnique timore Dei seposito,* H) *consilia machinantur contra imbecillos,* I) *eosque, ut leo praedam, crudeliter rapiunt et exspoliant;* K) *surge igitur et succurre miseris in te confidentibus,* I) *superbisque humiliatis eos protege!* — (Undecies quaterni versus).

Adnotanda. Ex continuitate et unitate tam argumenti quam ordinis acrostichici per totum pene alphabetum elucet, psalmos 9 et 10 a LXX-Vg. recte ut unum carmen considerari. — Ordo alphabeticus utique eatenus laesus est, quatenus illi bini versus, qui ad litteras ה et ו pertinent, desunt (eratne folium in ea parte laesum, in qua hi bis bini versus — in oppositis columnis aut paginis — stabant?). Porro etiam versuum a litteris ת, ש, ר, ק, צ incohantium initia laesa sunt (fortasse primis litteris columnae vetustate corrosis vel obscuratis) et coniecturâ restituenda. De hisce cfr. Crisin textus.

[a] Hebr. interiit memoria earum.

[b] Sc. in throno suo regio: Eius regni non erit finis.

[c] Ita secundum Hieronymum narrative; secundum vocales TM, LXX. Syr. vv. 14 s. ponuntur precative tamquam ipsa verba " clamoris miserorum „.

[d] Hebr. *miseriam meam.*

[e] *valedicit* (ad litteram: *benedicit*; cf. Iob 2, 5. 9) sc. Deo.

[f] Os *plenum esse* dicitur earum rerum quas aliquis perpetuo loquitur; item hae res dicuntur alicui *sub lingua esse.*

[g] Deus non caece pauperes a divitibus premi sinit, sed aerumnas permittendas bene considerat et quodammodo ipse " dat „ et applicat.

Ps. 11 (Vg. 10). Imperterrita in Deum fiducia.

1 CHORI MAGISTRO. DAVIDIS. *B*

A Ad Dñum confugio, 7
quomodo dicitis animae meae:
" avola ad montem * sicut passer!? [a]

[2] Ecce enim impii tendunt arcum, 9
iam aptant sagittam suam nervo,
ut feriant in obscuro rectos corde.
[3] Si fundamenta destruuntur, 7'
iustus quid effecit? „ [b]

B [4] Dñus est in palatio sancto suo, 6
Dñus — in caelo est thronus eius.
Oculi eius cernunt, 6'
palpebrae [c] eius probant filios hominum.

C [5] Dñus iustum probat, 9'
impium vero et amantem scelera odit anima Eius.
[6] Pluet super impios *carbones,[d] ignem et sulphur, 8
et ventus aestuosus erit portio calicis [e] eorum.
[7] Nam iustus est Dñus, *quidquid est* iustum [f] diligit, 8'
probi intuebuntur faciem eius. [g]

Argumentum. *Psaltes in periculo vitae versatur; amici ei fugam suaserunt (cfr. 1 Sam. 18, 9 ss.); sed ipse,* A) *nedum iis obtemperet, plane se Deo committit,* B) *utpote omniscio,* C) *et iusto.* — (3, 2, 3, versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *avolate ad montem vestrum, passeres*; est fortasse proverbialis locutio, qua alicui, ut fugiat, suadetur. — *Animae meae* = mihi (cf. 3, 3).

[b] Quid profuit iusto, se impiis opposuisse? nihil. Fundamentis nimirum destructis nihil remanet nisi ruina.

[c] *palpebrae* = oculi intense scrutantes.

[d] TM *laqueos*, quos quidam interpretantur fulgura, quae caelitus iacta habeant speciem laquei vibrati. Cum Symmacho praeplacet legere *carbones*.

[e] *portio calicis:* sors alicui divinitus assignata (cfr. 16, 5; 75, 9).

[f] Hebr. *iustitias*, virtutes, probe facta.

[g] Hebr. *probus*, singularis collectivus. — Sunt qui interpretentur: *probum* (vel *probitatem*) benigne *intuetur facies Eius*; at, quia Hebraei nunquam dicunt 'facies alicuius aliquid videt', saepe vero dicunt 'video faciem alicuius' (Gn. 43, 3; Ex. 10, 28; Cant. 2, 14, fort. 42, 3), versio supra posita nobis praeferenda videtur. Re idem dicit versio S. Hieronymi: " *Rectum* (i. e. Deum) *videbunt facies eorum* (sc. iustorum) „. Hac dictione psaltes fortasse plus dicere non intendebat quam ex gr. Ps. 116, 9 'ambulabo *coram Dño* in regione vitae' (non moriar), sed Spiritus S. Davidi audacem locutionem inspiravit, cuius plenam veritatem N T docet.

Ps. 12 (Vg. 11). Adversus calumniatores vel seductores oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. SUPER OCTAVAM. PSALMUS DAVID. *B*

A [2] O salva, Dñe! nam defici*unt* pi*i*, 8
nam evanescunt fideles ex filiis hominum.
[3] Falsa loquuntur ad alterutrum, 8'
sermonem subdolum, corde insincero [a] loquuntur.

B [4] Exterminet Dñus omnia labia subdola, 7
linguam grandiloquam,
[5] Eos qui dicunt: "linguâ nostrâ dominabimur, 7
quid loquamur, penes nos est! [b]
quis est dominus nobis?„

C [6] "Ob suppressionem miserorum, ob gemitum pauperum 10
nunc surgam„, dicit Dñus,
"ponam in salute desiderantem eam„.
[7] Eloquia Dñi sunt eloquia munda, 10'
sunt argentum eliquatum in officina [?] [c] ad terram,
[purgatum septies.

D [8] Tu, Dñe, custodies * nos, [d] 6
praeservabis nos ab ista generatione [e] in aeternum.
[9] In circuitu impii *superbe* inambulant, 6
praevalente insolentia *in* filiis hominum. [f]

Argumentum. *David saepe tam a Saulianis quam postmodum ab asseclis Absalomi multis infestabatur calumniis. In tali aliqua condicione psaltes* A) *multos esse perfidos et mendaces queritur*; B) *ut Deus iis obstet precatur*; C) *oraculo divino confortatus se ad spem erigit, ac* D) *quamquam adhuc praevalet insolentia impiorum, optima sperat.* — (2, 2; 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *in corde et corde.*

[b] Hebr. *labia nostra nobiscum.*

[c] Quid sit *'ălîl'* iam veteres interpretes nescisse videntur; recentes vel *vas liquatorium* vel *fornacem* (Targ.) vel *fabricam seu officinam* supponunt. —

[d] Hebr. *eos*, Hier. *ea* (eloquia).

[e] I. e. ab huiusmodi hominibus.

[f] Multo planior est sequela idearum et elegantior psalmi finis, si v. 9 ante v. 8 legitur.

Ps. 13 (Vg. 12). In diuturno vitae periculo oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVIDIS. *B*

A [2] Quousque, Dñe, obliviscéris mei perpetuo? 8
quousque abscondes faciem tuam a me?
[3] Quousque *immittes dolores animae meae, 8'
aerumnam cordi meo *omni die?
Quousque triumphabit inimicus meus de me? 8
[4] o aspice! exaudi me, Dñe, mi Deus!

B O illumina oculos meos, ne obdormiscam in mortem, 8'
[5] ne dicere possit inimicus meus: " vici eum „.
Adversarii mei iubilarent, si corruerem 7
[6] postquam in pietate tua speravi. [a]
Iubilet cor meum de salutari auxilio tuo, 7[x]
cantare mihi liceat de Dño: " bene providit mihi „.

Argumentum. *In diuturno vitae periculo psaltes* A) *suam miseram condicionem Deo querens exponit et eius auxilium implorat*; B) *eumque precatur ut Deus rem potius ad suam gloriam quam ad inimicorum gaudium exire iubeat.* — (3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Adversarii iubilarent non solum de victo Davide, sed riderent de confusa eius in Deum fiducia; ergo eorum victoria foret velut Deo ignominiosa. Supponimus in hoc sticho constructionem quam grammatici linguarum semiticarum " propositionem circumstantialem „ appellant. Indicat enim hic stichus *" et ego in pietate tua speravi „* circumstantiam aggravantem ad verbum praecedens *" si corruerem „*.

Ps. 14 (Vg. 13). Impii hostes populi punientur.

CHORI MAGISTRO. DAVIDIS. *B*

A Dicit insipiens in corde suo: " non est Deus „, 10
perverse, turpiter agunt,
non est qui faciat bonum.

B [2] Dñus de caelis prospexit super filios hominum, 10'
ut videret num quis esset intellegens, quaerens
[3] Omnes aberrarunt, pariter corrupti sunt, [Deum. 7
non est qui faciat bonum, ne unus quidem.

C [4] Desipiuntne [a] omnes malefactores, 9
qui devorant populum meum, ut comeditur panis, [b]
qui Deum non invocarunt? [tione iusti;
[5] Illic [c] pavebunt pavorem: nam Deus est in genera- 7'
[6] consilium miseri *si* irritare vultis, profecto Dñus
[est refugium eius.

D [7] Utinam veniat [d] ex Sion salus Israél, 9'
vertente Dño sortem populi sui exultet Iacob,
[laetetur Israël!

Argumentum. *Ad tempus rebellionis absalomianae, quando pene totus populus, ab impiis seductus, defecit, hoc carmen referri forsan possit, simulque supponi, hanc defectionem psaltae inspirato praebuisse occasionem (fere ut in ps. 2) meditandi universalem hominum a Deo defectionem (cf. Rom. 3, 11). Itaque psaltes* A) *defectionem hominum a Deo describit,* B) *ipsum Deum huius apostasiae testem facit,* C) *iustam impiis hostibus punitionem praesagit,* D) *meliora tempora populo apprecatur.* — (1, 2, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *Num ignorant* (cf. 82, 5). Sunt qui interpretentur: *nonne* (= profecto) *sentient,* sc. poenas luent, punientur.

[b] Longius exsequitur hanc imaginem Mich. 3, 2 s.

[c] *Illic*: suo loco et tempore, quondam; Mich. 3, 4 "tunc".

[d] Hebr. *Quis dabit... salutem.*

Ps. 15 (Vg. 14). Quis digne coram Deo appareat.

[1] PSALMUS DAVIDIS. *B*

A Dñe, quis hospitari potest in tabernaculo tuo, 5
quis habitare in monte sancto tuo?

B [2] Qui ambulat integer et operatur iustitiam 8
et cogitat veritatem in corde suo,
[3] non obtrectat linguâ suâ: [a]
Qui non affecit sodalem suum malis 7
nec ignominiam intulit propinquo suo:
[4] *Qui* contemptibilis *est* in suis oculis, abiectus, [b] 7'
timentes Dñum vero honorificat:
Qui iuravit * damnum subire et non mutat, [c] 8'
[5] pecuniam suam non dat ad usuram
et munuscula contra innocentem non accipit.

C Qui praestat haec, 5'
non labefactabitur in aeternum.

Argumentum. A) *Quis est dignus in Dei sanctuario apparere aut habitare?* B) *Iustus ex omni parte.* C) *Talis felix erit.* — (1, 4, 1 versus).

Adnotanda. [a] Cogitatione, verbo et opere iustus hoc versu breviter describitur. Vox *ĕmèt* non solum veritatem, sed etiam fidelitatem et saepe benignitatem denotat.

[b] Ita verti potest; talis humilis sui aestimatio Deo, qui in sanctuario habitat, placet (Is. 57, 15; Luc. 18, 13 s.), cum humilitate tali David coram Deo apparere voluit (2 Sam. 6, 21 s.: " humilis in oculis meis „). — Verti solet: 'is in cuius oculis homo reprobandus (i. e. impius) est contemptibilis'. Sed in hac explicatione minus placet aenigmatica sententiae constructio (duo participia paris formae, quorum unum esse debet subiectum, alterum praedicatum), designatio impii ut reprobati vel reprobandi; porro debetne peccator nobis, coram Deo apparentibus, nobis qui ipsi peccavimus, videri contemptibilis, et non potius nos ipsi?

[c] Iuravit aliquid sibi incommodum, detrimentosum, et tamen non quaerit praetextus evadendi obligationem susceptam. LXX Syr. verterunt: *iuravit proximo suo et non mutat.*

Ps. 16 (Vg. 15). Messiae in initio sacrae Passionis oratio.

MIKTAM. DAVIDIS. *B*

A Conserva me, Deus! nam confugio ad te; 9
[2] dico Dño: dominus meus es tu,
bonum meum non est *quidquam* praeter te. [a]
[3] Sancti, qui sunt in terra,[b] [meae. 6
ipsi sunt praeclari, in quibus sunt totae deliciae
[4] Multiplicant * suos dolores *qui* alii se *deo* devovent: [c] 9'
non libabo libationes eorum de sanguine
nec pronuntiabo nomina eorum [d] labiis meis.
[5] Dñus est pars hereditatis meae et calicis mei, 6'
tu es qui tenes [e] sortem meam.
[6] Funes ceciderunt mihi in iucunda, [f] 7
atque hereditas perpulchra obtigit mihi.

B [7] Benedico Dño, quod mihi consuluit [g] 7'
ac nocturnis horis me monuerunt renes mei. [h]
[8] Proposui Dñum coram me semper, 7
qui si a dextris meis *est*, non labar. [i]

9 Ideo iam laetatur cor meum et iubilat mens mea, 7r
caro quoque mea decumbet secura. [k]
10 Non enim relinques animam meam inferno,[l] 8
non sines pium *servum* tuum videre corruptionem. [m]
11 Monstrabis mihi semitam ad vitam, [n] 8r
saturitatem gaudiorum *istic* apud te, [o]
delicias ad dexteram tuam perpetim.

Praenotanda. Hic psalmus est messianus. Principes enim apostolorum Petrus (Act. 2, 25 ss.) et Paulus (ib. 13, 35) eo utuntur ad demonstrationem, praedictam fuisse Messiae resurrectionem ex mortuis. Considerari igitur potest ut oratio a Davide, propheta divinitus inspirato et in suis fatis typo Christi patientis, in ore Messiae posita. — Nonnulli versus psalmi per se valde obscuri fortasse ex historia Davidis nonnihil lucis accipiunt. David a Saul rege eiusque asseclis tamdiu et tam pertinaciter ad necem quaerebatur atque huc illuc exagitabatur, ut bis ex patria excedere et apud gentiles hospitari debuerit (1 Sam. 22, 4; 27, 1 ss.); si ipsi Sauliani eum verbis ad deserendam patriam et colendos deos alienos provocabant (1 Sam. 26, 19 " abi! servi diis alienis! „), quanto magis illi gentiles eum ad deficiendum a populo Deoque suo sollicitasse censendi sunt! Unde facile est intellegere, quomodo David potuerit et debuerit se precando munire contra eiusmodi tentationes (vv. 2-4 psalmi). — Sed nonne anima Christi similia passura, similesque tentationes subitura erat? Christus a suo populo, quem tantopere amabat et beneficiis afficiebat, odio habetur, ad necem quaeritur, in mortem crudelem et ignominiosam agitur, et abiicitur; nonne tentari potuisset ad cogitationes amaras contra plebem tam ingratam? Porro iam semel (Mt. 4, 8; Lc. 4, 7) diabolus Iesum ad deficiendum a Deo tentare ausus erat et tum victus solum ἄχρι καιροῦ (Lc. 4, 13), i. e. opportuniore tempore rediturus, ab eo recesserat. Opportuna igitur hora passionis, ut Patres sentiunt, inimicus similes tentationes animae Iesu pavore conturbatae suggessit; " haec omnia tibi dabo „, dixerit, " ab hac tanta ignominia et morte praeservabo te, si cadens me adoraveris „. Et Christus, si non pro sua anima, certe pro suis, pro futuris confessoribus et martyribus, passionis et tentationum Christi consortibus, qui saepe crudelissime ad deficiendum a populo Dei et a cultu veri Dei ad idololatriam urgebantur, habuit cur oraret et orando se suosque in fidelitate erga Deum muniret. Haec et talia qui consideraverit, facilius iam intelleget, quomodo Spiritus S. talia verba, qualia in vv. 2–4 legimus, suggerere et in ore Messiae futuri ponere potuerit. — *N. B.* Ex v. 10, qui in Davide eo sensu, qui hic postulatur, nequaquam impletus est, sequi videtur, hunc versum et consequenter totum psalmum de solo Messia, non de Davide ut typo Messiae, intellegendum esse. Deus igitur Davidi in tam misera condicione constituto solum occasionem praebuit altiora de Messia contemplandi, lumine inspirationis praevidendi et hoc carmine eloquendi.

Argumentum. *Messias, dum impositam sibi Passionem aggreditur,* A) *Deum Patrem ut dominum et unicum bonum agnoscens, omni tentatione contraria fortiter superata, se Patris voluntati subiicit et cognitam Dei voluntatem ut sortem iucundam sibi divinitus destinatam acceptat;* B) *gratiis*

Deo actis pro manifestato sibi divino consilio fortiter pati decernit, quin etiam laete, quippe sperans resurrectionem ex mortuis et glorificationem ad dexteram Dei. — (5, 5 versus).

Adnotanda. [a] LXX: *bonorum meorum non indiges*, S. Hier. et Symm.: *bene mihi non est sine te.*

[b] Alii vertunt: *sanctis* (vel *de sanctis*) *qui sunt in terra* sc. dico: *ipsi sunt* etc. — *Sancti in terra* erant Davidi populus Israel in terra Palaestina, Christo item, et sensu ampliore populus Dei sua passione redimendus.

[c] *mahàr* verbum proprie emptionem sponsae pro pretio indicat, hic usu venit de devovendo se alieno deo pro aliquo emolumento temporali.

[d] *nomina* scil. deorum, quos invocando colunt.

[e] De vocis *twmjk* lectione non certo constat; cfr. Crisin textus.

[f] In distributione terrae agri singulis obvenientes funiculis iactis designabantur. Tali metaphora designatur idea: "sors mihi divinitus assignata mihi placet„.

[g] Deus Messiae in Oliveto consilium dedit, quid agere conveniat, quid maxime Patri placeat.

[h] *Renes* sunt Hebraeis imago partis intimae seu ethicae animi, quam solus Deus intuetur (Ps. 7, 10. Sap. 1, 6 al.), fere = conscientia quae hominem monet quid agendum sit. — *jissàr* 'monuit' ut Is. 8, 11.

[i] *non labi* = non animo deficere, fortem et constantem esse.

[k] Ubicumque corpus iacebit, nihil mali timet.

[l] *Non relinques animam inferno* ut praedam retinendam, sed mox inde reduces. (Sensus non est: 'non sines animam meam venire ad inferos'; nam Christi anima revera "descendit ad inferos„).

[m] Quid est *lir'ôt šàḥat?* num *videre foveam, videre sepulcrum*, ut recentes nonnulli vertunt? minime: nam Christus vidit sepulcrum, "sepultus est„. Potius vertendum est: *videre* (= gustare, experiri) *corruptionem.* Etenim α) veteres h. l. ita verterunt: LXX Syr. Hier.; β) radici *šḥt* significatio corruptionis physicae (Ier. 13, 7) et ethicae convenit, ergo non est cur denegetur nomini; γ) *bē'ér šàḥat* Ps. 55, 24 probabilius est 'puteus corruptionis' quam 'puteus foveae'; δ) *ra'á* 'videre, experiri' solet cum nominibus abstractis coniungi (videre vitam, mortem, famem); ε) denique argumentum apostolorum solum vim habet, si locus ita intellegitur; Christus enim vidit revera sepulcrum, non vero expertus est corruptionem.

[n] Genetivus post nomen *via* (nisi est qualitativus: via iustitiae) solet indicare terminum quo: ergo 'viam ad vitam', resurrectionem.

[o] Hebr. *cum facie tua.*

Ps. 17 (Vg. 16). Innocentis contra impios inimicos (seductores) oratio.

1 ORATIO. DAVIDIS. *A*

A O audi, Dñe, iustam causam, 10,
attende ad supplicationem meam,
ausculta orationem meam *ex* labiis non dolosis.

[2] A conspectu tuo iudicium de me prodeat, 7,
oculi tui cernant quid aequum sit.[a] [ploras,
[3] *Si* probas cor meum, *si me* visitas nocte, *si* me ex- 9,
haud invenies me cogitasse, quod proloqui nefas
[esset.[b]
[4] In actionibus humanis, iuxta verbum labiorum tuorum, 7.
ego servavi vias divini praecepti.[c]
[5] Firmiter inhaeserunt gressus mei semitis tuis, 5,
non titubaverunt pedes mei.

B [6] Ego te invoco, quia *scio*, exaudies me, Deus: 6,
inclina aurem tuam mihi, audi sermonem meum.
[7] Mirificam ostende pietatem tuam, 10.
qui salvas confugientes ab hostium *infestatione* ad
[8] custodi me ut pupillam oculi. [dexteram tuam,
Tegmine alarum tuarum absconde me 5.
[9] a facie impiorum qui mihi vim inferunt!

C Inimici mei cum furore circumveniunt me, 9.
[10] immisericors cor suum[d] claudunt,
ore suo loquuntur superbe.
[11] Passibus * suis nunc iam circumeunt me, 7,
oculos suos defigunt, *me* prostraturi in terram.[e]
[12] Speciem habent leonis inhiantis praedae, 7.
vel leunculi sedentis in latebris.

D [13] O surge, Dñe! 5,
occurre illi obviam, prosterne eum!
Eripe animam meam ab impio, gladio tuo, 7,
[14] ab *istis* viris, dexterâ tuâ, Dñe:
A viris — *nimis* * diuturna est pars eorum in vita,[f] 7.
et thesauris tuis * impletur venter eorum;
Saturantur filii, 5.
et relinquunt, quod eis superest, parvulis suis.
[15] Ego *fac* in iustitia intuear faciem tuam, 6.
satier, evigilans, specie tua.[g]

Argumentum. *David, adhuc adulescens innocens, varias vehementesque insidias et fortasse seductorum tentationes sustinens, Dei tribunal appellat et instanter caeleste subsidium implorat:* A) *Audi me, Deus! mea enim causa*

est causa hominis plane innocentis; B) *ideo exaudi et protege me*; C) *nam inimici sine misericordia me infestant, tentant, perdere satagunt;* D) *proinde succurre, libera me ab iis, et fac ut ego server iustus et videre merear faciem tuam.* — (5, 3, 3, 5 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *cernant aequitatem.*

[b] Hebr. *non invenies*, quod *cogitavi* aliquid quod *non transire deberet os meum*, i. e. omnino candide, sincere, loquor.

[c] Verti solet: *observavi* [nempe, ut mihi vitandas] *vias hominis violenti* (hebr. *parîṣ*) Hier. *latronis.* At enim mirus esset talis modus loquendi, et *šamàr* potius usuvenit de 'observando, exsequendo' praecepto. Hinc vox *parîṣ* hic potius ad eam radicem semiticam referenda videtur a qua derivatur ex. gr. assyriace *parṣu* 'mandatum dei vel regis', arabice *farḍ* et *farîdah* 'mandatum divinum'

[d] Hebr. *adipem suum*, cum quadam ironia: loco cordis humani, sentientis et compatientis, isti habent adipem stupidum, brutum.

[e] Describitur, quomodo bestiae aggressurae praedam lentis passibus, oculis in eam defixis, circumambulent.

[f] Versus 13 s., propter textum fortasse corruptum, perobscuri sunt et varie per singula explicantur. Ex verbis, ut praeiacent, contextu considerato, textus quem versio nostra indicat, elici posse videtur; cfr. Crisin textus. Antepenultimus versus carminis verti solet a recentibus ferme ita: *A viris de mundo, quorum pars est in vita* (qui fruuntur vitae bonis), *quorum ventrem imples thesauris tuis.* Cf. commentarios.

[g] Fac ut innocenter vivam et tandem te beate videam. Cfr. 11, 7; 49, 16; 73, 24.

Ps. 18 (Vg. 17). Regis David pro victoriis gratiarum actio.

[1] CHORI MAGISTRO. SERVI DEI DAVID,
qui locutus est Dño verba huius carminis, quando eum eripuerat Dñus de manu omnium inimicorum eius et de manu Saulis. [2] Dixit igitur:

A

A Amo te, Dñe, fortitudo mea, 8,
[3] Dñe, petra mea et arx mea et refugium meum.[a]
Deus meus, rupes mea in quam suffugio, 6,
clipeus meus et cornu salutis[b] meum, asylum
[4] * Laudans invoco Dñum, [meum. 5,
et ab inimicis meis salvus fio.

B [5] Iam me circumstrepebant * fluctus mortis, 6.
et torrentes Averni terrebant me:

[6] Funes Inferni me circumplexi sunt, 6,
praeoccupaverunt me laquei mortis.
[7] In periculo meo invocabam Dñum, 5.
et Dei mei auxilium implorabam.

C Audiit ex palatio suo vocem meam, 8.
et meus coram eo clamor pervenit ad aures eius.
[8] Et concussa est et contremuit terra, 9,
et fundamenta montium nutabant,
et concussa sunt, quia iratus erat.
[9] Ascendit fumus, per iram eius, 9.
et ignis ex ore eius *prodibat* vorans,
carbones [c] exarserunt ab eo *succensi.*

D [10] Et declinavit caelum et descendit, 5,
atrum nubilum habens sub pedibus suis.
[11] Et vectus est super cherub et volavit, 6.
et devolavit super alas venti.
[12] Ponebat tenebras, velamen suum, circum se, 7,
velut tegumen suum caliginem aquosam, nubila [aetheris.
[13] Prae fulgore ante eum nubes eius exundarunt, 6,
grando *cadebat* et scintillae ignis.

E [12] Et tonuit in caelo Dñus, 8,
et Altissimus emittebat vocem suam
grando *cadebat* et scintillae igneae.
[15] Et misit sagittas suas et dissipavit illos, 6.
et fulmina *iecit multa et consternavit eos.
[16] Et apparuerunt rivi aquae, 7,
et retecta sunt fundamenta orbis terrae
Ab increpatione *Dñi, 4,
ab halitu spiritus irae * eius. [d]

F [17] Porrigebat de excelso, prehendebat me, 6,
extrahebat me ex aquis multis.
[18] Eripiebat me inimico meo truci, 6.
et osoribus meis, quia me valentiores erant.
[19] Praevenire me volebant die mihi fatali, 6,
sed exstitit Dñus praesidium mihi.

[20] Et eduxit me in tutum, [e] 7,
eripiebat me quia ei placebam.

G [21] Remunerabatur me Dñus pro iustitia mea, 5,
pro puritate manuum mearum [f] rependebat mihi.
[22] Nam custodiveram vias Dñi, 6.
nec impie defeceram a Deo meo.
[23] Omnia enim edicta eius mihi prae oculis erant, 6,
et statuta eius non aversabar.
[24] Sed fui integer erga eum 6.
et cavi mihi, ne delinquerem.
[25] Et retribuit mihi Dñus secundum iustitiam meam, 5,
pro puritate manuum mearum coram oculis eius. [g]

H [26] Erga pium te ostendis pium, 5.
erga virum integrum integre agis.
[37] Erga mundum te monstras mundum, 4.
erga perversum vero versute te geris.
[28] Tu enim populum *humilem [h] salvas, 6,
oculos vero elatos [i] humilias.
[29] Enimvero tu facis ut luceat lucerna mea, Dñe, 7.
Deus meus illuminat tenebras meas.
[30] Profecto te fretus assilire audeo in agmen, 5,
Deo meo fretus transilio murum.

I [31] Dei perfecta est via, 9,
eloquium Dñi est bene probatum,
clipeus ipse est omnibus confugientibus ad se.
[32] Quis enim est Deus praeter Dñum, 7,
aut quod numen praeter Deum nostrum,
[33] Hunc fortem Deum qui me accinxit virtute 6.
et reddidit prosperrimam [k] viam meam?

K [34] Qui aeque *celeres* fecit pedes meos ac cervorum 7.
et super excelsa mea me *victorem* statuit:
[35] Qui docuit manus meas bellum, 7,
et brachia mea *tendere arcum aereum:
[36] Et tradidisti mihi tuum clipeum salutis, 8.
et dextera tua me fulciebat
et sollicitudo tua me grandem reddebat.

L [37] Efficiebas ut latis passibus currerem, [l] 5.
neque labaverunt pedes mei.
[38] Persequebar inimicos meos et assequebar eos, 6.
nec revertebar, donec eos deviceram.
[39] Conterebam eos nec poterant resurgere, 5.
cadebant sub pedibus meis.

M [40] Et accinxisti me fortitudine ad bellum, 7.
subigens mihi eos qui contra me surrexerant.
[41] Et inimicos meos 'coegisti ut tergum verterent' [m] 5.
et osores meos ad silentium * redigebas.
[42] Vociferabantur — sed non erat qui salvaret, 4.
ad Dñum — nec exaudivit eos.
[43] Et dispellebam eos, ut pulverem ventus, 5.
velut lutum platearum * conterebam eos.

N [44] Liberabas me a seditionibus populi, 9.
constituebas me caput gentium,
populus quem non noveram mihi serviebat.
[45] 'Attenta aure' se mihi oboedientes praestabant, 4.
alienigenae mihi cedebant. [n]
[46] Alienigenae expallescebant, [o] 5.
et prodibant ex claustris suis.
(Hic ponatur versus 50)

O [47] Vivat Dñus! et benedictum sit numen meum! 6.
et exaltetur Deus salutis meae!
[48] Ille fortis Deus qui mihi concessit vindictas 6.
et subegit populos mihi:
[49] Qui me liberavit ab inimicis meis 8.
atque iis qui contra me surrexerant me superiorem
a viro violento me eripiens: [p] [reddidit,
[50] [Ideo gratias *sine ut* tibi agam in gentibus, Dñe, 6.
et nomini tuo psallam]. [g]
[51] Qui magnas tribuit victorias regi suo 8.
et fecit pietatem uncto suo, Davidi,
et semini eius usque in aeternum.

Argumentum. A) *Amo et laudo Deum, protectorem meum,* B) *qui in periculo invocatus,* C) *me audivit,* D) *caelitus descendit,* E) *tempestate hostes terruit,* F) *me salvum eduxit.* G) *Sic pro mea innocentia remuneratus est me*

H) *iustitiae amator.* I) *Quis est sicut hic Deus? qui* K) *me ad bellum aptum fecit,* L) *in persequendis hostibus me iuvit,* M) *victos mihi subiecit,* N) *me regem plurium gentium fecit*; O) *benedictus sit Deus pro tot beneficiis!* — (3, 3, 3, 4, 4, 4; 5, 5; 3, 3, 3, 4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Propter nomina praecedentia praestat legere *miflatî* refugium meum, quam *m.fall.tî* servator meus.

[b] Haec imago Hebraeis frequens sumpta est ab animalibus cornutis, qui cornu se defendunt et salvant.

[c] Scil. fulgetra prima tempestatis.

[d] TM.: *ab increpatione tua, Dñe,... irae tuae.*

[e] Hebr. *in latitudinem.*

[f] Meritum innocentiae meae.

[g] Cuius ipse testis erat.

[h] Propter oppositionem ad superbos sequentis stichi lectionem LXX praeferre libuit; TM. *'anî* miserum'.

[i] I. e. homines superbos.

[k] Hebr. *integram, perfectam.*

[l] Hebr. *latos faciebas passus meos sub me.*

[m] Hebr. *... dedisti mihi dorsum.*

[n] Hoc verbum (proprie *mentiri*) saepe dicitur de eo qui deficientibus viribus praestare non potest quod antea se facturum gloriatus est; libere vertere possumus: *alicui* (fortiori) *cedere.*

[o] Verbum *nabàl* dicitur de foliis pallidis ab arbore defluentibus, hic de victis cum pallido pavore se victori dedentibus.

[p] Textus hebr. verba in " 2ª persona „ enuntiat.

[q] Hic versus *Ideo gratias agam* etc. certe melius pronuntiaretur initio gratiarum actionis, quam — interrupta serie participiorum — in media. — Si post v. 46 ponitur, habetur apta conclusio orationis praecedentis, aptus transitus ad laudem finalem, aptior stropharum divisio, a v. 48–51 continua series attributorum Dei.

Ps. 19 (Vg. 18). Deus mundum sideribus, hominum mentes Lege sua illuminat.

[1] CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID. *A*

A [2] Caelum narrat gloriam Dei,[a] 7
et operationem manuum eius nuntiat firmamentum.[a]
[3] Dies diei fundit verbum,[b] 4
et nox nocti explanat scientiam.
[4] Non est sermo nec sunt verba, 4[1]
inaudibilis est vox illorum.
[5] In totam *tamen* terram exit praeconium eorum 7'
et in fines orbis terrarum eloquia eorum. —

Soli posuit tabernaculum in illo,[c] 10
[6] et is est sponso similis procedenti ex thalamo suo,
gaudet velut gigas cursurus viam.
[7] A fine caeli fit egressio eius 10'
et circuitus eius usque ad ultimos limites eius,
et nihil se subtrahit calori eius. —

C

B [8] Lex Dñi est perfecta: restaurat animam,[d] 9
testimonium Dñi est fidum: sapientiâ imbuit rudem.
[9] Praecepta Dñi sunt recta: laetificant cor, 9
mandatum Dñi est mundum: illuminat oculos.
[10] Timor[e] Dñi est purus: permanet in saecula, 10
iudicia Dñi sunt veritas: iusta sunt universa.
[11] Sunt desiderabiliora auro et obrizo multo 7
et dulciora melle et liquore favi. —
[12] Etiam servus tuus illustratur illis: iis servatis habetur 10
[merces multa;
[13] delicta quis animadvertit: ab iis quae *me* latent
[absolve me.
[14] A passionibus quoque[f] cohibe servum tuum: 9
ne dominentur in me! tum integer ero
et innocens a delicto gravi. —

[15] Sint grata verba oris mei 9
et meditatio cordis mei coram te,
Dñe, petra mea et redemptor meus!

Argumentum. A) *In mundo aspectabili sidera nobis de Deo narrant sermone auribus inaudibili, — praesertim sol, qui circuitu suo cotidiano ac calore summa beneficia mundo praestat.* — B) *Item in ordine ethico revelatio seu praecepta Dei nos de Deo docent nobisque magna bona conferunt*; — *quare psaltes, hanc doctrinam sibi applicans, animum suum perscrutatus, delictorum veniam flagităt et auxilium divinum ad legem Dei observandam. Ultimus versus strophae alterius schema C et totum psalmum bene absolvit.* — NB. *Utrum psalmus sit unum carmen continuum an vero ex duobus carminibus compositus, commentatores disputant. Argumentum satis diversum, et absentia transitus a priore parte ad alteram multis persuadet esse duo carmina. Non sunt tamen ideae ita diversae, ut non potuerint a psalte eo modo quem in inscriptione innuimus, optime copulari.* — (4, 2 versus — 4, 2 versus, cum epilogo).

Adnotanda. [a] Nos docent, in creando mundo operatum esse Deum maxime potentem, sapientem, beneficum.

[b] Sunt qui censeant, etiam verti posse: *de die in diem* firmamentum *fundit verbum, et de nocte in noctem explanat scientiam.*

[c] Sc. in caelo (hebr. *bahèm*, quod ad *šamájim* refertur).

[d] In ordine ethico lex Dei reddit vitam mortuo, sanitatem aegroto, vigorem lasso.

[e] *Timor Dei* hic tota observatio legis Dei, seu lex Dei docens nos timere Deum. Quia in hoc psalmo ceterum eadem nomina Legis occurrunt quae in ps. 119, collatis etiam locis Ps. 12, 7; 119, 89 s. 140, quidam coniiciunt, pro *jir'àt Iahwè* (timor Dñi) hic prius scriptum fuisse *imràt Iahwè ṭ.horâ* 'eloquium Dñi est purum'.

[f] *zedîm* hic in contextu videntur esse superbi et protervi animae motus, passiones. De aliqua re inordinata in ipsa precantis anima agi patet ex particula *quoque*, qua *zedîm* delictis coordinatur, — ex petitione *cohibe me* (de superbis hostibus diceret: *cohibe illos!*), — ex sequela *tum integer ero et innocens a delicto grandi.*

Ps. 20 (Vg. 19). Populi in bello pro rege oratio.

1 CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID. *A*

A 2 Exaudiat te Dñus die adversitatis, 6,
protegat te nomen Dei Iacob.
3 Mittat tibi auxilium de sanctuario, 5,
et de Sion suffulciat te.
4 Memor sit omnium oblationum tuarum, 5.
et holocaustum tuum gratum habeat.[a] SELA.
5 Det tibi quae optat cor tuum, 5,
Et totum consilium tuum impleat.
6 Exsultare possimus de victoria tua. 10,
et per nomen Dei nostri triumphare[b]!
impleat Dñus omnes petitiones tuas!

B 7 Nunc iam novi, 5.
quod victoriam tribuit Dñus Christo suo.
Exaudiet illum de caelis sanctis suis 6,
per potentiam opiferam dexterae suae.
8 Illi curribus et isti equis, 10.
nos vero nomine Dñi, Dei nostri, *fortes erimus.
9 Illi *certo* collabentur et cadent,[c] 6,
nos vero stabimus et superstites erimus.
10 Dñe, o victoriam tribue regi, 6.
*et exaudi nos *hoc* die quo *te* invocamus.[d]

Argumentum. A) *Preces pro felici successu alicuius belli funduntur;* B) *certa spes victoriae reportandae pronuntiatur, quae in fine rursus instanter petitur.* — (5, 5 versus).

Adnotanda. [a] Verbum *dišš́n* derivant alii a *dašń* 'pinguis est' et explicant 'holocaustum tuum *ut pingue* (ideoque sibi gratissimum) *agnoscat'*; alii a *dèšen* 'cinis' et vertunt 'holocaustum tuum (utpote sibi gratum, igne caelitus misso) *in cinerem convertat'* (cfr. 3 Reg. 18, 24. 38; 1 Par. 21, 26; 2 Par. 7, 1); in utraque suppositione idea praevalens est certe haec: *illud benigne acceptet!*

[b] Vel: vexilla (*dègel*) erigamus.

[c] In hebr. habetur perfectum confidentiae.

[d] Secundum nonnullos: *victoriam tribue: Rex* (scil. Deus) *exaudiat nos* etc.

Ps. 21 (Vg. 20). Populi pro regis victoria gratiarum actio.

[1] CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID. *A*

A [2] Dñe, de potentia tua laetatur rex, 7,
et de subsidio tuo — quam iubilat valde!
[3] Desiderium cordis eius tribuisti ei, 7.
et vota labiorum eius non denegasti. SELA.
[4] Nam praevenis eum benedictionibus faustis, 5,
imponis capiti eius diadema aureum.[a]
[5] Vitam petiit a te, dedisti ei: 8,
longaevam, aeternam![b]
[6] Magna est gloria eius per subsidium tuum, 8.
decus et honorem congeris super eum.
[7] Etenim constituis eum benedictionibus *plenum* in saeculum, 6,
exhilaras eum laetitia in conspectu tuo.
[8] Nam rex confidit in Dño, 6.
et per favorem Altissimi inconcussus stat.[c]

B [9] Superveniat*[d] manus Tua omnibus inimicis Tuis,[e] 6,
dextera Tua inveniat odientes Te!
[10] Pones eos velut *in* camino ignis, 4,
tempore quo apparebis.[f]
Dñus irâ suâ conficiet eos, 4.
et consumet eos ignis.
[11] Subolem eorum de terra Perdes 6.
et posteritatem eorum ex filiis hominum.

[12] Si quid intentant in Te mali, 6,
si excogitaverint dolum, nihil valebunt.
[13] Nam in fugam eos Convertes, 5.
tenso arcu Tuo collineans in pectus eorum.[g]
[14] Exaltare, Dñe, in fortitudine tua, 6.
fac cantare possimus et psallere potentiam tuam.

Argumentum. A) *Pro relata victoria, vita regis servata, acquisitis ab eo bonis et honoribus gratiae Deo aguntur;* B) *rogatur Deus, ut omnes suos hostes ita prosternat.* — (7, 7 versus).

Adnotanda. [a] Cfr. 2 Sam. 12, 30; ideo ad tempus huius belli ammonitici psalmi 20 et 21 a nonnullis referuntur.

[b] Hebr. *longitudinem dierum, saeculum et aeternitatem;* ut in formula gratulatoria 'vivat rex in aeternum!' subest decens hyperbole, ita similia verba, si ad regem referuntur, humano modo explicanda et metienda sunt: indicatur vel optatur vita quam longissima, ab omni periculo et infestatione libera. In applicatione typica psalmi ad Christum regem triumphatorem hyperbole transit in veritatem.

[c] Verbis *in Domino, in favore Altissimi* allocutio Dei non est censenda interrupta esse; nam Hebraei etiam aliquem alloquentes facile a 2[a] ad 3[am] personam transeunt.

[d] Verbum *maçá'*, primitus 'aliquo venire, pertingere', dein transitive 'invenire', hic (ut Iob 11, 7) cum quadam elegantia utroque modo usurpatur; quod aliquatenus verbis latinis 'supervenire, invenire' imitatur versio.

[e] Quis est quem psaltes alloquitur? Ut quidam censent, ipse rex. Nos in tota strophe B quoque verba ad Deum dirigi arbitramur. Nam in tota prima strophe Deum allocutus, psaltes ad alloquendum regem transire non potest sine aliqua regis honorifica appellatione; atqui talis non adest. Porro tales preces quales versibus 10-13 exprimuntur, in carmine publice cantando ad regem dirigi vix possunt; ad Deum dirigi queunt, quia iusta Dei ira talibus coloribus et imaginibus depingi solet; atque omnino apte Deus rogatur ut omnes hostes regni sui prosternat.

[f] Hebr. *panîm*, 'tempore faciei tuae'; *panîm* saepe alicuius conspectum, praesentiam, adventum designat. An *panîm* hic, ut 34, 17, Dei vultum iratum seu iram indicat = 'tempore irae tuae'?

[g] Eadem vox *panîm* non solum faciem, sed totam 'partem anteriorem' rei vel hominis denotat; libere vertamus '*pectus*'.

Ps. 22 (Vg. 21). Eli eli lamma sabacthani?

[1] CHORI MAGISTRO SUPER CERVAM AURORAE. PSALMUS DAVID. *A*
A [2] Mi Deus! mi Deus! quare dereliquisti me, 9,
longe absunt a Salute mea[a] verba rugitus mei?

[3] Mi Deus, clamo interdiu, nec respondes, 6,
et noctu, nec est requies mihi.[b]
[4] Et tamen tu es Sanctus, qui habitas inter laudes Israel, 9.
[5] in te speraverunt patres nostri,
speraverunt et liberasti eos.
[6] Ad te clamaverunt et erepti sunt, 6.
in te confisi sunt, nec sunt confusi.
[7] Ego vero sum vermis, non homo, 6,
opprobrium hominum et contemptus a populo.
[8] Omnes qui me vident, subsannant me, 6.
diducunt labium, agitant caput.
[9] " Commendatus est Dño, *inquiunt*, liberet eum ! 6,
eripiat eum, quoniam placet Ei ! „
[10] Profecto tu es *fiducia mea[c] inde ab utero, [meae.[d] 6.
qui securum me reddebas iam in gremio matris
[11] Tibi concreditus sum inde ab utero, 6,
iam ex quo gestabar a matre,[e] Deus meus es.

B [12] Noli procul manere a me ! 6.
nam periculum prope instat,
nam nemo est qui subveniat.
[13] Circumstant me iuvenci multi,[f] 6,
tauri Basan me circumeunt.
[14] Aperiunt contra me os suum, 6.
ut leo rapax et rugiens.

C [15] Velut aqua effusus sum,[g] 5,
et distorta sunt omnia ossa mea.
Factum est cor meum velut cera, 5.
colliquescit intra ventrem meum.
[16] Exaruit velut testa *palatum meum, 8,
et lingua mea agglutinata est faucibus meis,
et in pulvere mortis deponis me.

D [17] Nam circumstant me canes, 5,
caterva maleficorum cingit me.
Foderunt*[h] manus meas et pedes meos, 6,
[18] *numerare possum omnia ossa mea.
Ipsi aspiciunt et intuentur me, 8.
[19] dividunt vestimenta mea sibi,
et de tunica mea mittunt sortem.

E [20] Tu igitur, Dñe, ne procul detineas adiutorium meum, 5.
ad mihi auxiliandum propera.
[21] O eripe ex gladio animam meam, 5,
ex potestate canis me desolatum.[i]
[22] Salva me ex ore leonis, 6.
et a cornibus bubalorum, *exaudiens me.[k]

F [23] *Fac* narrare possim nomen tuum[l] fratribus meis, 5.
in medio coetu te laudare:
[24] [d] Qui timetis Dñum, laudate eum, 10,
universi posteri Iacob, glorificate eum,
et reveremini eum, omnes posteri Israël.
[25] Nam non sprevit nec contempsit miseriam miseri, 11,
nec avertit faciem suam ab eo,
sed, auxilium suum implorantem, eum audivit.
[26] Te favente *auditur* [m] hymnus meus in coetu numeroso, 6,
vota mea persolvo coram timentibus eum.
[27] Manducent humiles et se satient,[n] 8,
laudent Dñum qui quaerunt eum,
vivat cor *vestrum in sempiternum.
[28] Recordentur et revertantur ad Dñum omnes fines terrae, 10.
et adorent *eum universae familiae gentium.
[29] Nam Dñi est regnum, et dominatur in gentibus, 6.
[30] *solum ipsum[o] adorent.
Omnes optimates terrae[p] coram eo se incurvent, 8.
omnes qui descenderunt in pulverem et qui sese
[sustentare non valuit.[q]
[31] Posteritas *mea[r] ei serviat: narret de Domino gene- 11.
[rationi [32] *venturae,
et praedicent eius iustitiam populo nascituro, quod
['id fecit *Dñus'. „

Argumentum. *Christus moriens in cruce prima verba huius psalmi alta voce clamavit et ita quodammodo totum carmen de se dici innuit, et nobis meditandum commendavit. " David, Messiae patienti quasi unitus, eius personam sustinuisse et ex eius animo hanc precationem fudisse dicendus est, qua eius dolores non minus quam fructus passionis eius tam aperte vaticinatur „* (Cornely). — A) *Messias Patri conqueritur, quantopere sit desolatus: ab ipso enim Deo se derelictum sentit; dum Deus olim patres exaudivit, Servus Domini est vermis, cuius nemo miseretur; in ipsis blasphemiis inimicorum aliquid specie verum inest, id quod Patri confidenter proponit; sua a teneris in Deum fiducia ei dat quoddam ius exauditionis. In media parte, quae pre-*

cando incipitur et finitur, Messias describit, quae et quanta patiatur; scilicet B) *a circumstantibus illusus*; C) *in cruce pendens: nempe membris distortis, corde per agoniam coangustato, siti mortisque vicinia elanguescens*; D) *a crucifixoribus cinctus, nudus eorum obtutui expositus, dum ipsi de vestibus eius sortes mittunt; quare* E) *fervida prece, ut ab iis eripiatur, poscit.* F) *In ultima parte fructus Passionis Messiae per resurrectionem liberati et glorificati adumbrantur; hi fructus erunt: gratiarum actio Messiae cum redempto a se populo, epulum sacrificale eucharisticum ad laudem Dei et vivificanda corda fidelium, salus totius mundi seu conversio gentium ad Deum, Dei cultus et annuntiatio huius magni divini operis Redemptionis a generatione in generationem.* — (9; 3, 3, 3, 3; 9 versus).

Adnotanda. [a] *A salute mea*, i. e. a te qui es salus mea (cf. 35, 3; 38, 23).

[b] Melior ad " *nec respondes* „ parallelismus obtinetur, si explicamus — similiter ac Syrus — " *et non attenditur ad me* „ (cf. Crisin textus).

[c] Syr. Hier. vertunt: *fiducia mea* seu *protector meus* (cf. Crisin textus).

[d] Indicatur ea securitas, qua per Dei providentiam iam parvulus, " super ubera „ matris suae requiescens, fruitur.

[e] Hebr. *ex ventre matris meae.*

[f] Davidi psaltae, olim puero pastori, ob oculos versantur imagines vitae pastoralis, pericula a tauris ferocibus, canibus, leonibus etc. orientia; *tauri Basan*, cum in hac regione res pecuaria maxime floreret, appellari videntur tauri robore et ferocia praestantes.

[g] Aqua effusa, cum in vas recolligi minime possit, imago est ruinae totalis, irreparabilis (cf. 2 Sam. 14, 14); quia vero membrum parallelum potius sine imagine, quae patiatur, describit, negare nolim etiam veram effusionem, nempe sanguinis, hic innui.

[h] LXX *foderunt*, Syr. *disciderunt* seu *laceraverunt*, Hier. *fixerunt* vel (v. l.) *vinxerunt*; cf. Crisin textus. Verbum graecum et hebraicum " fossionem „ (velut fontis vel thesauri etc.) innuit; fossio in manibus et pedibus utique est perfossio horum membrorum.

[i] *unicam meam* seu *desolatam meam*, sc. animam: me desolatum.

[k] Hebr., ut videtur, abrupta constructione, " *et a cornibus bubalorum* — [confido] *exaudies me* „; LXX *et a cornibus unicornium humilitatem meam* = me miserum. Unica littera mutata legi posset *'innitáni* (cf. Ex. 21, 13) et verti " *et a cornibus bubalorum*, [in quos] *incidere me sivisti* „.

[l] *nomen tuum*, salutiferam praesentiam tuam, vel: gloriam tuam. Inde a v. 24 Messias a Deo salvatus " in coetu numeroso „ loquens, Deo gratias agens, fructus operis sui describens fingitur. Verba, praesertim inde a v. 27, sintne intelligenda prophetice (vertenda per futurum), an optative seu exhortative (vertenda per coniunctivum praesentis), ambigi potest. Revera neuter sensus excludi potest.

[m] Hebr. *de apud te*: per te fit ut nunc a me dicatur haec laudatio mea.

[n] Cum V T[i] sacrificiis eucharisticis coniungebatur epulum prope sanctuarium, ad quod egeni invitabantur; ad tale epulum psaltes facit Messiam fideles invitantem. Revera Messias instituit cenam eucharisticam, vitam spiritualem ac sempiternam tribuentem.

[o] Pro *'ak.lû* 'manducaverunt et adoraverunt' cum compluribus recentibus censemus, prima voce in duas divisa, aliisque vocalibus provisa, apte legi

posse *'ak-lô* 'solum ipsum adorent etc.' Haec lectio tam bene sticho praecedenti adnectitur, ut hoc ipso valde commendetur. — In ultimis versibus (29–32) verba non ab omnibus eodem modo in versus et stichos distribuuntur; ratio habenda est apti sensus, parallelismi membrorum, atque (si de ea satis constat) exigentiae metricae. Ceterum in variis versionibus sensus generalis haud multum differt.

p *Omnes pingues terrae* (hebr.) ad proximum versum trahere malumus: sic enim in hoc (penultimo carminis versu) exsistit aptus parallelismus inter *pingues*, optimates, divites, felices, et miseros humilesque quorum in altero sticho mentio fit; simul sensus verbi *adorent eum* fit amplior; adorent eum, sc. gentes, vel: omnes.

q Satis magna hic est lectionum, et hinc versionum factarum et possibilium, varietas. Hinc aliquid ut indubie certum proponi non potest. Secundum TM plerique nunc vertunt " *et qui animam suam non vivificavit* „, qui vitam suam sustentare non valet, pauperrimi; cum aliis vocalibus verti posset " *et is cuius anima non vivit* „, qui se miserum, tristem, velut mortuum sentit. *Qui descenderunt in pulverem* item humiles, infelices etc. significare videtur. Ceterum solus TM negationem *lô'* legit, alii ad summum *lô* (ei): unde LXX et Syrus " *et anima mea ipsi vivit* „, Hier. *et anima eius ipsi vivet:* quod explicantes fere ad Messiam resuscitatum referunt.

r *Posteritas:* TM, LXX add. *mea*; cfr. Is. 53, 10, ubi item Messiae passo " *semen* „ attribuitur, scil. coetus eorum qui ipsi vitam debent. Syrus iungit *posteritas quae ei serviet, narret* etc., Targum commentatur: *posteritas* Abrahae. Sensus a psalte intentus satis translucet: totus mundus futurus laudet Deum pro opere, quod per Servum Domini perfecit.

Ps. 23 (Vg. 22). Deus, bonus pastor suorum.

[1] PSALMUS DAVIDIS. *B*

A Dñus est pastor meus: nihil mihi deerit, 8
[2] in pascuis graminosis me recubare facit,
ad aquas quietas me adducit.
[3] Animam meam[a] refocillat, 8'
bene me dirigit in semitis rectis propter nomen suum.

B [4] Etiam si incedam per vallem Umbrae mortis, 5
non timeo mala.
Nam tu mecum es: 5'
fustis tuus et baculus tuus,[b]
ista me consolantur.

C [5] Paras coram me mensam exadversum tribulantes me,[c] 9

inunxisti oleo caput meum,[d]
calix meus ‘exuberat’.[e] [vitae meae,
[6] Mera bonitas et pietas me comitantur omnes dies 9'
et *habitare mihi *licet* in domo Dñi in longitudi-
[nem dierum.[f]

Argumentum. A) *Deus est pastor meus, qui vitae corporis animaeque optime providet;* B) *ipso duce nihil timeo;* C) *me cibat, potat, ungit, amanter in suam domum ducit. — Nonne aqua, oleum, mensa, calix inebrians, baculus, caput inunctum, habitatio in domo Domini, etc. in memoriam revocant maxima beneficia Boni Pastoris futura?* — (2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] An *reducit*, sc. si aberro? parallelismus hanc ideam suggerit et verbum *šobéb* eam exprimit (cfr. Is. 49, 5; Ier. 50, 19).

[b] Pastor cingulo suspensum gestat brevem *fustem* querceum, quo se gregemque defendat; et manu tenet longiorem *baculum*, quo nititur et oves dirigit et sub quo oves in ovile intrant vel inde exeunt (Verbum Domini I 23 s.).

[c] Quodammodo in conspectu luporum in vicinia vagantium ovi datur pabulum.

[d] In Oriente pastores dicuntur caput oviculae lassae oleo ungere.

[e] Quam familiari vitae consuetudine ovis in domo frui potuerit, lege in 2 Sam. 12, 3.

[f] Quamdiu vivam, in perpetuum.

Ps. 24 (Vg. 23). Dei sollemnis ad montem Sion ingressus.

[1] DAVIDIS PSALMUS. *A*
A Dñi est terra et quae eam implent, 6,
orbis terrarum et *omnes incolae eius.
[2] Nam ipse super maria fundavit eum, 5,
et super flumina stabilit eum.

B [3] Quis ascendere poterit in montem Dñi, 5.
et quis stare in loco sancto eius?
[4] Innocens manibus et mundus corde, 9,
is qui non dedidit sese nequitiae
nec iuravit cum dolo *proximo suo.

C [5] *Hic reportabit benedictionem a Dño, 7,
et iustitiam[a] a Deo salvatore suo.
[6] Talis est[b] generatio quaerentium *Dñum,[c] 6.
quaerentes faciem *Dei Iacob. SELA.

ד 7 Elevate, portae, capita vestra, 9.
et elevamini, ianuae antiquae,
ut ingrediatur Rex gloriae.
8 " Quis est iste Rex gloriae? " 9,
Dñus, fortis et potens,
Dñus, potens in proelio.
ה 9 Elevate, portae, capita vestra, 9.
et *elevamini, ianuae antiquae,
ut ingrediatur Rex gloriae.
10 " Quis est iste Rex gloriae? " 7.
Dñus Sabaoth est Rex gloriae. [*SELA]

Argumentum. *Carmen, ut in sollemni pompa, qua arca foederis ad montem Sion transferebatur (cf. 2 Sam. 6, 12 ss.; 1 Par. 15, 16), a levitis caneretur, compositum esse a multis censetur. Ii igitur qui in sollemni pompa ad montem sacrum ascendunt, canunt:* A) *Domini, utpote creatoris, sunt universa et universi;* B) *quam sanctos oportet esse ascendentes cum eo ad sanctuarium!* C) *tales utinam simus nos, qui hodie ad Deum venimus!* D) *aperite igitur portas! ingressurus est Iahve, fortis praeliator;* E) *aperite portas! venturus est Deus Sabaoth.* — (2, 2, 2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Vox *iustitia* interdum ex contextu orationis et, ut videtur, hic in parallelismo cum *benedictione*, designat beneficia gratiae divinae.

[b] Dici videtur: talis plebs Deo grata, beneficiorum divinorum avida iisque digna sumus nos, vel eia simus nos!, qui hic adsumus, ad montem sacrum ituri.

[c] *pithê 'olám* 'ianuae antiquae, priscae' dici videtur de portis arcis Sion, arcis vetustae Iebusitarum, per quas forte iam Melchisedech ingressus est. Postea, quando psalmus in templo cantabatur, fortasse cogitabatur optative de portis templi in perpetuum mansuris: *portae aeternales*.

Ps. 25 (Vg. 24). Professio fiduciae in Deum.

1 DAVIDIS. *A*
א A Ad te animam meam elevo, 5,
*Dñe, mi Deus.
ב 2 In te confido: ne confundar! 6,
ne exultent inimici mei de me!
ג 3 Omnino nulli in te sperantes confundentur, 7,
confundentur ii qui rebellant, vacui.[a]
ד 4 Vias tuas, Dñe, fac cognoscam, 5.
semitas tuas doce me.

ה [5] Dirige me veritate tua et doce me, 10.
nam tu es Deus salutis meae,
te exspecto assidue. [pietatis tuae,
ו [6] Reminiscere misericordiae tuae, Dñe, ac frequentis 6.
nam ab antiquissimo tempore sunt.
ח [7] Mea peccata adulescentiae ac delicta ne memineris, 10.
pietatis tuae recordare tu pro me,
propter bonitatem tuam, Dñe.

ט B [8] Bonus et rectus est Dñus, 7.
ideo edocet peccatores de via.
י [9] Dirigit humiles in *calle* iustitiae, 6,
et docet mansuetos viam suam.
כ [10] Omnes semitae Dñi sunt pietas et fides 6.
erga eos qui observant foedus ac monita eius.
ל [11] Propter nomen tuum, Dñe, 6,
condona culpam meam: profecto multifaria est.
מ [12] Quis est vir timens Dñum?[c] 7,
eum Instruit de via quam eligat.
נ [13] Ipse[d] in bonis commorabitur, 5,
et posteritas eius possidebit Terram.[e]
ס [14] Familiaritas Dñi *obtingit* timentibús eum, 4,
et foedus suum iis communicat.[f]
ע [15] Oculi mei semper ad Dñum, 7.
quia ipse expedire poterit e reti pedes meos.

פ D [16] Converte te ad me et miserere mei, 5.
nam desolatus et miser sum.
צ [17] Angustiae cor meum *opprimunt,[g] 6.
ab anxietatibus meis educ me.
ק [18] *Fini[h] miseriam atque aerumnam meam, 6,
et condona omnia peccata mea.
ר [19] Vide inimicos meos: nam multi sunt, 6.
et odio iniquo oderunt me.
ש [20] Custodi animam meam et eripe me, 6,
ne confundar, postquam confugi ad te.
ת [21] Integritas et probitas me conservent, 4.
nam spero in te.
ף [22] Libera, Deus, Israël 6.
ex omnibus angustiis eius.

Argumentum. *Psalmus versatur in extollenda bonitate Dei, profitenda propria indigentia ac fiducia, petendaque gratia. Etsi, ut passim in psalmis alphabeticis, divisio in strophas pro variis ideis vix fieri potest, observa tamen, quomodo psaltes in parte* A) *Deum alloquatur, in* B) *et* C) *de Deo meditetur, in* D) *ad precandum Deum revertatur.* — (7, 4, 4, 7 versus).

Adnotanda. [a] *rêqâm* etiam hic nihil aliud significare videtur, quam quod impii *vacui*, vacuis manibus, spe frustrata, a Deo abiguntur; non est copulandum cum 'rebellant'.

[b] Locutio hebraica "*recordor alicui aliquid*„ significat: 'memor promissionis meae, largior alicui aliquid' (cfr. Ps. 98, 3; Lc. 1, 54 s). Hîc loco accusativi dicitur *k.ḥasd.kâ* '[quae sunt] secundum pietatem tuam', dona convenientia tuae pietati.

[c] Interrogatio *quis est...?* saepe aequivalet sententiae correlativae universali *quicunque est...*

[d] Hebr. *anima eius.*

[e] *Possidere terram* (promissam) Hebraeis erat symbolum et imago omnimodae beatitatis a Deo sperandae.

[f] *Foedus* = bona, promissa foederis cum patriarchis initi. (De constructione stichi posterioris cf. Joüon § 124 p.).

[g] Cfr. Crisin textus. Alia lectio proposita est: *Angustiae sunt cordi meo: dilata illud.*

[h] Alphabetismi gratia pro TM *vide* certo aliud verbum contextui conveniens scribendum est, ut *qĕçé* vel *qaççé* 'fini!' vel aliud simile.

Ps. 26 (Vg. 25). Innocentis oratio fiducialis.

DAVIDIS.

A Ius meum tuere, Dñe! 7
nam ego in innocentia mea ambulavi
et in Dño confido.
Non vacillo[a]: [2] proba me, Dñe, et tenta me, 7[1]
explora renes meos et cor meum.

B [3] Nam pietas tua erat ante oculos meos, 4
et ambulabam in veritate tua.[b]
[4] Non sedi cum viris nequam 6
et cum lucifugis[c] non conveniebam.
[5] Odi coetum maleficorum, 4[1]
et cum impiis non considebam.

C [6] Lavo in innocentia manus meas 6[1]
et versari volo circa altare tuum, Dñe,

[7] Ut canam alta voce laudem 6
et narrem universa mirabilia tua.

D [8] Dñe, diligo habitaculum domus tuae 6'
et locum domicilii maiestatis tuae.
[9] Ne abstrahas cum[d] peccatoribus animam meam, 6
et cum viris sanguinum vitam meam,
[10] In quorum manibus est scelus 6'
et quorum manus 'acceptavit' munuscula.[e]

E [11] Sed, *quia* ego in innocentia mea ambulo, 5
libera me et miserere mei.
[12] Iam pes meus stat in plano,[f] 5'
in conventibus benedicam Dño.

Argumentum. *David adulescens adhuc innocens, ab inimicis (asseclis Saul) infestatus,* A) *Deum testem suae innocentiae invocat;* B) *se protestatur probe vixisse et a peccato cavisse;* C) *ita ut cum tranquilla conscientia etiam prope altare Dei versari possit;* D) *unde pro suo erga aedem Dei amore orat, ut a sorte, qualem impii merentur, praeservetur,* E) *atque incolumis maneat.* — (2, 3, 2, 3, 2 versus).

Adnotanda. [a] *Non vacillo* hic, ut 37, 31, de morali firmitate, de fideli perseverantia in via legis Dei dici videtur.

[b] Cfr. 25, 5; veritatem, qua Deus homines dirigit, ut ducem fideliter sequitur.

[c] *na'lamîm*: "se occultantes", lucifugi, qui clam et dolose faciunt vel machinantur, quae palam facere etc. non auderent.

[d] *cum peccatoribus* = eandem sortem mihi tribuens quam peccatoribus.

[e] Hebr. *plena est munusculi*; manus dicitur esse plena eius rei quam modo acceptatam tenet.

[f] Psaltes confidit sé esse exauditum.

Ps. 27 (Vg. 26). Mediis in periculis fiducia.

[1] DAVIDIS. *A*
Dñus est lux ac salus mea: 5,
quem timeam?
Dñus est munimen vitae meae: 5.
quem formidem? [carnem meam,
[2] Cum appropinquarent contra me malefici, ut ederent 10,
adversarii atque inimici mei ipsi labarunt et ce-
[ciderunt.

[3] Si castrametatur contra me agmen,[a] non timet cor meum, 10.
si exsurgit adversus me bellum, tamen confido.

B [4] Unum petivi a Dño, 6,
hoc flagito: [vitae meae,
Ut habitare possim in domo Dñi omnibus diebus 8,
frui suavitate Dñi et visere templum eius.
[5] Nam *si* abdit me in umbraculo suo die adversitatis, 6.
si me occultat in tegmine tabernaculi sui,
In *tutam* petram attollit me [micos meos circa me, 6,
[6] et iam nunc se erigit caput meum adversus ini-
Et offerre volo in tabernaculo eius hostias iubilationis, 7,
cantare et psallere Dño.

C [7] Audi, Dñe, vocem meam clamantis: 6.
miserere mei et exaudi me!
[8] Tibi dicit cor meum: 8.
„ quaerite, *inquis*, faciem meam!
faciem tuam, Dñe, quaero „.[b]
[9] Ne abscondas faciem tuam a me, 6,
ne abigas in ira servum tuum.
Qui iam auxilium meum fuisti, ne me abicias, 6.
neve me derelinquas, Deus salutis meae.
[10] Nam pater meus et mater mea me derelinquere de- 5,
sed Dñus me suscipiet! [buerunt,[c]

D [11] Instrue me, Dñe, de via tua,[d] [meos. 8,
et bene me duc in semita recta, propter hostes
[12] Ne me tradas furori adversariorum meorum: 8.
nam insurrexerunt contra me accusatores menda-
[13] *Ah!* si fidem non haberem [ces et sceleris avidi.[e] 5.
me fruiturum bonitate Dñi in terra viventium?!
[14] „ Exspecta Dñum, 7.
fortis esto et firmum sit cor tuum,
et exspecta Dñum! „

Argumentum. A) *David, adhuc adulescens innocens, a Saul rege exsulare coactus (1 Sam. 21, 1; cf. v. 10), se providentiae divinae fiducialiter committit*; B) *suum profitetur desiderium prope arcam foederis vivendi ibique speciali Dei tutela fruendi*; C) *hinc precatur, ut a Deo salvetur, cum ne pa-*

rentes quidem eum protegere possint; D) *pro desperata sua condicione rursum precatus, verbo solacii ad firmam spem erigitur.* — (4, 5, 5, 4 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *castra.*

[b] Cfr. Dt. 4, 29: " cum quaesieris ibi Dñum..., invenies eum, si tamen toto corde quaesieris „. Hoc Dei effatum recordatus psaltes dicere nobis videtur: " ecce, secundum mandatum tuum quaero te, mi Deus; quare fac ut te inveniam „.

[c] Nempe quatenus parentes Davidis filium suum contra regis Saul insidias protegere non potuerunt.

[d] Sc. de via quam tu me tenere vis.

[e] Probabiliter speculatores, Saulis parti faventes.

[f] Apodosis (fortasse: *desperandum mihi esset*; *de me actum esset*) per aposiopesin reticetur, vel potius responso divino confortante (v. 14) praevertitur.

Ps. 28 (Vg. 27). Regis supplicatio et gratiarum actio.

1 DAVIDIS. *A*

A Ad te, Dñe, clamo, 6,
petra mea, ne te praebeas mihi surdum.
Ne, *si* me inexauditum dimittas, 5,
similis fiam [a] descendentibus in foveam.
2 Audi vocem deprecationis meae, dum supplico tibi, 9,
dum elevo manus meas versus adytum sanctua-
3 Ne me abstrahas cum [b] impiis [rii tui. 5.
et cum malefactoribus,
Qui loquuntur de pace cum proximo suo, 6.
at pessima in animo habent.

B 4 Da istis 'meritum' operis sui et malitiae facinorum 10,
'meritum' actionum suarum [c] da illis, [suorum:
redde ipsis mercedem suam.
5 Quia non attendunt ad opera Dei et ad 'gesta ab eo',[d] 9.
destruat illos et non aedificet eos!

C 6 Benedictus sit Dñus! 5,
nam audivit vocem deprecationis meae.
7 Dñus est robur meum et clipeus meus, 6,
in ipso confisum est cor meum.
Et iam auxilium obtinui et exsultat cor meum 6.
et carmine meo gratias ei ago.

[8] Dñus est robur *populo suo, 5.
et propugnaculum salutis christi sui est.
[9] O salva populum tuum et benedic plebi tuae, 10.
et pasce eos et subleva eos usque in aeternum!

Argumentum. *David, fortasse tempore rebellionis absalomianae, procul a sanctuario, precatur:* A) *audi me precantem, neve sorte impiorum me perire sinas*; B) *impios potius puni, ut merentur*; C) *certo confidens, me exauditum esse, ex animo gratias ago et pro populo similem benedictionem a te peto.* — (5, 2, 5 versus).

Adnotanda. [a] Hebr.: *ne taceas a me et similis fiam...*; ubi animadverte, hebraice *respondere* dici etiam pro *exaudire*, et e contrario *tacere* pro *non exaudire*.

[b] *cum impiis:* Cfr. ad 26, 9.

[c] Hebr. *secundum opera manuum eorum.*

[d] Hebr. *et ad opera manuum eius*, i. e. ad ea quae Deus in historia populi electi gessit, malos puniens, iustos liberans, legem praescribens.

Ps. 29 (Vg. 28). Maiestas Dei in tempestate.

[1] PSALMUS DAVID. *A*

A Tribuite Dño, filii Dei,[a] 7.
tribuite Dño gloriam et laudem.
[2] Tribuite Dño gloriam nominis sui, 6.
adorate Dñum in ornatu sacro.[b]

B [3] *En* vox Dñi[c] super aquas! 8?
Deus gloriae tonuit,
Dñus super aquas immensas.
[4] *En* vox Dñi! — cum vehementia! 4?
en vox Dñi! — cum magnificentia![d]
[5] *En* vox Dñi! — confringit cedros, 7.
confringit Dñus cedros Libani.
[6] Facitque ut subsiliant, velut vitulus Libanon 7,
et Sarion[e] velut pullus bubalorum.
[7] *En* vox Dñi! — spargit flammas ignis: 10,
[8] *en* vox Dñi! — conquassat desertum,
conquassat Dñus desertum Cades,
[9] *En* vox Dñi! — conterret cervas[f] et decorticat silvas, 10.
dum in palatio eius unusquisque dicit: Gloria![g]

C [10] Dñus ad diluvium sedit, 6.
et *sedebit Dñus rex in aeternum.
[11] Dñus robur populo suo dabit, 7,
Dñus benedicet populo suo per pacem.

Argumentum. A) *Praemisso exordio lyrico, quo angeli Deum laudare iubentur,* B) *describitur summatim poëtice grandis tempestas, quae, supra Mare mediterraneum orta, ad Libanum venit, inde supra Palaestinam devolvitur ac tandem in desertum Cades desinit;* C) *tranquillitas magna post tempestatem sedatam psalmistae est imago et velut pignus pacis quam populo optat.* — (2, 6, 2 versus).

Adnotanda. [a] *Filii Dei,* angeli (Iob 1, 6; 2, 1),

[b] Vel *in decore sanctuarii,* in sanctuario glorioso caeli.

[c] Hebraei, ut per voculam *hinné* (ecce) incipere solent describere res visibiles, admirabiles, stupendas, ita dum eventum subitaneum audibilem narrant, saepe a voce *qôl* (vox) cum genetivo subiecti sonantis initium faciunt, ubi *qôl* similiter fere interiectioni *en! audi! ascultа! (horch!)* aequivalet. Subiectum logicum verborum sequentium non est *qôl* (vox), sed *Iahwè* (Dñus). Ergo: *En vox Dñi! [Dñus] confringit cedros,* etc.

[d] Cfr. Crisin textus.

[e] I. e. Hermon; cfr. Dt. 3, 9.

[f] Quibusdam placet maioris parallelismi gratia legere: *contorquet quercus,* i. e. valido turbine torquet et eradicare nititur maximas arbores. Sed TM. retineri potest: describitur effectus tempestatis in bestias et in arbores.

[g] Dum in terra elementa saeviunt et omnes omniaque prae pavore tremunt, in caelo personat laus Dei (cf. v. 2).

[h] Tempestas psaltae diluvium in memoriam revocat: sicut Deus per diluvium genus humanum terruit et de sua sanctitate terribilique iustitia monuit, deinde vero pacem tribuit, ita quadamtenus agit in tempestate, vel in iudicio, cuius haec tempestas symbolum est. — Sunt qui censeant, tempestatem hic descriptam esse solum imaginem poëticam iudicii divini populo inflicti, ac peti pacem pro populo poenis castigato; sed agnoscendum est, nullo verbo psalmi ideam populi poenis castigati innui.

Ps. 30 (Vg. 29). Pro praeservatione a morte gratiarum actio.

[1] CHORI MAGISTRO. CANTICUM IN DEDICATIONE DOMUS. DAVIDIS. *A*
A [2] Exalto te, Dñe, quod extraxisti me 6,
nec laetari sivisti inimicos meos de me.
[3] Dñe, mi Deus! 6.
clamavi ad te et sanasti me.
[4] Dñe, eduxisti ab inferis animam meam, 7,
ad vitam me reservasti ex descendentibus in fo-
[veam.

B [5] Psallite Dño, pii *servi* eius, 5,
et gratias agite nomini sancto eius.
[6] Nam ad momentum *erat* ira eius,[a] 4,
ad vitam benevolentia eius:
Vespere devertebatur fletus 4.
et mane iubilum.

C [7] Equidem dixeram in tranquilla securitate mea: 5.
" non labefactabor unquam „. [firmitatem,[b]
[8] Dñe, dum *mihi* favebas, stabilem dederas monti meo 8,
ubi abscondisti faciem tuam, fui conturbatus.

D [9] Ad te, Dñe, clamabam 6,
et Domini clementiam implorabam:
[10] " Quid proderit, si *obmutescam,[c] 4,
si descendam in corruptionem?
Num te laudibus efferre potest pulvis, 4.
num praedicare clementiam tuam? „

E [11] *Audivit Dñus et misertus est mei, 6.
Dñus *factus est adiutor mihi.[d]
[12] Immutasti luctum meum in choream, 7.
solvisti saccum meum et cinxisti me laetitia,
[13] Ut[e] psallat tibi animus *meus nec conticescat: 8.
Dñe, mi Deus, in aeternum gratias tibi agam.

Argumentum. *Probabile est hunc psalmum esse carmen gratiarum actionis pro fine pestilentiae, quam Deus pro peccato David regis in populum immiserat (2 Sam. 24). Revera enim ea tunc aderant, quae in hoc poëmate innuuntur: prosperitas regni (v. 8 a), quaedam regis superbia et iactantia (v. 7), dein peccatum et Dei ira (6. 8 b), regis conturbatio animi et consortium saltem in communi periculo mortis (2–4. 10); dein gaudium, gratiarum actio publica (12. 13. 1). Canit igitur:* A) *mortis periculo ereptus gratias ago;* B) *omnes simul mecum gratias agite pro averso discrimine;* C) *longa prosperitate nimis securus et superbus factus iram Dei merui et in magnam miseriam incidi;* D) *sed, cum precibus me Deo commendassem,* E) *servatus sum et nunc Deo gratias ago.* — (3, 3, 2, 3, 3 versus)

Adnotanda. [a] Ad litteram: *momentum in ira eius, vita in benevolentia eius*; ira erat momentanea, favor per totam vitam.

[b] *monti meo*, forte monti Sion, sedi regni; aut *mons* est symbolum firmae, excelsae, gloriosae condicionis regni. LXX et Syr., unâ litterâ *mutatâ (lhdrj)*, vertunt *decori meo.*

[c] *bdmj* legi potest *b.damî* 'in sanguine meo' (TM. LXX. Syr. Hier.) vel

b.dummî (in conticescere meo) 'si conticescam' sc. mortuus. Quia non agitur de morte cruenta seu caede, quia statim de laude Dei sermo fit, cui opponitur "silere„, et in v. 13 recurrit 'ut non obmutescat', nobis posterior lectio magis arridet.

d Propter stropharum symmetriam v. 11 non iam ad petitionem salutis, sed ad narrationem exauditionis trahendus est ideoque verba cum LXX legenda narrative, vocalibus mutatis, non cum TM. Syr. Hier. precative.

Ps. 31 (Vg. 30). Angustiati supplicatio et gratiarum actio.

[1] CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID. *A*

A [2] In te, Dñe, confido: ne confundar unquam, 7,
in iustitia tua eripe me.
[3] Inclina ad me aurem tuam, festina, erue me, 11,
esto mihi petra suffugii, castellum ad me sal-
[4] Nam petra atque arx mea es tu, [vandum. 7.
et propter nomen tuum bene duces ac diriges me.
[5] Educes me ex reti quod clam posuerunt mihi, 5,
nam tu es refugium meum.
[6] In manum tuam commendo spiritum meum, 7,
certe liberabis me, Dñe, Deus fidelis.

B [7] *Odisti eos qui observant idola vana: 6,
sed ego in Dño spero.
[8] *Fac* iubilare possim ac laetari de pietate tua, 9,
quod respexeris miseriam meam,
provideris angustiis animae meae,
[9] Nec me tradideris in manum inimici, 7.
statueris in tuto loco pedes meos.
[10] Miserere mei, Dñe, nam in angustia sum: 8,
tabescit maerore mihi oculus, animus ac corpus.
[11] Nam effluxit inter aerumnas vita mea et anni mei 10,
[inter gemitus,
collapsum est *miseriâ robur meum et ossa mea
[tabuerunt.
[12] *Apud omnes adversarios meos factus sum opprobrium, 12,
et vicinis meis *timor et terror notis meis:
qui me vident in via, evitant me.

[13] Oblivioni datus sum, velut iam mortuus, ex corde, 6.
sum haud plus quam vas amissum.
[14] Etenim audivi malevolum sermonem multorum, ter- 11.
[rore circumfusus,[a]
congregati una contra me, auferre mihi vitam
[deliberarunt.

C [15] Sed ego in te spero, Dñe, 6,
dico: Deus meus es tu.
[16] In manu tua sunt tempora mea: [meorum. 6.
eripe me e manu inimicorum ac persecutorum
[17] Serenum praebe vultum tuum servo tuo, 5.
salva me pro pietate tua.
[18] Dñe, non confundar, postquam invocavi te, 8.
confundantur impii, conticescant in orco.
[19] Ad silentium redigantur labia mendacia, 8,
ii qui loquuntur contra iustum insolenter, cum
[superbia et contemptu.

* *

D [20] Quam copiosa est bonitas tua, quam reservas timen- 9.
[tibus te.
quam opere exhibes confidentibus in te, coram
[*ceteris* filiis hominum![b]
[21] Abscondis eos protectione vultus tui a turba virorum, 8.
abdis eos *velut* in tugurio *procul* a rixa linguarum.
[22] Benedictus sit Dñus! [quam urbs munita. 6,
nam mirabilem exhibuit pietatem suam mihi tam-
[23] Equidem iam putabam in consternatione mea, me ab- 12.
[scissum esse a conspectu tuo,
sed tu audisti vocem supplicationis meae, quando
[vociferabar ad te.
[24] Diligite Dñum, omnes pii servi eius, 10.
fideles conservat Dñus,
sed rependit ad amussim[c] superbe agentibus.
[25] Confortamini et firmo estote corde, 6.
omnes qui fiducialiter exspectatis Dñum.

Argumentum. A) *Ad te confugio, salva me!* B) *me fideliter in te sperantem eripe, in tanta miseria languentem, ab aliis irrisum, desertum, quin ad mortem quaesitum*; C) *spero in te meque tibi committo, quare salva me*; D) Epi-

logus psaltae exauditi: *Quam bonus est Deus erga confugientes ad se! Gratias ago Deo, qui me exaudivit. Omnes eum diligite et in eum sperate!* (5, 8, 5 — 6 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *terror undique.*

[b] Hebr. *nèged* 'exadversum, in conspectu'; sensus est: filii hominum (ceteri), i. e. malevoli iustorum inimici, oculis suis videre debent, quomodo Deus iustos ad se confugientes protegat, nec id impedire possunt (sim. Ps. 23, 5).

[c] Alii interpretantur: *rependit* (mercedem dat) *pro insolentia superbe agentis*; — *jèter* = 1) restis, funis, *'al-jèter* adamussim; 2) insolentia, superbia, ut Prv. 17, 7.

Ps. 32 (Vg. 31). Paenitentis veniam peccatorum consecuti oratio.

[1] DAVIDIS. MASKIL. *B*

A Beatus, cuius crimen condonatum, 4
cuius peccatum obtectum est!
[2] Beatus homo, cui non imputat Dñus culpam, 8
et in cuius spiritu nulla est insinceritas![a]

B [3] Quia tacui,[b] emarcuerunt ossa mea, 4[1]
inter gemitus meos assiduos.
[4] Etenim interdiu et noctu gravabat me manus tua, 8[1]
conversum est[c] robur meum *velut* ardoribus aestivis. SELA.

C [5] Peccatum meum tibi confitebar, 4
et culpam meam non obtexi.
Dixi: confiteor adversus *me crimina mea Dño: 8
et tu remisisti culpam peccati mei. SELA.

D [6] Ideo[d] preces fundat ad te omnis pius tempore quo 8[1]
inveniri potes,[e]
profecto, quando irruent aquae multae,[f] ad ipsum non pervenient.
[7] In tegimen es mihi, ab adversario me praeservas, 4[1]
iubilis *obtentae* salvationis me circumdas. SELA.

E [8] " *Sine* Erudiam atque Instruam te de via quam ambules, 7
consilium tibi Dem, oculo meo te ad*spiciens*.[g]
[9] Nolite esse ut equus *vel* ut mulus ratione carentes, 9

quorum *cursus[h] est freno et habenâ domandus,
qui ad te accedere nolunt „.

F [10] Multi sunt dolores impio, 7'
sed eum, qui sperat in Dño, pietas circumdat.
[11] Laetamini in Dño et exsultate, iusti, 9'
et iubilate, omnes recti corde!

Argumentum. A) *O quam beatum se sentit homo, veniam peccatorum consecutus post conversionem sinceram!* B) *Contra vero, quam infelix fui, quamdiu peccati reum me agnoscere recusavi!* C) *Sed ubi primum culpam confessus sum, Deus mihi condonavit.* D) *Ideo omnes, quamdiu gratia eis offertur, eam consequi nitantur.* E) *Ipsius Dei verbis peccatores monentur, ne Deum fugiant, sicut animalia indomita hominem.* F) *Quia igitur per peccata dolores, per spem in Deo veniam et gratiam accipimus, huius sanctae laetitiae participes fieri studeamus!* — (2, 2, 2, 2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *dolus*; subdola, ementita conversio, solum specie tenus peracta, veniam peccatorum non obtineret. — Alia significatio nominis *r.mijjá* est *remissus animus, segnities, neglegentia:* beatus qui non segniter et imperfecte, sed toto animo ad Deum convertitur!

[b] *Tacui:* me peccasse et poenâ dignum esse fateri nolui. Verbum hebr. etiam verti potuit *obsurdui*, i. e. Deo me ad paenitentiam invitanti surdum me praebui.

[c] Scilicet in contrarium est mutatum; infirmatum et debilitatum est.

[d] *Ideo:* quia Deus tam clemens est et ad condonanda peccata promptus.

[e] De sensu vocum *l.'ét mĕṣṓ* 'ad tempus inveniendi' iam veteres interpretes ambigebant: opportunitate inventa, *tempore opportuno* LXX, Syr. Symm. Quinta, Hier.; tempore ad inveniendum Deum opportuno, " *tempore inventionis eius* „ Aq. Sexta; complures recentes legi volunt *l.'ét maṣôq* 'tempore angustiae', unus (Ehrlich) explicat 'tempore inventi peccati' = ubi primum quis sibi conscius fit peccati commissi.

[f] *Aquae multae*, inundatio est imago irruentium in peccatores malorum.

[g] Deus loquens inducitur. Is qui alteri, quem sincere amat, bonum consilium dat, solet oculo suo ipsius oculum benevole intueri.

[h] De vi vocis *'ădî* ambigunt: *maxilla eorum* est frenanda, aut: sunt freno et habenâ, *ornatu suo*, frenandi; melius placet: *eorum cursus* est frenandus (cfr. arab. *'adw* 'cursus', potissimum equi; Ehrlich).

Ps. 33 (Vg. 32). Laus potentiae et providentiae Dei.

B

A [1] Iubilate, iusti, in Dño, 6
rectos decet collaudatio.
[2] Gratias agite Dño ad citharam, 6'
nablio decachordo psallite ei.
[3] Cantate ei canticum novum,[a] 6
bene pulsate lyram cum iubilatione.

B [4] Nam rectum est verbum Dñi, 6'
et omne opus eius *fit* cum fide.
[5] Diligit iustitiam et ius, 6
pietatis Dñi plena est terra.

C [6] Per verbum Dñi caelum factum est, 6¹
et per spiritum oris eius omnia agmina eius.
[7] Congregavit velut *in* *utre[b] aquas maris, 6
posuit in reconditoria oceanos.

D [8] Timeat Dñum universa terra, 6¹
ipsum formident omnes incolae orbis.
[9] Nam ipse edixit et factum est, 5
ipse mandavit, et exstitit.
[10] Dñus disturbat *consilia gentium, 5¹
ad irritum redigit cogitationes populorum.
[11] Consilium Dñi in aeternum stat, [nerationem 6
cogitationes cordis eius in generationem et ge-

E [12] Beata gens cuius Deus est Dñus, 6¹
populus quem elegit in hereditatem sibi.
[13] De caelis spectat Dñus, 7
videt omnes filios hominum.
[14] De suggestu sedis suae prospicit 7'
ad omnes incolas terrae:
[15] Ipse qui finxit universorum corda eorum, 6
qui attendit ad omnia opera eorum.

F [16] Nequaquam rex vincit multitudine copiarum, 6¹
fortis vir non se salvat magnitudine roboris.
[17] 'Insufficiens' est equus ad salutem, [columem. 6
et praestantia roboris eius *equitem* non reddit in-

G [18] Ecce oculus Dñi ads*picit* timentes eum, 6'
eos qui fiducialiter exspectant pietatem eius,
[19] Ut eripiat a morte[c] animam eorum 6
et vivos eos servet famis tempore.

H [20] Anima nostra praestolatur Dño, 6¹
auxilium ac scutum nostrum ipse est.
[21] In Profecto in ipso laetatur cor nostrum, 6
et in nomine sancto eius speramus.

[22] Sit pietas tua, Dñe, super nos, 6[1]
quemadmodum speramus in te.

Argumentum. A) *Laudate Deum;* B) *nam est fidelis, iustus, pius,* C) *mundi potens creator et* D) *providus gubernator*; E) *beata gens, quae Dei providentia se regi sinit,* F) *nec suis armis confidit*; G) *Deus se timentes protegit*; H) *ideo in ipso spem omnem collocemus.* — (3, 2, 2, 4; 4, 2, 2, 3 versus).

Adnotanda. [a] Cur canticum novum? probabiliter, quia novum aliquod beneficium a Deo populus accepit. Quale hoc fuerit, forsan ex vv. 10. 16 s. coniicere possimus: magna victoria contra principem potentem exercitumque numerosum gentilium.

[b] TM. Aq. Quinta *velut aggerem* (cfr. Ex. 15, 8); sed meliore parallelismo cum altero membro commendatur versio LXX. Syr. Targ. Sym. *velut in utre.*

[c] Nempe a morte violenta, praematura.

Ps. 34 (Vg. 33). Dei, iustorum protectoris, laudatio.

[1] DAVIDIS, QUANDO SE SIMULAVIT DEMENTEM CORAM ABIMELECH ET AB HOC EXPULSUS ABIIT. *B*

א A [2] Benedicam Dñum omni tempore, 7?
semper laus eius *sit* in ore meo.

ב [3] In Dño gloriabitur anima mea, 7'
audiant humiles et laetentur.

ג [4] Magnificate Dñum mecum, 6
et exaltemus una nomen eius.

ד [5] Adii Dñum et exaudivit me, 6[1]
et ex omnibus pavoribus meis eripuit me.

ה [6] *Aspicite ad ipsum, et exhilarabimini, 5
et facies vestrae non erubescent.[a]

ז [7] Hic[b] est miser, quem invocantem Dñus exaudivit 8
et ex omnibus eius angustiis salvavit.

ח [8] Castrametatur angelus Dñi 5
circa timentes Eum eosque eripit.

ט [9] Gustate et videte, quod bonus est Dñus: 8'
beatus vir qui confidit in eo!

י B [10] Timete Dñum, sancti eius, 6
non enim est inopia timentibus eum.

כ [11] *Divites [c] pauperes facti sunt et esurierunt,
sed quaerentes Dñum nullo egebunt bono.

ל [12] Venite, filii, audite me, 6
timorem Dñi docebo vos.

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

מ [13] Quis est vir cupiens vitam, 6[t]
amans *habere* dies ad fruendum bonis?
נ [14] Praeserva linguam tuam a malo 6
et labia tua a loquendo dolo*se*.
ס [15] Evita malum et fac bonum, 6[t]
stude paci et sectare eam.

ע C [16] Oculi Dñi ad iustos, 7
et aures eius ad supplicationem eorum.
פ [17] Vultus Dñi adversus facientes malum, 7'
ut exterminet de terra memoriam eorum.
צ [18] Clamaverunt *iusti et Dñus audivit, 7
et ex omnibus periculis eorum eripuit eos.
ק [19] Propinquus est Dñus contritis corde, 7'
et afflictos spiritu salvat.
ר [20] Multa sunt infortunia iusti, 6
sed ex illis omnibus *tandem* eum eripit Dñus.
ש [21] Custodit *Dñus omnia ossa eorum, 6[1]
ne unum quidem ex iis frangitur.
ת [22] In mortem agit impium malitia, 6
et osores iusti damnum habebunt.
ף [23] Liberat Dñus animam servorum suorum, [servant.[d] 6[1]
et nullum damnum ferent quicunque ei fidem

Argumentum. *Inscriptio (v. 1) non necessario ipsam occasionem et tempus compositionis carminis indicat, sed probabilius vage circiter tempus et rerum condicionem in quibus psaltes fuerat; cf. 1 Sam. 21, 12–16. Ut plerumque in carminibus alphabeticis, membratio psalmi minus est perspicua. Sic fere dividi posse videtur:* A) *Laudate mecum Deum, cuius auxilium expertus sum, et vos quoque idem experimini!* B) *timentes Dominum non egent, proinde venite et discite timere Dominum! explicatur quid sit timere Deum*; C) *explicatur rursus merces timoris Dei: iustos Deus amat, exaudit, protegit, dum impios punit et perire sinit.* — (8, 6, 8 versus).

Adnotanda. [a] Textus hebr. haec narrative, „in 3[a] persona„ enuntiat: *Qui adspiciunt ad ipsum, exhilarantur, et facies eorum non erubescunt.*

[b] *Hic* (vir), quem videtis, ego.

[c] Secundum TM.: quando vel *leones*, tempore famis, quo se saturent, non inveniunt, iustorum necessitati Deus providet. Sed quia minus probabile est dici *„ leones pauperes fiunt „ (râšu)*, probabilior est lectio LXX et Syr. *„ d i v i t e s pauperes fiunt „ (k.bedîm?* cfr. Gen. 13, 2, vel *kabbirîm* potentes). Cfr. Crisin textus. Ex oppositione patet, considerari divites sine timore Dei. — Recentes nonnulli vocem *kfrjm* interpretantur (ex neohebr. *kôf.rîm* = arab. *kâfirîn* = syr. *kâfôrîn*) *infideles apostatae;* pro contextu bene: at, si hoc vo-

cabulum tempore psaltae nostri exstitisset, nonne in S. Scr., apud prophetas, eius aliquod exemplum vel vestigium exstaret?

[d] Cfr. ad 2, 12; 5, 12.

Ps. 35 (Vg. 34). Adversus inimicos iniustos oratio.

[1] DAVIDIS. *B*

A Certa, Dñe, cum certantibus mecum, 5
impugna impugnantes me.
[2] Apprehende parmam et scutum, 5[1]
et surge ad auxilium mihi.
[3] Prome lanceam et *praeclude *viam* persequentibus me, 9
dic animae meae: " Salus tua sum Ego „.

[animam meam,
B [4] Confundantur et ignominia afficiantur qui quaerunt 9[1]
cedant retrorsum et pudefiant qui cogitant mala
[5] Sint velut palea ante ventum, mihi. 6
Angelo Dñi urgente.
[6] Sit eorum via obscura et lubrica, 6[1]
angelo Dñi eos persequente. [suum,
[7] Nam sine causa clam posuerunt mihi perniciosum rete 7
sine causa foveam fecerunt animae meae.

C [8] Veniat illi interitus improvisus, 7[1]
et rete, quod abscondit, ipsum capiat:
in interitum *ipse* incidat.
[9] Tum anima mea iubilabit in Dño, 9
gaudebit de subsidio eius,
[10] omnia ossa mea dicent:
Dñe, quis est tibi par, 9
qui eripis miserum validiori,
*[et miserum] et pauperem spolianti illum!

D [11] Surgunt accusatores scelesti, 6
quae *plane* ignoro, exquirunt a me.
[12] Retribuunt mihi malum pro bono, 6'
*orbitatem *infligunt* animae meae.[a]

E [13] Et tamen ego, cum aegrotarent, induebam cilicium, 10
*et macerabam me ieiunio,
et 'preces profunde inclinatus fundebam'.[b]

[incessi,

[14] Velut pro amico, velut pro fratre aliquo meo *lugens*, 7
velut in luctu pro matre, maestus me incurvavi.

F [15] Cum vero ego labarem, laetati ac congregati sunt, 10'
congregati sunt contra me alieni et mihi ignoti,
os diduxerunt nec tacuerunt.
[16] *Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione,[c] 7'
striderunt contra me dentibus suis.

G [17] Dñe, quanta *patienter* vides? 9
subtrahe animam meam flagitiis istorum,
istis leunculis 'me desolatum'.[d]
[18] *Fac* gratias tibi agere possim [*Dñe] in coetu frequenti, 5
in populo numeroso te laudare.

H [19] Ne *fiat ut* laetentur de me qui me dolose infestant, 5'
aut qui me sine causa oderunt *invicem* oculis
[20] Non enim pacem loquuntur, [annuant. 9'
sed contra mitissimos terrae dolosa excogitant.
[21] Et iam late aperiunt contra me os suum, 8
dicunt " hahae! hahae![e] *laeta* videt oculus noster! „

I [22] Vidisti, Dñe: ne sileas! 6
Domine, ne maneas procul a me!
[23] O expergiscere et evigila ad defensionem meam, 8'
mi Deus ac Domine, ad tutelam meam.
[24] Defende me secundum iustitiam tuam, Dñe, 6'
mi Deus, ne laetentur de me.
[25] Ne dicere possint in corde suo: " hahae! anima no- 6
ne dicant: " devoravimus eum! „ stra! „

K [26] Confundantur et ignominiâ oppleantur una qui lae- 9
[tantur malis meis,
induantur confusione et contumeliâ, qui superbe
[se efferunt contra me.
[27] Iubilent et laetentur qui favent iustae causae meae, 9'
et dicere possint semper " magnificetur Dñus!
cui placet incolumitas servi sui! „[g]
[28] Et lingua mea edisseret iustitiam tuam, 6'
assidue laudem tuam!

Argumentum. A) *Apprehende, Deus, arma et succurre mihi*; B) *et confunde inimicos*; C) *me vero salva!* D) *Nam illi me infestant*; E) *me qui eos dilexi;* F) *de malisque meis gaudent;* G) *proinde me salva!* H) *Num illi laetari debent qui omnes probos persequuntur?* I) *potius surge, me defende;* K) *illisque confusis me omnesque iustos laetifica!* — (3, 4, 3; 2, 2, 2, 2; 3, 4, 3 versus).

Adnotanda. [a] Ab omnibus propinquis et amicis me separant.

[b] Hebr. *oratio mea ad sinum meum revertebatur.* Qui enim genibus flexis ac capite profundissime inclinato orat, eius verba velut ad sinum redeunt (cfr. 3 Reg. 18, 42 de Elia).

[c] Verba versionis graecae in textu posuimus. Primus stichus hebr. fere ita vertendus esset: *tamquam vilissimi ioculatores* vel *parasiti.* De significatione enim vocum hebraicarum TM non certo constat, et varie explicantur: *la'gê ma'ôg* 'qui in circo ludificantur seu iocos faciunt', 'qui pro pane rotundo seu placenta iocos faciunt (parasiti)' etc.

[d] Hebr. *unicam meam*, sc. animam (22, 21).

[e] Hebr. *he'áḥ!* fere aequivalet interiectioni latinae apud Plautum *hahae!* (alii scribunt *ha he!*): est vox effuse laetantium de successu fausto rei optatae.

[f] Animadverte, in modo loquendi Hebraeorum a n i m a m (*nèfeš*, fortasse in sensu 'appetitûs') esse subiectum, quod esurit, sitit, cibo eget, ieiunat, saturatur etc. (cfr. 35, 13; 69, 11; 78, 18; 106, 15; 107, 9 al.); ergo bene inimici psaltem " devoraturi „ (cfr. alterum stichum), eo capto, gratulantur " animae suae „: nos forte diceremus " ventri „.

[g] Cum Syr. Targ. *heḥaféç* ad Deum rettulimus; idem ut singularem collectivum considerant LXX. Hier. et ad iustos referunt: " *quibus placet incolumitas servi eius* „; fortasse aeque bene.

Ps. 36 (Vg. 35). De pravitate humana et bonitate divina carmen.

[1] CHORI MAGISTRO. SERVI DñI, DAVIDIS. *B*

A [2] Insusurrat Iniquitas impio in corde *eius,[a] 7
non est terror Dei ante oculos eius.[b]
[3] Etenim leniter *Hic* agit erga eum in oculis eius, 7'
in inveniendo delicto eius, in odiendo.[c]
[4] Sermones oris eius sunt nequitia et dolus, 6
desiit intellectu uti ad bene agendum.
[5] Inania cogitat super cubile suum, 8
se collocat in via non bona,
malum non aversatur.[d]

B [6] Dñe, in caelum *usque eminet* pietas tua, 6'
clementia tua usque ad summum aethera

[7] Iustitia tua *celsa est* ut montes Dei,[e] 8[1]
iudicia tua *profunda ut* abyssus immensa:
hominibus et animalibus salutem praebes, Dñe.[f]
[8] Quam pretiosa est pietas tua, Deus, 7
cum filii hominum *possint* in umbram alarum tuarum
[9] Inebriantur de pinguedine domus tuae,[g] confugere! 7'
et torrente deliciarum tuarum eos potas.

C [10] Quoniam apud te est fons vitae 4
et in luce tua videmus lumen,[h]
[11] Continua pietatem tuam erga cognoscentes te 4[1]
et iustitiam tuam erga rectos corde.
[12] Non me invadat pes superbiae 6
et manus impiorum non me concutiat,
[13] Illic ceciderunt malefactores 6'
detrusi sunt nec possunt *iam* surgere.[i]

Argumentum. *Psalmista,* A) *contemplatus maximam impiorum quorundam malitiam atque* B) *immensam, quam homines nihilominus experiuntur, Dei bonitatem,* C) *ut hac semper fruatur et ab illa praeservetur, fervide orat.* — (4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] *n.'ûm* passim usuvenit de locutione inspirata prophetarum; induci solent hac voce verba vel Dei per prophetam loquentis (*n.'um-Iahwè* Num. 14, 28) vel prophetae inspirati (*n.'um-Bil'ám* ib. 24, 3). Nostro in loco ut loquens proponitur *pèša'* rebellio, defectio, iniquitas, quasi habitans in homine Peccatum (cf. Rom. 7); ut audiens vero et ea recipiens, quae Peccatum suggerit, impius. Ipsa verba, quae Iniquitas impio suggerit, non sequuntur; hoc sticho solum factum asseritur, impio a Peccato intus varia prava insusurrari (radix *n'm* levissimum flatum, sonum, susurrum denotat). Quid ei suggeratur, ex sequentibus stichis cognoscere licet, ubi dicitur quid impius, hanc fatalem inspirationem sequens, cogitet, quid agat.

[b] *pâḥad Elohîm* est 'terror Dei', minae et iudicia quibus Deus nos a peccando absterret; vel, uti Is. 2, 10, ipsa terribilis maiestas Dei, Deus terribiliter sanctus et iustus peccati vindex.

[c] Totus versus 3 est — pene dixi, ut convenit oraculo iniquitatis — obscurus et ambiguus, ita ut multifariae versiones propositae sint. Ambiguitas potissimum ex eo oritur, quod in v. 2 tres personae vel quasi-personae masculini generis nominatae sint (*pèša'* Iniquitas, *rašâ'* impius, *Elohîm* Deus) et in hoc v. 3 ex vocabulis non appareat, ad quemnam ex his tribus verba et pronomina referenda sint. Ex interpretationibus unam elegimus, cuius idea saepius in psalmis davidicis aliisque enuntiatur et qua proximi versus apte praeparantur. — Dictione *'in oculis meis (tuis etc.)'* Hebraei verbum 'videri, opinari, censere' circumscribunt (*via stulti recta est in oculis eius* = stultus opinatur viam suam esse rectam, Prv. 12, 15; *num honorat David patrem tuum in oculis tuis?* = opinaris-ne Davidem velle honorare p. t.? 2 Sam. 19, 3; Ps. 73, 16). Hinc

" (Deus) *leniter agit erga eum* (sc. impium) *in oculis eius* „ est idem atque hoc: impius, sub influxu suggestionis Peccati, opinatur seu falso sibi persuadet, Deum leniter agere erga eum, erga impios, Deum non esse tam severum, sed indulgentem et conniventem. Symmachus quoque h. l. *b.'ênâw* per δοκεῖ interpretatur. — Deus *heḥelîq* (proprie laeviter agit) 'leniter, blande procedit', non terrifice, austere (cf. 55, 22 'sermones eius lenes et blandi sunt' [*ḥal-qû*]). — TM. *elâw* ad eum, erga eum (LXX. Syr. Symm. hoc omittunt, sed facile mente suppletur). — Sequitur, in qua re Deus, secundum opinionem impii, non tam severus sit, sed leniter procedat: *in inveniendo delicto eius, in odiendo.* 'Invenire alicuius delictum' est: illud caelitus observare, coram suo tribunali iudicare, punire (Gn. 44, 16; cf. Os. 12, 9). His praemissis sensus patet: peccator, insusurrante sibi intus Iniquitate, opinatur, Deum esse lenem et indulgentem in animadvertendis hominum peccatis et in odiendo peccato ac peccatore. Haec eadem idea alibi quoque in psalmis impiis attribuitur: Deus non animadvertit, non videt, non audit, non punit (10, 4. 11. 13; 59, 8; 94, 7 al.). Tale principium si peccator sibi persuadet esse rectum, facile patet, cur terrorem Dei iam ignoret (v. 2) et, hoc abiecto, in omnia vitia praeceps ruat (v. 4 s.). — Aliae interpretationes huius versus 3 sunt ex. gr.: (impius) *blanditur sibi in oculis suis* (quando se ipsum considerat, omnia in bonam partem iudicat): *invenire culpam suam est* (ei) *odiosum;* — alia: (Impietas) *blanditur ei* (impio) *oculis suis*, i. e. dum ei blande loquitur, eum simul blandis oculis aspicit et allicit, sed cum hoc tandem exitu, *ut in eo culpam inveniat et* eum *oderit*, aut: eum in finem, *ut* Deus *in eo culpam inveniat eumque oderit*, etc.

d En, qui timorem Dei abiecit, omni modo quo potest peccat, cogitatione, verbo, opere, omissione.

e *Montes Dei:* summi montes, velut caelum altitudine attingentes.

f Deus omnibus creaturis, ac vel animalibus, cum magna benignitate providet (cfr. Ion. 4, 11; Mt. 6, 26; 10, 29).

g Praesertim ex sanctuario suo, ubi pie colitur, Deus copiose pretiosissima quaeque gratiarum munera largitur (65, 2 ss.).

h Versus 10 communiter mediae strophae accensetur. Sed concinnitas strophārum suadet, ut ab hoc versu ultima stropha incipiatur. Sic, in principio strophae finalis collocatus, hic versus ea, quae in media parte dicta sunt, summatim recapitulat et nova adhibita imagine (fontis et lucis) illustrat. Contemplatio praecedens divinae bonitatis fit psaltae causa impulsiva (*quoniam*) ad precandum instantissime, ut Deus ipsum omnesque iustos bonorum suorum (*vitae et lucis*, quae sunt imago omnis beatitudinis) participes reddat et ab infelici sorte impiorum praeservet. — Apud Deum est *fons vitae:* ipse enim est ipsa vita, et auctor datorque omnis vitae, naturalis et supernaturalis: proinde qui vitam habere, conservare, recuperare cupit, ex hoc fonte hauriat oportet. — *Lux* Hebraeis est imago salutis, felicitatis, ut caligo imago miseriae et interitus (Is. 8. 20; 9, 2; 60, 1. Ps. 28, 1; 111, 4 al.); *videre lucem* igitur est beatum esse. Iam psalmista docet, nos videre lucem posse solum *in luce Dei*, eo quod Deus nobis luceat, faveat, tenebras peccati et miseriae dispellat. Plus hic versus per se non dicit. Sed Deus, quo inspirante David hoc carmen cecinit, scivit his verbis contineri altiorem veritatem postea in NT demum clare revelandam, nempe nos in aeternum beatos fore per visionem Dei a facie ad faciem. Quanto igitur nobis ferventius est orandum, ut huius lucis participes fiamus neque ab ea excludamur (v. 11 ss.).

i Psaltes, precatus ne ad peccandum seducatur, oculis mentis videt horrendum spectaculum illudque velut digito monstrat (" *illic* „): peccatorum sortem finalem, impios lapsos in perniciem, in eaque ita retentos, ut ad meliorem sortem surgere nequaquam amplius valeant (cf. 49, 15 s.; 73, 18–20. 23 s, 27 s.). Caelum nobis et infernum ostendit, ut illius desiderium et huius timor nos a peccando praeservet.

Ps. 37 (Vg. 36). Alphabetum aureum de providentia Dei erga iustos et impios.

[1] DAVIDIS. *B*

א Noli excandescere propter maleficos 6
aut invidiâ commoveri propter facientes iniquitatem.
[2] Nam sicut fenum festine marcescent, 6'
et sicut herba viridis flaccescent.

ב [3] Spera in Dño et fac bonum : 6
sic mane*bis* in Terra et experieris Fidelitatem.[a]
[4] Delectare in Dño, 6'
ut det tibi petitiones cordis tui.

ג [5] Committe Dño viam tuam, 6
et spera in eum, et Ipse aget.
[6] Et producet velut lucem iustitiam tuam 6'
et ius tuum velut meridiem.[b]

ד [7] Acquiesce Dño, 4
et patienter praestolare ei.
Noli excandescere propter eum cui res fauste procedunt, 4[1]
propter virum qui peragit male excogitata.

ה [8] Desiste ab ira et derelinque furorem, 6
noli excandescere : tantum *rem* peiorares.[c]
[9] Nam male agentes exterminabuntur, 6[1]
sed qui expectant Dñum, hi possidebunt Terram.

ו [10] Et adhuc modicum, et non exsistet impius, 6
et *si* adspicies locum eius, aberit.
[11] Sed mites possidebunt Terram, 6'
et delectabuntur multitudine pacis.

ז [12] Mala machinatur impius iusto, 6
et frendit contra eum dentibus suis.

[13] Dominus ridet de illo, 6'
nam praevidet venturum esse diem eius.[d]

ח [14] Gladium educunt impii et tendunt arcum suum, 6
[ut prosternant miserum ac pauperem,]
ut mactent rectos * corde.[e]
[15] Gladius eorum penetrat in cor ipsorum, 6'
et arcus eorum confringuntur.

ט [16] Melius est modicum quod habet iustus 5
quam rerum copia impiorum multorum.
[17] Nam brachia impiorum frangentur, 5'
sed sustentator iustorum est Dñus.

י [18] Novit Dñus dies *et fata* innocentium, 6
et hereditas eorum aeterna erit.
[19] Non confunduntur tempore calamitatis, 6'
et in diebus famis se satiare possunt.

כ [20] Profecto impii interibunt 4
et inimici Dñi *:
Sicut flores pratorum * marcescent, 4'
sicut fumus evanescent.

ל [21] Mutuatur impius nec restituere potest, 7
iustus vero donare potest ac largiri.
[22] Nam ab Eo benedicti possidebunt Terram, 7'
ab Eo vero maledicti exterminabuntur.

מ [23] Gressus viri * (iusti) a Dño firmantur, 6
et iter eius suo favore prosequitur.[f]
[24] Quando labat, non prosternitur, 6'
nam Dñus sustentat manum eius.

נ [25] Puer fui et iam consenui, 6
nec vidi iustum desertum
[* nec subolem eius quaerentem panem.]
[26] Assidue largitur et commodat, 6'
et posteri eius benedictioni sunt.[g]

ס [27] Evita malum et fac bonum, 5
ut inhabites [h] in aeternum.
[28] Nam Dñus diligit iustitiam, 5'
nec deserit pios suos.

ע * Improbi certe delebuntur 4
et posteritas impiorum exterminabitur.
[29] Iusti possidebunt Terram, 4[1]
et habitabunt in sempiternum super eam.

פ [30] Os iusti edisserit sapientiam, 6
et lingua eius loquitur ‘quod iustum est.’
[31] Lex Dei eius est in corde eius: 6'
non labant gressus eius.

צ [32] Speculatur impius iustum ..., 6
et studet ei necem parare.
[33] Dñus non relinquet hunc in manu eius, 6[1]
nec eum condemnari sinet, quando iudicatur.

ק [34] Fiducialiter expecta Dñum, 4
et observa viam eius:
Ut te exaltet *sinatque* hereditare Terram 4[1]
et exterminationem impiorum *laete* videas.

ר [35] Videram impium terribilem 6
et se expandentem ut indigenam plantam virentem.
[36] Et praeterii, et ecce — afuit, 6[1]
et quaesivi eum nec inventus est * locus eius.

ש [37] Observa integrum et vide probum,[i] 4
quod postrema sors tali viro sit pax.
[38] Sed rebelles deletioni devoti sunt cuncti, 5[1]
posteritas impiorum exterminationi.

ת [39] * Salus iustorum est * Dñus, 5
eorum praesidium tempore adversitatis.
[40] Et auxiliatur eis Dñus et liberat eos [*] ab impiis, 5[1]
et salvat eos, quia confisi sunt ei.

Argumentum. *Per totum carmen idem semper variatur; vanam esse felicitatem impiorum, utpote brevi perituram; vere beatum esse solum iustum, Deo confidentem.* — (22[ies] bini versus).

Adnotanda. [a] *Manere in Terra* (sc. patriarchis promissa), *possidere, hereditare Terram* erat Israëlitis velut cumulus et fastigium bonorum pro fideli observatione praeceptorum divinorum eis promissorum. Ita compluries in hoc psalmo. — *Experieris fidelitatem seu benignitatem* sc. Dei (ad litteram: pascéris, fruéris).—

Sunt qui hîc interpretentur: *mane in Terra*, noli in regionem gentilium emigrare, ***et exerce fidelitatem***, mane Deo tuo fidelis.

b Cfr. v. 33.

c Indignando de re quam mutare non possumus, nihil boni efficitur, sed ad summum aliquid mali. Ergo merito *àk l.haréa*ᵉ 'dumtaxat ad aliquid mali efficiendum' irasci vetamur.

d Nempe diem mortis, iudicii, iustae retributionis.

e In hac stropha textus laesus esse videtur, considerato metro; item in stropha Nun. Cum aliis unum stichum omitti posse censemus.

f *A Dño:* intellige ἀπὸ (non ὑπὸ) Κυρίου, *mijJahwé*. Fortasse etiam ita verti potest: *A Dño sunt gressus viri* (iusti): *dirigit* vel *firmat eum* (legendo: *kōn.nô*) ***et iter eius suo favore prosequitur.***

g Iusti aliis sunt benedictioni: per iustos alii quoque benedictione Dei fruuntur. Aut: ***benedictio*** (pleni benedictionis) ***fient.***

h Nempe in terra promissa.

i Alia versio: " *Serva integritatem et exerce probitatem, nam posteritatem habet vir pacis.* „ metro minus commendatur.

Ps. 38 (Vg. 37). Peccatoris paenitentis deprecatio.

1 PSALMUS DAVID. AD COMMEMORATIONEM.[a] *A*

A 2 Dñe, ne in ira tua castiges me, 5,
neve in indignatione tua punias me.
3 Etenim sagittae tuae infixae sunt mihi, 5.
et incumbit super me manus tua.
4 Nihil est sani in carne mea prae furore tuo, 8,
nihil integri in ossibus meis ob peccatum meum.
5 Nam culparum mearum poenae transierunt super caput 8.
tamquam onus grave nimis degravant me. [meum,
6 Foetent, tabent vibices meae 6,
ob insipientiam meam.[b]
7 Afflictus sum, incurvatus sum vehementer, 7,
assidue maerens incedo.
8 Nam lumbi mei scatent inflammatione, 5,
et non est sana pars in carne mea.
9 Torpefactus, afflictus sum vehementer, 7.
rugivi velut mugitu *leaenae.[c]

B 10 Domine, tibi patet omne desiderium meum, 7,
et suspirium meum tibi non est occultum.

[11] Cor meum palpitat, dereliquit me robur meum, 7.
et lux oculorum quoque meorum me deficit.
[12] Amici ac sodales mei e conspectu plagae meae sistunt, 9,
et propinqui mei procul stant [13] et exprobrant.[d]
Qui quaerunt animam meam ac mihi intentant mala, 9.
[minantur perniciem,
et fraudes assidue moliuntur.
[14] Ego autem, quasi *sim* surdus, non audio, 6.
et *sum* sicut mutus, qui non aperit cor suum.
[15] Et factus sum sicut homo qui non audit 7,
et in cuius ore non sunt redargutiones.[e]

C [16] Quoniam te, Dñe, exspecto, 6,
tu me exaudies, Domine, mi Deus.
[17] Nam metuo ne[f] de me victo laetentur, 7.
* et, labante pede meo, contra me se efferant.
[18] Sum enim ad lapsum directus,[g] 6.
et dolor meus coram me est semper.
[19] Etenim culpam meam profiteor, 5.
et metuo ob peccatum meum.
[20] Qui me vero * sine causa infestant, fortes sunt, 6,
et multi sunt qui me iniuste oderunt,
[21] Et qui rependunt malum pro bono, 6.
me infestant pro eo quod sector bonum.
[22] Ne me deseras, Dñe, 5,
mi Deus, ne procul maneas a me.
[23] O succurre ad mihi auxiliandum, 5.
Domine, salus mea!

Argumentum. *Psaltes, peccatorum conscientia ac poena depressus, orat:* A) *Parce mihi: nimis me premit iustitia tua; etenim toto corpore velut langueo et aegroto (sub imagine morbi horribilis describitur animus culpae reatu, poenâ, conscientiâ oppressus);* B) *animo maereo et paveo, a propinquis deseror et ab inimicis infestor, silens haec patior:* C) *spero quidem in te, sed adhuc perdurant mala mea, ac graviora timeo, ideo cito libera me!* — (8, 6, 8 versus).

Adnotanda. [a] Voce *l.hazkîr* multi nunc censent indicari, psalmum aliquam relationem habere cum illa oblatione memoriali (hebr. *azkará*), de qua agitur Lev. 2, 2. 9. 16.

[b] Insipientiae meae propriae tribuere debeo, quod peccavi et nunc poenas peccatorum sustineo. Quodvis peccatum est facinus insipientiae.

[c] TM *lbj* in fine versus legi iubet *libbî* '(prae gemitu) cordis mei.' Sed radices *š'g* et *nhm*, quibus alibi leonum rugitus designatur, suadent ut legamus

lèbi '(magis quam rugitu) leaenae ; cf. Is. 38, 14. Hebraei in comparationibus saepe comparativo utuntur, ubi nos positivum usurpamus ***aquilis velociores, leonibus fortiores*** 2 Sam. 1, 23 = veloces ut aquilae, fortes ut leones ; cfr. Ps 19, 11 ; 119, 98 al.) ; in versione sufficit et saepe praestat ponere positivum.

d Cfr. Crisin textus. Plerique recentes vertunt : ***et insidiantur.*** In verbo rarissimo *niqqéš*, quod Veteres diverse interpretantur (h. l. LXX ἐξεβιάσαντο *vim intulerunt,* Aq. ἐγένοντο σκῶλα, *facti sunt offendiculum*, Syr. *ceperunt me*, Targ. *fecerunt laqueos*, Hier. *irrugiebant*), coniecturae locus est. Quaerenda est in radice semitica significatio huic loco conveniens. Iam vero lexicographi Arabes correspondenti verbo tribuunt sensum " probrosis verbis, seu conviciis laesit, ludibrio habuit " (*náqasa*), " cognominibus ludibrii causa appellavit alqm. " (*náqqasa*). Haec similisve significatio hîc, si propinquos subiectum facimus, verbo inesse videtur.

e Sicut aliquis qui nescit quid conviciantibus respondeat.

f Hebr. *amàrti pèn* = metuo ne (Joüon, Biblica II 341).

g *nakôn* directus, velut ad lapsum destinatus, propediem nisi Deus succurrat lapsurus ; *dolor*, frt. dolorosa, morbida mea condicio, quae me infirmum et debilem reddit.

Ps. 39 (Vg. 38). Gravi in tribulatione oratio.

1 CHORI MAGISTRO IDITHUN.[a] PSALMUS DAVID. *A*

A 2 Dixeram : observabo vias meas,[b] ne peccem lingua mea, 10,
retinebo ad os meum capistrum, quamdiu impius est
[exadversum me.
3 Silui 'tacens', reticui vel bona,[c] 6,
sed dolor meus recruduit.
4 Efferbuit cor meum in pectore meo, 6.
dum *rem* considerabam, exardescebat ignis,[d]
prolocutus sum linguâ meâ.

B 5 Fac, Dñe, ut cognoscam terminum meum 8,
et mensuram dierum meorum, quantilla sit,
ut sciam quam *caducus sim.
6 Ecce *paucarum* palmarum[e] fecisti dies meos, 10.
et aetas mea velut nihil est, prae te,
dumtaxat mera vanitas est omnis homo exsistens. SELA.
7 Tantum ut umbra perambulat homo, 8.
tantum vane strepunt,[f]
coacervat *aliquis* nec scit quis ea percepturus sit.

C [8] Nunc igitur quid spero ?
Domine, universa expectatio mea ad te est. 5,
[9] Ab omnibus delictis meis eripe me,
contumeliae insipientis noli me exponere. 6,

D [10] Iam sileo : non aperiam os meum, 5.
memor quod tu egisti.
[11] Aufer a me plagam tuam, 6.
afflictione manus tuae[g] ego deficio.
[12] Castigationibus pro culpa *si* quem punis, 8,
consumi sinis velut a tinea ei carissima :
tantum mera vanitas est omnis homo. SELA.

C [13] O audi orationem meam, Dñe, 8.
et supplicationem meam ausculta,
ad lacrimas meas ne surdus sis.
Advena enim sum apud te, 6,
peregrinus, sicut omnes patres mei.
[14] Vultum deflecte a me, ut exhilarescam, 6.
antequam decedam et *hîc* esse desinam.[h]

Argumentum. *Psaltes,* A) *gravibus aerumnis afflictus, ab impio insuper irrisus, primum diu siluit, sed tandem, dolore animi permanente et crescente, tentationi cessit et aliquid impatienter et imprudenter locutus est.* B) *Nunc de hoc dolens ad Deum confugit et maiorem propriae vilitatis et caducitatis cognitionem petit ;* C) *in Deum sperans, a Deo veniam flagitat et, ne amplius contumeliae impii exponatur, orat* ; D) *propositum suum ob Dei reverentiam silendi renovans, orat, ut a tanta afflictione liberetur vel* E) *saltem ante mortem adhuc aliquantulum respirare possit.* — (3 ; 3, 2, 3 ; 3 versus).

Adnotanda. [a] Inscriptio huius psalmi ita intellegenda videtur ut Idithuno, chori magistro (qui 1 Par. 9, 16 ; 16, 14 ; 25, 1. 2 Par. 5, 12 al. commemoratur, et probabiliter idem fuit atque Ethan 1 Par. 15, 19 nominatus), Davidis carmen ad canendum destinetur.

[b] I. e. meum modum agendi ; an pro *d.rakàj* (vias meas) legendum est *d.baràj* (verba mea) ?

[c] *miṭṭôb* (a bono) varie explicant : ut brachylogiam pro ‘a bono ad malum’ = omnia ; vel ‘magis quam bonum erat’ etc.

[d] Dolor animi et impatientia velut ignis exarsit. (Hinc ex contextu patet, quam parum apte versio vulgata “ *in meditatione mea exardescet ignis* ” saepe usurpetur ad demonstrandos bonos fructus meditationis).

[e] Id est, brevissimos. — *Prae te* : fere idem quod *prae tua.*

[f] Omnis hominum labor et magniloquentia est inanis strepitus.

[g] Manu tua afflictus.

[h] Hominibus V. T. aditus ad aeternam in Dei visione felicitatem post mortem nondum patebat, et haec sors beata post mortem, in NT. demum clare manifestata, tantum obscure indicabatur. Tanto admirabilior est haec psalmistae subiectio et sui humiliatio sub potenti manu Dei, haec filialis fiducia, qua ad Deum confugit et rogat, ut saltem aliquantisper adhuc benignitate Dei fruatur.

Ps. 40 (Vg. 39). Gratiarum actio novique auxilii petitio.

[1] CHORI MAGISTRO. DAVID. PSALMUS. *A*

A [2] Exspectavi, exspectavi Dñum, 7,
et inclinavit se ad me et audivit supplicationem
[3] Et extraxit me ex cisterna perniciali, [meam 5,
e luto caeni.
Et statuit super petram pedes meos, 5.
firmavit gressus meos.
[4] Et indidit ori meo canticum novum, 5,
carmen Deo nostro.
Videant multi, 5,
et vereantur et sperent in Dño.
[5] Beatus vir, qui ponit *in* Dño spem suam [pronos![a] 9,
et non se convertit ad superbos atque in mendacia
[6] Multa fecisti tu, Dñe mi Deus, mirabilia tua, 9.
et tuae pro nobis cogitationes sunt incomparabiles:
Enuntiare *eas* et eloqui velim: 4,
plures sunt quam ut narrari queant.

B [7] Sacrificium et oblationem non voluisti, 5,
aures forasti mihi:[b]
Holocaustum et piaculum non postulasti: 6,
[8] tunc dixi: Ecce venio.[c]
In volumine Libri praescriptum est mihi, 6.
[9] ut faciam voluntatem tuam.
Mi Deus, id volo libenter, 4.
et Lex tua est in intimis praecordiis meis.

C [10] Laete annuntiavi iustitiam in coetu numeroso, 8,
ecce labia mea non claudebam: Dñe, tu scis.
[11] Iustitiam tuam non occului intra cor meum, 8.
de tua fidelitate atque ope salutari dixi.

Non reticui pietatem tuam 4,
nec clementiam tuam a coetu numeroso.
12 Tu *vicissim*, Dñe, non claudes misericordiam tuam a me, 8,
pietas ac clementia tua semper conservabunt me.

D 13 Nam undique me obruunt mala plane innumera, 8.
assecuta sunt me delicta mea.
Et * si possem *ea* videre,[d] 7.
plura essent capillis capitis mei,
et cor meum iam derelinquit me.
14 Dignare, Dñe, me eripere, 6,
Dñe, ad auxiliandum mihi festina.
15 Confundantur et erubescant pariter qui quaerunt ani-
[mam meam, ut auferant eam, 11,
cedant retrorsum et ignominia afficiantur qui de-
[lectantur infortunio meo.
16 Obstupefiant ob mercedem suae confusionis 6.
qui dicunt mihi "hahae! hahae!"[e]
17 Gaudeant et laetentur in te omnes quaerentes te, * Dñe, 11.
dicant semper "magnificetur Dñus!" qui diligunt
18 Ego autem miser et pauper sum: [salutare tuum. 5.
Dominus cogitet de me!
Auxilium ac * perfugium meum es tu, 4.
mi Deus, ne moreris.

Argumentum. *Fortasse ad tempus rebellionis absalomianae psalmus referri potest.* A) *Psaltes imploratum a se auxilium divinum adeptus e magnoque periculo ereptus, Deum laudat;* B) *cum (nunc saltem, utpote a fugitivo) ab eo Deus sacrificia non exigat, pro eo valet illud "melior est oboedientia quam victimae", et hanc oboedientiam Deo spondet;* C) *interim gratus depraedicat Dei beneficium et in posterum quoque se divinae misericordiae commendat;* D) *nam multa adhuc eum urgent mala, quae humiliter ut peccatorum suorum meritas poenas agnoscit: quare denuo, ut adversarii confundantur, pii vero sua salute laetificentur, instanter rogat.* — (8, 4, 4, 8 versus).

Adnotanda. [a] Homines saepe magna pollicentur, sed deinde "mentiuntur," i e. promissa praestare nequeunt aut nolunt (116, 11).

[b] Sacrificia legalia nunc a me diu ac longe a sanctuario absente non postulas: oboedientiam exigis. Deus hominem formans ei "*aures foravit*," eum ad audiendum et oboediendum capacem reddidit et obligavit. Lex oboediendi semper urget, lex sacrificiorum offerendorum non ita. Perpetua in omnibus oboedientia Deo magis placet quam sacrificia ritualia, praesertim si quando haec offerri nequeunt (1 Sam. 15, 22. Is. 1, 11. Os. 6, 6).

[c] Quam perfecto sensu haec dicturus erat antitypus Davidis, Christus, in

mundum ingrediens (Hebr. 10, 5-7)! Sensu ac parallelismo stichi ita inter se cohaerent: *sacrificium et oblationem non vis* || *holocaustum et piaculum non postulas; — aures forasti mihi:* || *tunc* [ideo] *dico: ecce venio.* Verba vv. 7–9 non omnibus eodem modo in sententias distribuuntur; sensus generalis idem manet. Stichus 8 a nonnullis explicatur: *secus dixissem: Ecce venio* (ad sacrificia offerenda).

[d] Ita, si legimus *lû* (si); TM. habet *lô'*:" et non possum videre," nempe offuscatis vehementiâ malorum oculis.

[e] Cf. 35, 21.

Ps. 41 (Vg. 40). Psaltae in desolatione oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. PSLMUS DAVID. *B*

A [2] Beatus qui animum advertit ad inopem * et pauperem, 7
die infortunii eripiat eum Dñus.[a]
[3] Dñus conservet ac vivificet eum, et beatus sit in terra, 7[1]
et — ne tradas eum furori inimicorum eius.
[4] Dñus suffulciat eum in lecto infirmitatis, 8
totam eius aegrotationem vertes *in bonum* in morbo eius.[b]

B [5] Ego dixi: Dñe, miserere mei! 7
o sana animam meam! nam *heu* peccavi in te.
[6] Inimici mei dixerunt pessimum de me: 7'
" quando morietur et peribit nomen eius? "
[7] Et si *quis* venit ad visendum, vana loquitur, 8[1]
cor eius colligit sibi malevola,
exit foras, *ea* elocuturus.
[8] Una contra me mussitant omnes qui me oderunt, 6
contra me cogitant pessimum de me:
[9] " Lues * fatalis infusa est ei," 7
et " is qui decubuit, non iterum surget ".
[10] Vir quoque mihi familiaris, cui fisus eram, 7
qui vescebatur pane meo, magnopere adversatus
est mihi * in vicem. [c]

C [11] Tu vero Dñe, miserere mei, 6'
et erige me, ut rependam illis.[d]
[12] Per hoc novero, quod faveas mihi, 8
si non iubilare poterit inimicus meus de me,

[13] Sed me incolumem[e] sustentaveris 8*
et stare me sines coram te[f] in aeternum.[g]

* * *

[14] BENEDICTUS DOMINUS, DEUS ISRAEL, AB AETERNO IN AETERNUM.
AMEN. AMEN. [h]

Argumentum. *David, tempore probabiliter rebellionis absalomianae (cf. versum 10, quem satis communiter ad Achitophel referunt), a plurimis civibus desertus, ac defectione sui olim familiaris et consiliarii Achitophel pariter atque sui filii ingratitudine summopere afflictus, in morbum incidisse videtur; ex quo adversarii novam spem successus sibi hauriebant. In hac tristi condicione rex in hoc carmine tam pro iis qui fideles manebant, quam adversus eos qui ei obsistebant, ac pro seipso preces fundit. Est qui morbum proprium neget et hîc sub imagine aegrotationis periculosae describi dicat ipsam regis condicionem politicam miseram ac fatalem. — Precatur igitur,* A) *ut Deus eos qui sibi aegroto et inopi misericordiam exhibeant, pari, si aegrotent, misericordia remuneretur;* B) *sua peccata humiliter confessus, de inimicorum et hypocritarum malevolentia, deque unius olim amici insigni perfidia queritur;* C) *ut Deus se restauret, ferventer rogat. — Quoniam David a suis desertus, a familiari proditus, a malevolis popularibus ad mortem quaesitus typus est Messiae similia passuri, et quia ipse Christus unum versum ad suam sortem refert (Ioh. 13, 18), hoc carmen recte psalmis typice messianis adnumeratur.* — (3, 6, 3 versus).

Adnotanda. [a] Versus 2. 3. 4 ut precatio psalmistae pro iis considerantur, qui ei etiam in desperata condicione fideles manserant: Deus illis par pari remuneretur! Unus tamen alterve ita velit interpretari, ut v. 2*b*. 3. 4 fiant precatio amicorum fidelium pro rege aegroto: " Beatus qui animum advertit ad inopem [pro eo precans et optans]: in die mala eripiat eum [sc. hunc inopem] Dñus! Dñus servet eum " etc.

[b] Sententia obscurior et varie explicata. Vocem *miškàb* accipimus ut aegroti in lecto cubationem; alii lectum et lecti versationem tropice intellegunt = status infirmi alleviationem.

[c] Intellegimus *higdîl 'alàj* 'magna contra me operatus vel locutus est' (35, 26; 38, 17 al.), *'éqeb* 'in vicem, pro mercede'; cfr. Crisin textus.

[d] Quia psalmista alias ad summum precatur, ut Deus ipse inimicos humiliet, nusquam autem sic: " Deus, fac me sanum, ut ego iis retribuere possim," nobis videtur explicari posse ita, ut psaltes post querelam (v. 5–10) iam precetur: Deus, restaura me sanum, ut illis (primo in loco supra commemoratis amicis) rependere possim (v. 11) et inimici, me restaurato, confundantur (v. 12. 13) cfr Crisin textus.

[e] Hebr. *in integritate mea*, quod, collato v. 5*b*, interpretandum erit *in incolumitate mea* (non: *propter innocentiam meam*).

[f] *stare coram te*, tibi famulari.

[g] Cf. ad 21, 5.

[h] Hic versus non ad psalmi corpus pertinet, sed est primi libri psalmorum doxologia finalis; cf. 72, 18s; 89, 53; 106, 48; 150, 6.

LIBER SECUNDUS (Ps. 42-72).

Animadversio praevia ad psalmos 42-82.

Hi psalmi vocari solent *elohistici*, quia in iis Deus plerumque non suo sacro nomine proprio *Jahwè* (Vg. *Dominus*), sed *Ẹlohîm* (Deus) appellatur. Hoc vero *Elohîm* ab antiquo horum psalmorum redactore pro primitivo *Jahwè* substitutum esse, compluribus rationibus probabile est. Etenim (1) hic nonnulli psalmi vel psalmorum partes repetuntur, nomine *Jahwè* in *Elohîm* mutato; cf. Ps. 14 et 53, Ps. 40, 14-18 et 70; — (2) compluries hîc occurrunt dictiones tales: *Deus, mi Deus* (43, 4), *Deus, Deus noster* (48, 15; 67, 7), *a facie Dei, Dei Israél* (68, 9), — quae sonant velut si psaltes dicere voluerit: *Jahve, mi Deus; Iahve, Deus noster; a facie Iahve, Dei Israél;* — (3) in alloquendo numine psalmistae alias dicere solent *Jahwè!* (Vg. *Domine!*), praesertim in initio precum (cf. Ps. 3, 2; 5, 2; 6, 2 etc.; 84, 2; 85, 2 etc.), in his vero psalmis *Elohîm!* (Vg. *Deus!*), ut 42, 2; 43, 1; 44, 2 al.; — (4) haud semel in stichis parallelis dicitur *Elohîm* || *Elohîm* (47, 9), ubi probabile est, ab initio scriptum fuisse *Jahwè* || *Elohîm*; — (5) pro rhythmo poëtico plerumque quidem nihil interest, sive *Iahwè* pronuntias, sive *Elohîm;* nihilominus sunt nonnulli loci ubi lectio *Jahwè* rhythmum faciliorem redderet.

In versione nostra nihil quidem de more tradito mutandum censuimus. Placuit tamen nomen "*Deus*", ubi illud pro originali *Jahwè* positum videtur, accentu posito distinguere, ex. gr. *ad te, Déus* (42, 2); *Déus, mi Deus* (43, 4); *Déus, Deus noster* (48, 15) et sim.

Ps. 42. 43 (Vg. 41. 42). Exsulis desiderium revisendi sanctuarii.

42 [1] CHORI MAGISTRO. MASKIL. FILIORUM CORE.

A [2] Sicut cerva desiderat ad rivulos aquae,
ita anima mea desiderat ad te, Déus.
[3] Sitit anima ad Déum, Deum vivum,
quando venire potero et * videre faciem Déi?
[4] Factae sunt mihi lacrimae meae cibus diurnus ac nocturnus,
dum dicunt ad me assidue: "ubi est Deus tuus?„
[5] Illud recordari libet et effundere in me animam meam, [a]
quod *olim* incedebam turbâ stipatus,
Sollemniter * eos ducens usque ad domum Déi
inter voces iubili et collaudationis, vulgo ovante.

℟ [6] Quid te contristas, anima mea,
et ingemiscis in me?

Eia spera in Déum
nam adhuc gratias ei agam
saluti vultus mei[b] et [7]Deo meo.

B In me anima mea se contristat:
ideo tui recordor ex terra Iordanis,
et Hermonum a Monte parvo.[c]
[8] Gurges gurgiti occlamat, strepentibus cataractis tuis[d],
omnes tui aestus atque undae super me transierunt.
[9] Interdiu largiri dignatus[e] Dñus pietatem suam,
et noctu sacrum carmen mecum est,
oratio ad Deum vitae meae.
[10] Dicere velim Deo: Petra mea! quare oblitus es mei?
quare tristis incedere debeo, vexante inimico?
[11] 'Velut ossa mihi frangi sentio',[f] dum me illudunt adversarii
dum dicunt ad me assidue: " ubi est Deus tuus? „ [mei,
℟ [12] Quid te contristas, anima mea,
et quid ingemiscis in me?
Eia spera in Déum!
nam adhuc gratias ei agam
saluti vultus mei et Deo meo.

C 43 [1] Ius meum tuere, Déus,
et defende causam meam a gente non pia,
a viro doloso et scelesto libera me.
[2] Nam tu, * Déus, es fortitudo mea: quare me repulisti?
quare tristis incedere debeo, vexante inimico?
[3] Mitte lucem ac fidem tuam: ea me ducent,
me perducent ad montem sanctum tuum et ad taber-
[4] Ut veniam ad altare Déi, [nacula tua,
ad Deum laetitiae *et* exsultationis meae,[g]
et gratiam tibi agam ad citharam, Déus, mi Deus.
℟ [5] Quid te contristas, anima mea,
et quid ingemiscis in me?
Eia spera in Déum!
nam adhuc gratias ei agam
saluti vultus mei et Deo meo.

Argumentum. *Levita ex filiis Core, tempore rebellionis absalomianae cum David trans Iordanem exsulans ex sua (simulque Davidis) mente ardens*

suum desiderium revisendi sanctuarii hierosolymitani carmine Deo proponit. A) *Desiderans prope Deum in sanctuario esse, praesentem tristem rerum statum cum feliciore priore tempore comparat.* B) *Interim in hac vasta longinqua regione se Dei ac patriae memoria, sacris canticis, precibus fusis consolatur.* C) *Deum rogat ut mox, ab inimicis liberatus, ad sanctuarium et altare reverti possit.* — (2, 1, 2; 2, 1, 2: — 4 versus, cum responsorio).

Adnotanda. [a] I. e. animo maesto, feliciorum temporum memor, haec mecum reminiscor.

[b] *panîm* facies, persona; *j.šuʿàt panàj* (ita legendum videtur, non plur. *-ôt*) salus faciei meae, faciem sc. exhilarans, vel personae meae, seu mea salus.

[c] Plerique, accentibus TM neglectis, vertunt: *ideo tui recordor ex regione Iordanis et Hermonum, a Monte parvo;* ac *ḥermonîm* explicant montem Hermon cum omnibus montium iugis et collibus versus Iordanem et Peraeam sitis, *Montem parvum* pro nomine unius montis nobis ignoti habent. — Sed plures difficultates hanc explicationem comitantur. Alias inusitatum est, ut formetur pluralis nominis proprii et ita usurpetur, ut hic supponitur; de Monte parvo nihil aliunde scitur; mira est designatio triplex loci commorationis sumpta a flumine, a montana regione, et ab uno colle exiguo; totius versus membratio per caesuras non est pulchra; masoretae certe sua accentuatione hanc vocabulorum coniunctionem *„ regio Iordanis et Hermonum „* reprobant: nam accentus Atnach indicat pausam post *Iardén*, nec sequens *ḥermonîm* sinit considerari ut alterum genetivum voci *èreṣ* annexum aut ut alterum nomen a particula *min* dependens. Quaerenda igitur est alia sententiae constructio contextui apta. Ut ex versione nostra patet, *ḥermonîm* habemus pro altero accusativo obiecti verbi *ezkór* (recordor). Quid vero est hoc cuius exsul recordatur et quod in parallelismo cum *te* (Deus) poni meretur? hoc esse videtur sanctuarium, sacra loca; comparari potest arabicum *ḥaram* sacrum saeptum templi, aethiopicum *meḥram* delubrum (a radice *ḥrm* 'arceo, veto, a communi usu excludo'). Fortasse etiam, sed minus probabiliter, collato *ḥarîma* 'res desiderata, sed quae elapsa est nec obtineri potest', *ḥermonîm* possent esse regiones patriae, ex quibus psaltes excluditur. — Vox *hàr* non solum montem, sed etiam regionem montanam, 'montes' significat (v. lexica); regio iordanica et transiordanica potest appellari *hàr miṣʿár* 'montana parvitatis,' utpote montes humiles habens, si cum montibus Iudaeae comparentur. Interpretari igitur malim: *„ ideo recordor tui ex regione Iordanis, et Hermonum* (i. e. sacrorum locorum, aut: patriae ex qua exsulo) *ex hac montana humili „*. Haec versio difficultates citatas evitat et in contextum bene quadrat.

[d] Non tam regionis, ubi psaltes commoratur, aspectus describitur, sed, tali imagine, eius vitae animique condicio. Ipsa sua vita ei videtur esse regio horrida, scatens abyssis perniciosis, resonans strepitu torrentium violentorum, qui ipsum et omnia abripere minantur.

[e] *ṣiwwá* cum accus. rei *'iubet dari, largiri dignatur'* (Ps. 133, 3, cf. 91, 11).

[f] Hebr. *in* (i. e. cum, haud sine) *fractione in ossibus meis, illudunt me*; vel (var. lect.) *velut fractio in ossibus meis* est quod *illudunt me.* Vehementissimus animi dolor, quem illusus sentit, describitur (cfr. germ. 'es geht mir durch Mark und Bein').

[g] LXX – Vulg. Syr. explicant: *ad Deum qui laetificat iuventutem meam.*

Ps. 44 (Vg. 43). Adversus hostes imploratur Dei auxilium, quod olim maiores experti sunt.

[1] CHORI MAGISTRO. FILIORUM CORE. MASKIL.

A [2] Déus, auribus nostris audivimus,[a]
patres nostri narraverunt nobis :
Grande opus patravisti,
aetate illorum, diebus priscis.
[3] Tu tua manu gentes exheredasti et illos implantasti,
afflixisti nationes et illos germinare fecisti.
[4] Non enim gladio suo occupaverunt terram,
neque brachium suum eos victores reddidit,
Sed tua dextera et tuum brachium
et tua vultus serenitas,[b] quia iis favisti.

B [5] Tu idem es rex meus et Deus meus,
qui mandat victorias Iacób.[c]
[6] Per te adversarios nostros arietare possumus,[d]
per nomen tuum[e] calcare hostes nostros.
[7] Neque enim arcui meo fido,
et gladius meus non me reddet victorem.
[8] Si victoriam nobis tribueris de adversariis nostris
et odientes nos confuderis,
[9] Déum laudabimus assidue,
et nomini tuo[e] in aeternum gratias agemus. SELA.

C [10] Verumtamen reppulisti et ignominiâ affecisti nos,
neque egrederis cum exercitibus nostris.
[11] Cedere nos sinis retrorsum ab adversario,
et ii, qui nos oderunt, praedam abstulerunt sibi.
[12] Tradis nos velut oves esui destinatas,
et inter gentes dispersisti nos.
[13] Venumdas populum tuum vilissimo,[f]
nec magnum acquisivisti pretium ex iis.

D [14] Exponis nos opprobriis[g] vicinorum nostrorum,
risui et ludibrio circumsitarum nobis regionum.
[15] Facis ut simus fabula gentibus,
ut caput propter nos agitent nationes.

[16] Assidue ignominia mea est coram me,
et pudor faciem meam operit,
[17] Ob vocem exprobrantis et blasphemantis,
ob praesentiam inimici et ultionis avidi.

E [18] Hoc totum venit super nos et*si* non sumus tui obliti
nec violavimus foedus tecum initum.
[19] Non cessit retrorsum cor nostrum
nec deflexit gressus noster a semita tua,
[20] Ut *ideo* nos contriveris in loco draconum [h]
et cooperueris nos umbrâ mortis.
[21] Si obliti essemus nominis Dei nostri
et extendissemus manus nostras ad deum alienum,
[22] Nonne Déus hoc exploraret?
ipse enim novit secreta cordis.

F [23] Quodsi propter Te 'morti expositi sumus' assidue
et aestimamur velut oves mactandae,
[24] O expergiscere! quare dormis, Domine?
o evigila! ne *nos* proicias in perpetuum!
[25] Cur faciem tuam abscondis,
oblivisceris miseriae ac vexationis nostrae?
[26] Depressa enim est in pulverem anima nostra,
adhaeret terrae venter noster. [i]
[27] O surge in auxilium nobis
et libera nos propter pietatem tuam!

Argumentum. *Ad illud tempus quod Sennacherib, multis iam regni Iuda civitatibus captis, Ierusalem aggredi intendebat (4 Reg. 18. 19: Is. 36. 37) apte hoc carmen refertur, ab uno ex "filiis Core„ quodammodo nomine regis compositum.* A) *Narratur nobis, patres nostros, Deo favente, magnas de inimicis victorias rettulisse;* B) *similes victorias nos quoque cum Dei auxilio reportare possemus*; C) *sed eheu! vincimur ac* D) *ludibriis gentium vicinarum exponimur,* E) *idque patimur innocentes;* F) *quare, Deus, subveni nobis!* — (5, 5, 4, 4; 5, 5 versus).

Adnotanda. [a] Ipsi audivimus, i. e. sic nobis inde a Moysis et Iosue aetate narratum et traditum est.

[b] *lumen vultus:* serenitas faciei, signum benevoli favoris.

[c] *Iacob* = Israël, Israëlitae.

[d] Hebr. *arietare* seu *cornu ferire*, i. e. (in modum arietum) aggredi, ferire, profligare.

[e] *nomen* = opifera Dei praesentia.

f In bellis victi et capti saepe a victoribus venumdabantur; Deus hoc permittens Israëlitas vendere dicitur. Ac peculiaris ignominia eo continetur quod venditio fit vilissimo pretio.

g Hebr. *ponis* (facis) *nos opprobrium vicinis* etc.

h *in loco draconum* (proprie *thoum, canum aureorum: Schakale*): in loco horrido, deserto. Locus certaminis, ad quod alluditur, fuisse videtur in regione inculta, ubi auxilium et salus exspectari non poterat, sed solum pernicies.

i Animis et corporibus sunt depressi, afflicti, miseri.

Ps. 45 (Vg. 44). Carmen nuptiale canitur Regi-Messiae, Sponso Ecclesiae.

1 CHORI MAGISTRO. SUPER LILIIS. FILIORUM CORE. MASKIL. CANTICUM AMORIS.

A 2 Ebullit cor meum verbo bono:
dicturus sum poëma meum regi;[a]
lingua mea est velut stilus scribae velocis.

B 3 Speciosus es prae filiis hominum,
effusa est gratia in labia tua:
itaque benedixit tibi Déus — in aeternum![b]

C 4 Accinge gladium tuum super femur, potentissime!
decorem ornatumque tuum.
5 [*] Macte virtute[c]! evehere pro causa veritatis et *aequitatis
et doceat te terribilia[d] dextera tua, [et iustitiae,
6 Sagittae tuae sunt acutae,
populi sub te cadant,
in cor inimicorum regis.[e]

D 7 Thronus tuus, Deus, est in aeterna saecula,[f]
sceptrum aequitatis est sceptrum regni tui.
8 Diligis iustitiam et odisti iniquitatem,
propterea unxit te Déus, Deus tuus,
oleo laetitiae prae consortibus tuis.[g]
9 Myrrhâ, aloê, casiâ *halant* vestimenta tua,
ex palatiis eboratis fidium cantus te laetificat.
10 Filiae Regum sunt inter caras tuas,
adstat regina ad dexteram tuam *splendens* auro Ophireo.

E [11] Audi, filia, et vide,
et inclina aurem tuam :
Et obliviscere populum tuum et domum patris tui,
[12] et sine desideret rex pulchritudinem tuam.
Quoniam ipse est dominus tuus,
adora ipsum.
[13] Et (* veniet) Filia Tyrus cum munere, [h]
favorem tuum poscent [i] divites plebis.

F [14] Omnimodis gloriosa filia regis *graditur* intro,
ex texturis aureis est amictus eius.
[15] Variegata veste in*duta* [k] adducitur regi,
virgines post eam, amicae eius, introducuntur tibi.
[16] Afferuntur cum laetitia et iubilo,
intrant in palatium regis.

G [17] Suc*cessores* patrum tuorum sint filii tui,
constitues eos principes per universam terram.

H [18] Celebre facere velim nomen tuum in generationem et ge-
[nerationem,
ideo populi te laudibus efferant in aeterna saecula !

Argumentum. *Ad Messiam refertur hic psalmus (v. Hebr. 1, 8) ; unanimis Patrum ac plerorumque commentatorum catholicorum consensus eo dicit celebrari unionem Christi cum Ecclesia. Conubium alicuius regis Davididae auctori carminis inspirato praebuisse occasionem, impulsum, imagines ideasque ad hoc et tale poëma pangendum, non est cur aut positive affirmemus aut negemus. A vita coniugali regum, quibus esse solebant multae uxores, regina una, sumi videntur figurae et colores imaginis ad adumbrandam aliquatenus futuram in aera messiana tam multitudinem nationum cum Christo uniendarum quam ipsius Ecclesiae unitatem.* — A) *Exordio lyrico poëta sese ad digne tali rege loquendum excitat ;* B) *primum ex iis, quae in hoc rege videt atque audit, eum esse a Deo summo favore praeventum agnoscit et gratulatur ;* C) *regis fortitudinem excitat ad bellum pro causis iustissimis, victoriasque gloriosas ei apprecatur ;* D) *dein describit huius regis imperium iustitiae sempiternum, eius in pace gaudia, praesertim quae habet ex addictis ei filiabus regum et regina, quam sibi desponsaturus est.* — E) *Sponsam Regis-Messiae paulisper alloquens hortatur, ut, eorum quae prius amaverat obliviscens, se totam Sponso regio tradat eumque adoret ; necnon ei gratulabundos cives nobiles regni ostendit ;* F) *ad Regem revertens, contemplatur pompam splendidam Sponsae ad eum introductae ;* G) *regi optat et praedicit filios-principes, regiae potestatis futuros socios ;* H) *epilogus lyricus gloriam regi immortalem augurans, carmen absolvit.* — (1 ; 1, 3, 4 ; 4, 3, 1 ; 1 versus).

Adnotanda. [a] Dativus " *regi* „ ex indole sermonis hebraici stare potest pro " tibi, o rex „ (v. 2. 15), et genetivus " *regis* „ pro " tuus (tua tuum etc.), o rex „ (v. 6. 16.).

[b] Ex iis quae in rege apparent, psaltes cognoscit, illum esse a Deo benedictum, et ut haec benedictio in aeternum maneat, optat.

[c] *ṣĕlàḥ* esto felix, prosper!

[d] I. e. facinora quae omnium admirationem excitent et hostes terreant.

[e] *Sub te cadant:* frt. = tibi subiiciantur. Sunt qui huius versus versionem communiter acceptatam, cum medius stichus sententiam inceptam parenthetice interrumpat, pro improbabili habeant. Hoc incommodum vitari posset, vel medio sticho ad finem versus translato; vel hac constructione supposita: " *Sagittae tuae sunt acutae, populi sub te* (sub tuo imperio sunt, ad omnia, quae iubebis, parati): *irruent* (quando imperabis) *in medios hostes tuos, o rex!* „ (milites dicuntur *nafàl bĕ-* cadere in .., irruere, Ios. 11, 7. Idc. 7, 12 al).

[f] Textus hebr. huius stichi est critice certus (nulla lectio varia). Item haec versio, quae est omnium antiquorum communis; nam novae quaedam recentiorum versiones (α. *thronus tuus est* [thronus] *Dei* ...; β. *tuus Dei - thronus* seu *tuus thronus divinus est aeternus*) ab optimis semitistis addubitantur. — Quodsi quaeras, quo sensu hîc vox *Deus* accipiatur, id pendebit potissimum ex quaestione, sitne psalmus directe messianus an typice messianus. Certum est hunc psalmum esse messianum: haec est sententia communis antiquitatis christianae, Novi Testamenti (cf. Hebr. 1, 8; etiam Eph. 5: ideam enim conubii Christi cum Ecclesia Paulus non ex Cantico canticorum, quod in NT nusquam citatur, sed ex hoc psalmo hauserit), necnon Synagogae (cf. Targum ad v. 3: *pulchritudo, o rex Messia, praestat pulchritudini filiorum hominum*). Nobis fide certum est, Christum, ad quem psalmus directe vel indirecte refertur, sensu proprio esse Deum. Commodissima igitur sententia est ea, quae tenet, psalmum esse directe messianum, et Messiam, saltem ex mente Dei inspirantis, sensu proprio appellari Deum; antequam Christus venit et clare se Deum esse docuit, hic sensus Iudaeos, et fortasse ipsum psalten, latebat. Si, hoc supposito, psaltes plenum sensum vocis " *Deus* „ non assecutus est, ac magis etiam, si hoc carmen directe alicui regi Davididae, et solum indirecte Messiae, cecinit, hic titulus " *Deus* „ (quoniam adulationem more aularum regiarum aliorum populorum in sublimi carmine inspirato supponere nefas est) eo sensu accipiendus videtur, quo in V. T. iudices ac principes a Deo constituti, utpote Dei quasi vicarii, *ĕlohîm* appellantur (Ex. 22, 7. 1 Sam. 2, 25. Ps. 82, 1. 6).

[g] *Consortes*, collegae in dignitate regia, ceteri reges.

[h] *Tyrus:* Tyrii; si urbes ut persona proponuntur a poëtis, nomini proprio praefigi solet *bàt* (filia). — S. Hieronymus vertit: *Et, o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur omnes divites populi.* Legit igitur (nec ipse solus; v. Crisin textus) *bat-ṣûr*, hocque pro nomine vel cognomine Sponsae habet. " *Filia Dei* „ (ita etymologice hoc nomen vertendum esset) aptum nomen foret Sponsae Christi, Ecclesiae, coetus filiorum Dei.

[i] Hebr. *faciem tuam mulcebunt.*

[k] Ita communiter vertitur. At, quia *lĕ-* praepositio potius locum quo eatur indicare videtur et *riqmâ* varias res multicolores significat (marmor 1 Par. 29, 2, avis pennas Ez. 17, 3, vestes Ez. 16, 10): forsan *lirqamôt* 'ad variegata' idem esse possit quod ad locum columnis multicoloribus vel tapetibus variegatis ornatum.

Ad psalmos 46. 47. 48 praenotanda.

Psalmi 46–48 ad illud tempus eosve eventus apte referri posse videntur, quae narrantur in 2 Chr. 20. Etenim conspiraverant contra Iosaphat, regem Iuda, Moabitae et Ammonitae aliaeque gentes vicinae. In hoc periculo Iosaphat rex cum populo " totum se contulit ad rogandum Dominum „ (l. c., v. 3). Post sollemnem regis precem Iahaziel propheta, divinitus inspiratus, omnes ad spem erexit et bonum successum vaticinatus est. Hanc intrepidam spem eaque sensa quibus ille vates plebem est consolatus, repetit psalmus 46.

Postridie, imminente proelio, cum cantores a rege constituti inciperent laudare Dominum, " vertit Dominus insidias eorum [hostium] in semetipsos „ (l. c., v. 22). In hac Domini victoria et inimicorum clade psaltes videt quoddam praesagium atque initium fundandi regni Dei universalis in quod omnes gentes congregabuntur. Hanc ideam evolvit psalmus 47.

Cladem hostium cum admiratione contemplati, reportata praeda immensa, Iudaei reversi sunt ad sacram Urbem cum ingenti laetitia et ingressi sunt cum psalteriis et citharis et tubis in domum Domini (l. c., v. 27 s.). Ad hanc festivam laetitiam respicit psalmus 48. — Cfr. *Cornely*, Psalmorum synopses, in h. l.).

Sunt tamen, qui hos psalmos ad Ezechiae et Sennacherib tempus referant.

Ps. 46 (Vg. 45). Deus est protector urbis plebisque suae.

[1] CHORI MAGISTRO. FILIORUM CORE. 'AL–'ALAMOT. CANTICUM.

A [2] Déus est nobis praesidium et robur,
auxiliator in periculis, inventu facilis.[a]
[3] Propterea non timemus, quando * recedit terra,
et quando nutant montes in corde maris.
[4] Fremant, spument aquae eius,
contremiscant montes aestuatione eius:
(Dñus Sabaoth est nobiscum,
tutum asylum nobis est Deus Iacób). SELA.

B [5] Flumen *quoddam* undis suis laetificat civitatem Déi,[b]
* sanctissimum tabernaculum Altissimi.[c]
[6] Déus est in ea, inconcussa stabit,
auxiliabitur ei Deus sub lucis ortum.[d]
[7] Fremunt gentes, labant regna,
Ipso tonante fluitat terra:
[8] Dñus Sabaoth est nobiscum,
tutum asylum nobis est Deus Iacób. SELA.

C [9] Ite, spectate grandia facinora Dñi,
qui peregit stupenda in terra :
[10] Qui sedat bella usque ad finem terrae,
arcus conterit et confringit hastas,
* parmas[e] comburit igne.
[11] " Desistite, et cognoscite Me esse Déum !
excelsus ero in gentibus, excelsus in terra „.
[12] Dñus Sabaoth est nobiscum,
tutum asylum nobis est Deus Iacób. * SELA.

Argumentum. *Vide praenotata p.* 77. *Populus in magno versans periculo ad fiduciam in Deo habendam excitatur tribus strophis.* A) *Deus semper in magnis periculis populo suo opem tulit : ergo non est cur animo despondeamus, praesertim cum Urbs per Dei in templo praesentiam sit sacrosancta, inviolabilis, tuta.* B) *Itaque quantumvis strepant gentes, corruant alia regna, totaque terra fluitare videatur, nos, quia Iahve est nobiscum, tuti sumus.* C) *Certus de vaticinio Iahazielis implendo, psaltes iam suos populares iubet contemplari bellum potentiâ Dei finitum, hostes vero monet ut ab inani conatu desistant et Iahve Deum agnoscant.* — (4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *invenibilis valde*, i. e. qui se inveniri seu adiri sinit libenter.

[b] Ut paradisus habuit flumen, quod illum perfluens fertilem, amenum, pulchrum reddebat, ita quiddam est in sacra urbe Dei, quod eam velut fluvius amenus laetificat, nempe sanctum templum Altissimi, ubi Iahve supra arcam foederis sedet.

[c] Hunc stichum verterunt LXX : " *sanctificavit* (i. e. sacrosanctum, inviolabile fecit) *tabernaculum suum Altissimus* „, Syrus : *sancta est domus habitationis Altissimi*, Hieronymus : *sanctum tabernaculum Altissimi.*

[d] Quid postridie mane evenerit, narratur in 2 Chr. 20, 20 ss.

[e] Quia *'ăgalôt* (TM) secus non sunt currus militares, sed currus seu plaustra agricolarum, exegetae hic ambigunt quid psaltes comburi dicat : eosne currus quibus ad locum pugnae cibi (vel machinae in opere expugnandae urbis) afferantur, an (mutatis vocalibus secundum LXX. Hier. Targ.) *scuta* i. e. *'ăgilót* (cfr. aram. *'ăgîl* ' parma 'rotunda).

Ps. 47 (Vg. 46). Gentium in regnum Dei congregatio auguratur.

[1] CHORI MAGISTRO. FILIORUM CORE. PSALMUS.
A [2] Omnes populi, plaudite manibus,
iubilate Déo voce exsultationis.
[3] Nam Dñus Altissimus est metuendus,[a]
Rex magnus super universam terram.

[4] Subicit[b] populos nobis,
et nationes pedibus nostris.
[5] Eligit nobis hereditatem nostram,[c]
decus Iacób[d] quem diligit. SELA.

B [6] Ascendit Déus cum iubilatione,
Dñus cum clangore tubae.
[7] Psallite Déo, psallite!
psallite Regi nostro, psallite!

C [8] Profecto rex totius terrae est Déus:
psallite hymnum!
[9] Iam regnum capessit Deus super gentes,
iam Déus considit in throno sancto suo.
[10] Iam principes populorum congregantur,
populus Dei Abrahám[e]
Nam Déi sunt clipei terrae:[f]
valde exaltatus est![g]

Argumentum. *(Cfr. notam psalmo 46 praemissam).* A) *Victoriam divinitus factam contemplatus, vates omnes populos ad laudandum unum verum Deum invitat, qui praedilecti populi sui hereditatem, hostibus profligatis, confirmavit;* B) *Deum velut victorem in templum vel in caelos revertentem clangore tubarum ac psalmis celebrari iubet;* C) *in hac partiali victoria symbolum, initium ac pignus fundationis regni Dei universalis videns, Deum tamquam regem totius terrae omniumque principum dominum supremum celebrat.* — (4, 2, 4 versus).

Adnotanda. [a] " Irruit pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent, quod pugnasset Dominus contra inimicos Israël „ (2 Chr. 20, 29).

[b] Affectum approbationis, gaudii, triumphi, nobis videtur forma verbalis hebraica *jadbér* (iussivus seu volitivus) continere (poëta volitivo utitur, quia simul innuit, se id velle ac summopere approbare, quod fieri narrat).

[c] Olim Deus populo Israël elegit et dedit terram Chanaan; nunc, ut rex Iosaphat orabat, hostes " nituntur eiicere nos de possessione, quam tradidisti nobis „ (2 Chr. 20, 11); victis igitur hostibus, Deus Israëlitis iterum eligit et confirmat donationem olim factam. An legendum *janḥilénu* 'dat nobis possidendam etc.' (Perles)?

[d] Terra electa est Israëlitarum *decus*, gloria, utpote qua gloriantur; *Iacob* = Israël = Israëlitae.

[e] Psaltes in spiritu iam praevidet ceteros populos cum populo Israël unitos in unum *populum Dei Abraham;* certe eadem idea, etsi minus explicite, continetur in lectione variante (LXX. Syr. *'im* pro *'am*) " ... *congregantur cum Deo Abraham* „.

[f] Ut Deus vocatur alicuius hominis *clipeus* i. e. protector, defensor (Gn. 15, 1.

Ps. 3, 4); ita *princeps* dicitur populi vel terrae *clipeus* (Ps. 89, 19 *maginnénu* || *malkénu*), item hic principes gentium.

9 Quando populi et principes se Deo subiciunt, hic se manifestat ut unum verum Deum atque ut Regem regum; ergo vere altus, excelsus apparet. LXX. Hier. legunt pluraliter *exaltati sunt* (clipei terrae); quod item verum est: Deo se subicere est exaltari, Deo servire, regnare.

Ps. 48 (Vg. 47). Iubilatio de Urbe incolumi servata.

1 CANTICUM. PSALMUS. FILIORUM CORE.

A 2 Magnus est Dñus et laudandus valde
in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.
3 Pulchre eminet, gaudium est totius terrae mons Sion,
angulus borealis, Urbs Regis magni. a
4 Déus est intra arces eius,
manifestavit se ut tutum munimentum.

B 5 Ecce enim reges congregati sunt,
advenerunt simul.
6 Hi viderunt, illico obstupuerunt,
conturbati sunt, diffugerunt.
7 Tremor eos comprehenderat,
illic dolores *erant* velut parturientis.

C 8 Vento euri confringis * naves Tharsis: b
9 sicut *prae*audieramus, c sic *fieri* vidimus,
In civitate Dñi Sabaoth,
in civitate Dei nostri:
Déus eam stabiliet in aeternum. d SELA.

D 10 Perpendimus, Déus, pietatem tuam
intra templum tuum.
11 Sicut nomen tuum, Déus, ita laus tua est usque ad fines [terrae,
iustitia *cuius* plena fuit dextera tua. e
12 Laetetur mons Sion,
exsultent filiae Iuda, f
propter iudicia tua, * Dñe.

E 13 Ambite Sion et circumambulate eam,
numerate turres eius.

[14] Animadvertite ad firmum murum eius,
percurrite arces eius,
ut narretis generationi posterae:
[15] " Vere hîc est Déus, Deus noster in aeterna saecula,
ipse nos tuto ducet super ' mortis pericula '.[g] [?]

Argumentum. *(Recole, sis, notam ps. 46° praemissam). In festivitate magnae ac mirabilis victoriae (2 Chr. 20, 27) psaltes* A) *Ierusalem, urbem Dei sacram celebrat, quam Dominus potenter protexerit*; B) *etenim Deus reges eorumque exercitus contra eam congregatos subito conturbavit et fugavit*; C) *sicut vates praedixit, ita evenit: Deus urbem sanctam expugnari non sivit*; D) *ideo in templo ei gratiae aguntur et ubique nomen Dei celebratur*; E) *circueant et contemplentur urbem incolumen servatam, et hoc mirabile beneficium posteris narrent.* — (3, 3, 2, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Hic *Rex magnus* est Deus.

[b] *Naves Tharsis*, cum de pugna navali non agatur, sunt imago superbae potentiae alicuius populi (Is. 2, 16; 33, 21. Ez. 27, 26): Deus potentiam superbiamque hostium contrivit, sicut procella conterit naves Tartessias.

[c] Id antea audiverant ex ore Iahaziel prophetae; cfr. 2 Chr. 20, 14–17.

[d] Secundum ideam 46, 6 enuntiatam fortasse melius verti potest " *in civitate* [legendo *ba'îr*] *est Dñus Sabaoth, in civitate est Deus noster: Déus eam tuetur in aeternum.*

[e] Manus Dei *plena est* earum rerum, quas hominibus confert et distribuit; hîc plena fuit *iustitiae*, qua Deus suos protexit, eorum adversarios confudit.

[f] *Filiae Iuda*, civitates istius regionis.

[g] Quid sibi in fine velit *'l-mwt*, iam veteres ambigebant: LXX ' ipse pascet nos *in saecula* (*'ôlamôt;* sed talis pluralis nullo alio loco occurrit); Syrus: '... *super mortem*,' item S. Hier.: *ipse erit dux noster in morte* (ergo *'al-máwet*). Psalmus bene sic finiri posse videtur: ' Ipse nos tuto ducit super (id est: per, trans) mortis periculum.' Schema metricum favet sententiae, hoc vocabulum ad carmen pertinere. — Auctores recentes plerique censent esse notam musicalem = (*'ălamôt*, [canendum voce] virginum = Sopran, Discant).

Ps. 49 (Vg. 48). Divitum mundanorum prosperitas vana est.

[1] CHORI MAGISTRO. FILIORUM CORE. PSALMUS.

(Prologus)

[2] Audite hoc, omnes populi,
auscultate, omnes incolae mundi,
[3] Tam plebeii quam proceres,
una dives et pauper.

[4] Os meum loquetur altam sapientiam,
et meditatio cordis mei est summa prudentia.[a]
[5] Praebebo proverbio os meum,
recludam ad lyrae sonum aenigma meum.

* *

A [6] Quare timeam in diebus mali,
quando nequitia insecutorum meorum me circumdat,
[7] Qui fidunt opibus suis
et copia divitiarum suarum gloriantur ?
[8] Vah ! non liberabitur, non * liberabitur quisquam,[b]
non dabit Déo redemptionis suae pretium :
[9] Nimio constat[c] redemptio animae eorum,
desistetque *a tali conatu* in aeternum,
[10] Ut vivere velit porro in perpetuum
nec videre interitum.
[11] Videmus enim[d] sapientes mori
nec minus stultum et brutum interire,
relinquere debuisse aliis opes suas.
[12] Ipsorum * sepulcra[e] sunt domus eorum in aeternum,
domicilia eorum in generationem et generationem,
qui indiderant nomina sua praediis.
[13] Homo igitur in luxu non permanet,
similis evasit pecudibus quae iugulantur.

B [14] Haec est via eorum, haec spes illis ![f]
sed *dum* futura sua ore suo depraedicant[g] SELA
[15] iam ut oves ad infernum deferuntur, a Morte pascendi.[h]
Et triumphabunt eos iusti mane,[i]
et figura eorum absumenda *datur* Inferno *procul* a
[domicilio suo proprio.[k]
[16] Verum Déus liberabit animam meam de manu Inferni,
nam Assumet me]. SELA.
[17] Noli timere, si ditescit aliquis,
si augetur gloria domus eius.
[18] Neque enim, quando morietur, *secum* sumet omnia,
nón sequetur eum illuc, quo descenderit, gloria sua.[m]
[19] Si sibi ipsi, in vita sua benedicit[n]
et tibi gratulantur quod tibi benefacias,[o]

[20] Veniet [p] tamen ad domicilium patrum suorum,
in perpetuum non visurus lumen.
[21] Homo in luxu *vivens* nec haec considerans
similis evasit pecudibus, quae iugulantur.[q]

Argumentum. *Psalmista* in prologo *omnes invitat ad audiendam doctrinam magni momenti. Arripit ut caput instructionis quoddam proverbium* (mašál) *passim auditum, sc. homines et pecudes, utpote pariter mortales, esse pares (cf. v. 13); ex hoc proverbio elicit poëta aenigma* (ḥidá *profundius dictum*), *scil. eos similes esse etiam ac potius eo quod sortem finalem non recognoscent. Illud* proverbium *poëtice explicat prior stropha, hoc aenigma meditandum proponit altera.* — (Prologus 4, ac carmen 8, 8 versuum).

Adnotanda. [a] Hebr. pluraliter: *sapientias, prudentiae.*

[b] *áḥ* plerumque quidem fratrem designat; sed exsistit etiam interiectio lugentis (Ez. 6, 11) *eheu! vah!* Aptae constructionis causa legimus passive *jippadè; îš* = aliquis, ut in v. 17. Versionem usitatam "*fratrem nullo modo redimit vir*„ mirus vocabulorum ordo et evitata dictio *vir fratrem suum* (ἀλλήλους) suspectam reddit; insuper hîc potius quaeritur, num dives seipsum a morte servare queat.

[c] Hebr. *cara, pretiosa esset.*

[d] *jir'è* apte impersonaliter accipitur = man sieht, on voit.

[e] Lectionem TM. *qirbâm* Z. Kahn ita interpretatur: *Eorum mens* (idea, opinio) *est, domus suas esse aeternas, habitacula sua perpetua, se [in perpetuum] indidisse nomina sua praediis suis; sed homo* etc. Apte quidem ita, sed talis usus vocis *qèreb* nobis est dubius. Planior est lectio LXX. Syr. *qibrám* vel *q.barîm.*

[f] *kèsel lámo*, (spes illis) potest etiam considerari ut appositio ad *darkám:* haec est eorum via, obiectum spei pro illis. Sunt qui *kèsel lámo*, alia radice supposita, vertant: *tanta stultitia illis*, tam stulti sunt!

[g] Ambiguitas omnium huius stichi vocabulorum sensum obscurat. Etenim *aḥărêhèm* post eos (post eorum mortem), an οἱ μετ' αὐτούς, eorum posteri vel sequaces, an τὰ μετ' αὐτούς eorum futura (fata)? — *b.fîhèm* ore suo, an dictis eorum? *jrçw* = *jirçû* complacent sibi, an *jarûçu* currunt? Ita Hier. vertit: *et post eos iuxta os eorum current;* alii: *[utut] ore suo* (verbis) *futura sorte sua contentos se esse dicant;* alii: *dum* (homines) *post eorum mortem eorum dicta approbant, ipsi iam* etc.

[h] Ad litteram: *mors eos pascet.* Sunt ipsi oves, infernus eorum pascua vel caulae, mors eorum pastor.

[i] *mane*: post noctem mortis venit igitur aliquod 'mane,' initium novae vitae, saeculum futurum. Cfr. Crisin textus.

[k] Ita si textus traditus servatur. Etenim *zĕbûl* alibi est Dei habitaculum in templo (3 Rg. 8, 13), vel in caelo (Is. 63, 15), vel sideris in caelo statio (Hab. 3, 11); *mizzĕbûl lô* (vel, ut legere volunt) *mizz.bûlô*) potest verti 'procul ab, exclusus ab, sine domicilio sibi (suo).' Quale domicilium habere potuissent, conclude ex versu sequenti: sc. apud Deum. — Sunt qui vertant *Infernus est domicilium ipsi.*

Ex oppositione cum sorte impiorum hoc '*assumet me*' significat: Deus assumet me ad se (cf. 11, 7; 17, 15; eodem sensu *laqàḥ* Gn. 5, 24 de Henoch,

4 Reg. 2, 10 de Elia, Ps. 73, 24 de pio). Sunt tamen qui vertant; 'Deus me liberabit a manu inferi, si [hic] me abripere volet.'

m Hebr. *non descendet post eum gloria eius.*

n I. e. si dives sibi de vita felici gratulatur.

o Ut qui psalmum recitat, sibi dicta applicet, sermo convertitur ad "2am personam„.

p *veniet:* in hebr. (fem. *tabô'*) intellege veniet anima eius, quae in 19a nominatur (sibi ipsi *nafšô*). — *dôr* prob. = domicilium (Is. 38, 12) potius quam generatio.

q Ultima vox utriusque strophae est anceps: *nidmû* enim significare potest 'exitio devoventur, iugulantur' (cf. Is. 6, 5); sed nihil obstat, quominus cum LXX. Syr. Hier. consideretur ut passivum vel reflexivum ad *dimmâ*, = 'inter se pares sunt'.

Ps. 50 (Vg. 49). Quomodo Deus colendus sit.

1 PSALMUS. ASAPHI.

[Prologus]

Praepotens, Deus, Dñus[a] locutus est et convocavit terram,
omnes ab ortu solis usque ad eius occasum.
2 Ex Sion consummata pulchritudo,[b] Déus, effulget,
3 ádvenit Deus noster neque *amplius* tacebit.
Ignis ante eum vorat,
et circum eum tempestas saevit.
4 Advocat caelos[c] desuper,
et terram, iudicaturus populum suum:
5 "Congregate Mihi pios Meos,
qui pepigerunt Mecum foedus inter sacrificium!„
6 Et annuntiant caeli iustitiam eius,
nam Déus iudicaturus est: SELA.

* *

A 7 "Audi, mi populе, et sine me loqui,
Israël, sine me te commonere:
Déus, Deus tuus sum ego.
8 Non ob sacrificia tua te vituperabo,
nam holocausta tua coram me sunt semper.
9 Non sumo ex domo tua vitulum,
ex caulis tuis hircos:

10 Meae enim sunt omnes beluae silvestres, iumenta in mon-
[tibus pecuariis;
11 novi omnia volatilia caeli, et quidquid in agris mo-
[vetur, penes me est.
12 Si esurirem, non dicerem tibi,
meus est enim orbis terrae et plenitudo eius.
13 Num comedam carnem taurorum
aut sanguinem hircorum bibam?[d]
14 Sacrifica Déo laudem,
et persolve Altissimo vota tua.
15 Et invoca me die angustiae,
eripiam te et honorabis me„. SELA.

B 16 Impio vero dicit Déus:
" quid tibi *vis*, *quod* enumeras praecepta mea
et versas foedus meum ore tuo,
17 Cum oderis disciplinam
et reieceris verba mea post te?
18 Si vidisti furem, * cucurristi cum eo,[e]
et adulterorum es particeps.
19 Os tuum libere aperuisti[f] ad malum,
et lingua tua concinnat dolum.
20 Sedes, adversus fratrem tuum loquens,
filium matris tuae afficis ignominia.
21 Haec cum feceris, ego sileam?
opinatus es fore ut sim tui similis?
vitupero te et exprobro tibi coram.
22 Intellegite, quaeso, hoc, immemores Déi!
cavete ne *vos* corripiam et nemo eripiat!
23 Qui sacrificat laúdem,[g] me honorat,
et qui fácit viam,[h] ei fruendam dabo salutem Déi „.

Argumentum. *In forma iudicii coram tribunali Dei duo defectus multorum Israëlitarum reprehenduntur:* A) *quod, dum Deo dona et sacrificia offerunt, sibi videntur aliquid magni facere vel ei aliquid dare quo indigeat, internum vero sacrificium laudis et gratitudinis neglegunt;* B) *quod Legem Dei semper in ore gerunt, sed opere non exsequuntur. Ultimi duo versus omnia summatim recapitulant.* — (Prologus, et 2 strophae 8, 8 versuum).

Adnotanda. [a] Iudex divinus solemniter tribus nominibus designatur: *El* fortis Deus, *Elohîm* Deus ut mundi universi conditor ac dominus, *Jahwè* Deus foederis cum populo Israël initi.

b Iam veteres ambigunt, utrum *miklal-jófi* (perfectio pulchritudinis) sit subiectum verbi *effulget*, an vero sit appositio ad Sion (Hier.: *ex Sion perfecta decore*). Sed hic gloria splendida Dei apparentis, non gloria Sionis, cuius cives iudicantur ac reprehenduntur, efferenda erat.

c In vv. 4. 6 *caeli* = caelites, angeli.

d Omnia in mundo iam mea sunt, non debeo, ut ea habeam, a te sumere vel donata accipere (v. 9–11); nec indigeo carne ut famem expleam (v. 12 s.): ergo sequitur, si Deus praecipit sacrificia, non vult ditari vel saturari, sed laudari et honorari.

e I. e. festine, avide te ei adiunxisti.

f Hebr. *Os tuum libere-dimisisti*, ab omni freno liberum discurrere sivisti.

g Laus Dei, voluntas et cura honorandi Deum, est de essentia sacrificii, non vero caro animalium. Non qui mere marterialiter secundum praecepta legis vitulos immolat, sed *qui immolat laudem*, tale sacrificium quod propter sinceram ac sanctam mentem offerentis ut laudatio Deo digna considerari possit, is me vere honorat.

h *śám dèrek* 'qui facit viam.' Hoc sticho corrigitur ille impius, qui (v. 16 s.) legem Dei tantum ore versat, sed non observat. Ergo sensus stichi hîc expectandus est 'qui legem Dei etiam opere implet.' Revera *dèrek* saepe est via homini a Deo praescripta (cf. 119, 1 *dèrek* via || lex Domini; 24, 8 al.), id quod Deus vult ut homo faciat (liberius vertendo dicere possemus *officium: Pflicht, devoir*). *Qui fácit quae debet*, non qui dumtaxat de iis loquitur, salutis Dei compos erit. Symmachus et Hieronymus verterunt *qui ordinate ambulat*. Alii corrigunt textum in *tam-dèrek* 'immaculatus in via' (cf. 119, 1*a*).

Ps. 51 (Vg. 50). Peccatorum confessio et deprecatio.

1 CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID, 2 CUM VENISSET
AD EUM NATHAN PROPETHA,
POSTQUAM REM HABUIT CUM BETHSABEE.

A 3 Miserere mei, Déus, secundum pietatem tuam,
secundum multitudinem misericordiae tuae dele ini-
4 Multum me lava a culpa mea, [quitatem meam.
et a peccato meo munda me.

B 5 Nam iniquitates meas ego cognosco,
et peccatum meum coram me est semper.
6 Tibi soli peccavi, a
et quod in oculis tuis malum est feci.
7 Ut iustus appareas in sententia tua,
inculpatus in iudicio tuo. b

[7] En in culpa iam partus sum,
et peccato in*fectum* concepit me mater mea.[c]

C [8] En veritate delectaris in praecordiis,
et secreto sapientiae tuae me instruis:
[9] Asperges me hyssopo ut emunder,
lavabis me, ut nive albior fiam.
[10] Auditui meo dabis gaudium et laetitiam,[d]
exsultabunt ossa quae contrivisti.
[11] Absconde faciem tuam a peccatis meis,
et omnia delicta mea deterge.

D [12] Cor mundum crea mihi, Déus,
et spiritum rectum renova in pectore meo.
[13] Ne proicias me a facie tua,
et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
[14] O redde mihi gaudium salutis tuae,
et spiritu generoso fulci me.[e]
[15] Docere volo iniquos vias tuas,[f]
et peccatores ad te convertentur.

E [16] Libera me de sanguinibus,[g] Déus, Deus salutis meae,
laudabit lingua mea iustitiam[h] tuam.
[17] Domine, labia mea aperies,
et os meum pronuntiabit laudem tuam.
[18] Quia non tibi placet sacrificium,[i]
et, *si* dare vellem holocaustum, non acceptares,
[19] Sacrificium * meum, Déus, sit spiritus contritus,
cor contritum et humiliatum Déus, non despicies.

F [20] Benigne age pro benevolentia tua cum Sion,
aedificans muros Ierusalem.[k]
[21] Tunc acceptabis sacrificia iusta, oblationem et holocaustum,
tunc offerent super altare tuum vitulos.

Argumentum. *David, a Nathan propheta criminis commissi convictus, dixit: " peccavi Domino „ (2 Sam. 12, 13). Noster psalmus ea regis cogitata et sensa, quae tunc eius animum commovebant, poëtice evolvit.* A) *Miserere mei et ignosce mihi!* B) *nam peccati reum me esse confiteor, quin etiam radicitus malum, utpote in peccato iam natum.* C) *Tu, qui me hac cognitione imbuere dignaris, me etiam, sic confido, purgabis a peccatis; proinde absolve*

et munda me, D) *et mundatum in bono confirma, ut non solum ego tibi generose serviam, sed alii quoque peccatores a me ad te reducantur.* E) *Tum te gratus laudabo et sacrificiorum loco, quae offerre non possum, cor meum contritum tibi offeram.* F) *Denique noli propter mea peccata urbi succensere, sed propitiatus permitte, ut exaedificetur fiatque sedes sacri cultus tui. — Secundum multos recentiores vero vv. 20 s. sunt exsulum in Babylonia oratio pro restauratione urbis ac templi* (cf. n. *k*). — (2, 4; 4, 4; 4, 2 versus).

Adnotanda. [a] Essentia omnis peccati, etiam eius quo iura proximi laeduntur, in eo est sita quod Deus offenditur; quia id fit quod in oculis eius malum est, contemptis eius praeceptis. Hanc summam peccati sui malitiam David dolens confitetur; non vero negat, se proximi quoque iura violasse.

[b] " Sensus videtur esse, Davidem aperte peccata sua confiteri, ut clarius appareat, iustam esse sententiam, quam Deus per prophetam Nathan contra ipsum pronuntiaverit ac iustam esse poenam, quam per eundem ipsi annuntiaverit „ (Cornely ad Rom. 3, 4). Item peccatum ex parte Dei permittitur, ut Dei iustitia et sanctitas resplendeat.

[c] Evidenter psaltes hîc vult Deo humiliter totam suam malitiam atque innatam sibi peccaminositatem agnoscere ac candide profiteri. Merito igitur Patres et theologi doctrinam de peccato originali in hoc loco enuntiatam viderunt. Ea nonnullorum recentiorum explicatio, quasi psaltes his verbis se excusaverit et culpam suam aliquatenus ad matrem et maiores devolverit, totius psalmi indoli adversatur.

[d] Nempe per annuntiationem veniae datae. Syrus legit, fortasse recte, " *satiabis* (*taśbi'éni*) *gaudio et laetitia.*

[e] Contra relapsum in peccatum nihil peccatorem sic praemunit ut animus laetus ac generosus, voluntas Deo magnanimiter serviendi.

[f] Docere alios velle censendus est tam verbis ac monitionibus, quam ipso suo exemplo, ex quo peccatores discent, quam bonus et misericors Deus sit, spem veniae concipient et ad Deum tam benignum revertentur.

[g] *de sanguinibus:* a culpa sanguinis effusi, homicidii. Sanguis enim Uriae effusus vindictam clamat.

[h] *Iustitiam tuam* probabiliter = *beneficium tuum,* ut saepe.

[i] Lex mosaica pro variis criminibus varia praeceperat sacrificia piacularia cum determinatis ritibus offerenda. Pro homicidio vero et adulterio nulla eiusmodi sacrificia praecepta erant, ideoque nulla admittebantur; sed horum scelerum reus per se occidendus erat. In legislatione divina de sacrificiis nec rex nec pontifex quidquam mutare poterat. Verissime igitur David dicit sua piacula, si qua vellet offerre, a Deo non acceptari. Nihil igitur Deo acceptabile offerre poterat, nisi spiritum contritum.

[k] *Si* versus 20 s. sunt Davidis, ita explicari posse videntur: Unus adhuc, postquam sibi ipsi peccati veniam petiit, timor angit pectus regis paenitentis. Etenim sibi proposuerat Hierosolyma reddere centrum regni ac theocratiae. Consilium templi a Davide aedificandi Deus iam inhibuerat et in filium Salomonem transtulerat (1 Par. 22, 7 ss. 2 Sam. 7, 12 s.); quid si Deus, qui iam propter multa bella gesta sibi ab hoc rege templum aedificari noluerat, nunc regis, homicidae facti, totum de templo exstruendo consilium reiceret? Ut haec quoque iusta poena, si forte eam Deus infligere constituisset, benigne remittatur nec urbs sacra propter se puniatur, in fine humiliter postulat. — Sed a pluribus ultimi

duo versus considerantur ut additamentum liturgicum ex tempore exsilii, in quo exsules — postquam cum Davide peccata confessi et deprecati sunt ac sacrificiorum loco, quae immolare non possunt, spiritum contritum et cor humiliatum Deo obtulerunt — restaurationem sacrae urbis ac templi a Deo petunt.

Ps. 52 (Vg. 51). Contra inimicum lingua potentem oratio.

1 CHORI MAGISTRO. MASKIL DAVIDIS. 2 CUM VENISSET DOEG
EDOMITA ET DENUNTIASSET SAULI,
DICENS EI : INTRAVIT DAVID IN DOMUM ACHIMELECH.

A 3 Quid gloriaris malitiâ, fortissime ! [a]
favor Dei *adest* assidue. [b]
4 Exitiosa cogitas,
lingua tua est velut novacula acuta,
patrator doli !
5 Diligis malum, non bonum,
fraudem, non loqui iusta. SELA.
6 Diligis omnes sermones perniciosos,
lingua fallax !

B 7 Etiam fortis Deus te destruet,
in perpetuum te removebit.
Extrahetque te ex tentorio,
et radicitus te exscindet e regione vitae. SELA.

C 8 Id videbunt iusti et verebuntur,
et de isto ridebunt * et dicent :
9 " Ecce vir qui non constituebat *in* Deo refugium suum,
sed confisus est in multitudine divitiarum suarum,
ferociens * opibus suis. [c]
10 Ego vero sum velut oliva viridans in domo Déi,
spero in favore Déi in sempiternum „.
11 Gratias Tibi agam in aeternum, quia *sic* egisti,
et praeconabor [d] nomen tuum, quòd bonum est, coram
[piis tuis.

Argumentum. *Secundum inscriptionem psalmus est carmen adversus Doeg Edomitam, qui praeerat pastoribus Saul regis. Cum David in Nobe veniret ad Achimelech sacerdotem et ab eo panes propositionis et gladium*

Goliath acciperet, Doeg ibi aderat et haec videbat (1 Sam. 21, 7s). Haec ille Sauli indicavit et iussu Saulis, ob opem Davidi praestitam irati, irruit in Achimelech et sacerdotes, et octoginta quinque viros ephod lineo vestitos trucidavit. A) *Accusatur malitia adversarii;* B) *poena ei annuntiatur;* C) *describitur gaudium iustorum et sors psalmistae beata.* — (4, 2, 4 versus).

Adnotanda. [a] *Fortissime!* vel *heros!* haud sine ironia: tota enim fortitudo huius viri constabat in denuntiando Davide et occidendis levitis inermibus.

[b] Noli gloriari! Deus mihi favet; cfr. v. 10 b, ubi idem fere verbotenus repetitur. — Posset tamen ita explicari, ut "*favor Dei assidue!*„ sint verba Doeg gloriabunda: "*Favor Dei*„, bona fortuna, *assidue* [me comitatur]," gloriatur, ut ille impius Ps. 10, 6.

[c] TM. ferociebat *malignitate sua*, LXX *vanitate sua*, Hier. *insidiis suis.*

[d] Ab aliqua radice *qwj* derivatur Piel *qiwwá* praeconari, proclamare (cf. assyr. *qibû* loqui) et *qâw* praeconium Ps. 19, 5. Is. 28, 10 (Barth, Etymol. Studien p. 29 s). Parallelismus cum verbo *hôdá* et additamentum 'coram piis tuis' hanc explicationem valde commendant.

Ps. 53 (Vg. 52). Regni Iuda hostes puniti sunt.

[1] CHORI MAGISTRO. 'AL-MAHALAT. MASKIL DAVIDIS.

A [2] Dixit insipiens in corde suo: "non est Deus„,
perverse et turpiter deliquerunt,
non est qui faciat bonum.

B [3] Déus de caelis prospexit super filios hominum,
ut videret, essetne *aliquis* intellegens, quaerens Deum.
[4] Omnes exerrarunt, pariter corrupti sunt,
non est qui faciat bonum, ne unus quidem.

C [5] Desipiuntne malefactores,
qui devorarunt populum meum ut comeditur panis,
qui Déum non invocaverunt?
[6] Illic paverunt pavorem, ubi pavendum non erat,[a]
nam Déus dissipavit ossa obsidentium te,[b]
ignominiâ illos opplevisti, quia Déus eos repudiavit.

D [7] Utinam veniat ex Sion salus Israél,
convertente Déo sortem Sion exsultet Iacob, laetetur
[Israël!

Argumentum. *Carmen davidicum ps. 14 a psalte posteriore aliquo, fortasse sub Ezechia rege vel Iosaphat, post magnam hostium populi Israel cladem divinitus inflictam, exiguis nonnullis textus mutationibus conversum est in carmen quo haec clades celebratur.* A) *Describitur hostis impietas* (*cf. Is. 36, 18 ss.*) *et* B) *magna in universo genero humano pravitas ;* C) *id quod in ps. 14 David rebellibus praedixit, hoc recens psalmista in suae aetatis hostibus iterum cernit impletum : ingentem cladem passi sunt ; ideo* D) *populus Israël laetetur.* — (1, 2, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Non erat hostibus ratio pavendi, nam ipsi potentiores erant Deus eos mirabiliter perterrefecit.

[b] Psaltes regem vel populum alloquitur.

Ps. 54 (Vg. 53). Contra inimicos oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. MASKIL DAVIDIS, [2] CUM VENISSENT ZIPHAEI ET DIXISSENT SAULI : ECCE DAVID ABSCONDIT SE APUD NOS.

A [3] Déus, nomine [a] tuo salva me,
et potentiâ tuâ tuere me.
[4] Déus, audi orationem meam,
ausculta verba oris mei.
[5] Nam alieni insurrexerunt contra me,
et crudeles quaesierunt animam meam,
non proposuerunt Déum in conspectu suo. SELA.

B [6] Ecce Déus auxiliatur mihi,
Dominus sustentat animam meam, [b]
[7] retorquebit malum in hostes meos.
In fidelitate tua ad silentium redige illos,
[8] spontaneum donum fac sacrificare queam tibi,
gratias agere nomini tuo, Dñe :
" Vere benignus est : [9] nam ex omni periculo eripuit me,
et in inimicis meis laeta vidit oculus meus „. [c]

Argumentum. *David, a Ziphaeis Saulí proditus* (*1 Sam. 23, 19 vel 26, 1*), A) *Deum rogat, ut sibi contra alienigenas cum Saul confoederatos auxilium praestet ;* B) *hoc divinum subsidium simul et confidenter sperat et instanter flagitat.* — (3, 3 versus).

Adnotanda. [a] *Nomen* Dei passim est praesens Dei auxilium, opifera Dei praesentia, providentia, numen.

[b] Ad litteram : Dominus est in sustentantibus animam meam.

[c] I. e. vidi eos prostratos, humiliatos.

Ps. 55 (Vg. 54). A malevolis inimicis ac perfido sodali infestati oratio.

1 CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. MASKIL DAVIDIS.

A 2 O ausculta, Déus, orationem meam,
et ne te subtrahas obsecrationi meae.
3 Attende ad me et exaudi me,
sollicitum lamentis meis et gementem,
4 Propter minas inimici,
ob pressuram impii.

Nam devolvunt super me mala,
et iracunde me infestant.
5 Cor meum trepidat in pectore meo,
et pavores mortis ceciderunt super me.
6 Timor et tremor invadunt me,
et obtegit me horror, 7 et dico:

7 Utinam alas haberem ut columba,
volare possem et *alicubi* subsidere!
8 Ecce procul aufugerem,
morarer in deserto. SELA.
9 Festinarem *invenire* suffugium mihi,
procul a turbine saevo, a procella.

10 Dirime, Domine! divide linguas eorum![a]
nam video violentiam et iurgium in civitate.
11 Die ac nocte *haec* eam circumdant ut moenia eius,[b]
et molestatio et vexatio sunt in ea.
12 Nefaria *fiunt* in ea,
nec recedit a foro eius oppressio et dolus.

13 * Si inimicus meus mihi improperasset, id sustinuissem,
* si quis me perosus contra me se efferret, ab eo me [abscondissem.
14 Sed tu[c] vir mihi aequalis, sodalis ac familiaris meus,
15 quocum dulcia habebam secreta et in aede Déi ince- [debam in ovante turba!
16 Irruat mors super illos! descendant ad orcum viventes,[d]
quia mala sunt in habitaculo eorum, * quamdiu prope [sunt.[e]

C [17] Ego Déum invocabo,
et Dñus salvabit me.
[18] Vespere et mane et meridie lamentabor et gemam,
et *audiet vocem meam.
[19] Liberabit in pacem animam meam ab *aggrediente me,
numerosi enim iam sunt qui mihi *obstant.

[20] Audiat Deus, illosque humiliet Is cuius thronus est[f] ab antiistos 'incorrigibiles'[g] nec Déum timentes: [quo, SELA,
[21] *Quorum quisque* extendit manum contra eos qui cum eo violato pacto suo: [pacem habent,
[22] Laevior butyro[h] est *facies eius, sed cor pugnax,
teneriores oleo videbantur sermones eius, sed sunt gladii.

[23] " Proice, super Dñum curam tuam[i] et ipse te sustentabit,
non sinet in aeternum labi iustum „.
[24] Tu igitur, Déus, eos demittes in puteum interitus,
viros caedis et fraudis:
Isti non dimidium explebunt dierum suorum,
ego vero suffugium habebo in te.

Argumentum. A) *David, tempore rebellionis absalomianae commoto animo periculum suum ac metum Deo exponit*; B) *orat Deum, ut immissâ discordiâ eos conturbet, qui urbem totamque rempublicam perturbaverant, maxime maerens quod unus olim sibi perfamiliaris ad adversarios transierit;* C) *sibi victoriam, illis cladem apprecans, caelestique voce confortatus ad spem plenam se erigit.* — (3, 3, 3; 3, 3; 3, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Fac adversarios discordes.

[b] Supponitur *'al* = ad modum, ad instar.

[c] Quia in hoc versu ab irreali suppositione versus praecedentis transitur ad rei veritatem, fortasse legendum est: *Nunc vero* (*w.'atta*) *est vir* etc.

[d] Nempe, ut olim Core eiusque socii (Num. 16, 33).

[e] Legi et verti solet *b.qirbám* 'in corde eorum,' quod iuxta 'in habitaculo eorum' positum non expectatur. Consonantes permittunt ut legamus *b.qorbám* 'in eorum prope esse' = quamdiu adsunt, qui sensus nobis simplicior et contextui aptior videtur.

[f] Hebr. *Is qui sedet.*

[g] Hebr. *quibus non sunt mutationes.*

[h] Faciem prae se fert blandam, affabilem.

[i] De vocis *j.hâb* significatione non constat. Ex veteribus LXX et Syrus interpretati sunt *curam tuam*, Hier. *caritatem tuam* (Aq. Symm. ut formam verbi *'ahàb:* 'diliget te'); sunt qui, collato vocabulo aram. *j.hăbă*, verti posse censeant *onus tuum.*

Ps. 56 (Vg. 55). Firma, inter summa pericula, spes in Deo.

[1] CHORI MAGISTRO. 'AL-JONAT ELEM REHOQIM. DAVIDIS. MIKTAM,
CUM EUM TENERENT PHILISTHAEI IN GETH.[a]

A [2] Miserere mei, Déus, nam inhiat mihi homo,
assidue bellator vexat me.
[3] Inhiant hostes mei assidue,
multi enim pugnant contra me.
[4] 'Absit ut ullo' die timeam![a]
ego in te spero.
[5] Déo fretus laudo eius promissum,[b]
in Deo confido:
non timeo, quid faciat caro mihi.

B [6] Assidue res meas contristant,
contra me sunt omnes eorum cogitationes, in malum.
[7] Metuant, se abscondant ipsi!
vestigia mea observare debeant, sicut impetiverunt
[8] In *tanta* nequitia — evadere illis licebit? [vitam meam.[c]
in ira 'istos' deiice, Déus!

C [9] Meos errabundi passus[d] numerasti tu;
o pone lacrimas meas in utre tuo,[e]
'pone' in libro tuo.[f]
[10] 'Olim'[g] recedent inimici retrorsum, quando *te* invocabo,
hoc scio, Déum esse pro me.
[11] Déo fretus laudabo promissum,
Dño fretus laudabo promissum.
[12] In Déo confido:
non timeo, quid faciat homo mihi.

D [13] In me *suscepi*, Déus, *vota,
persolvam gratiarum actiones tibi,
[14] Quod eripueris animam meam de morte,
item pedes meos a lapsu,
Ut ambulem coram Déo
in luce vitae.

Argumentum. *De tempore periculi, ad quod inscriptio psalmum refert, cf. 1 Sam. 21, 11 ss. Orat psaltes:* A) *In magno periculo te invoco, Deus,*

cum fiducia, memor promissionum tuarum; B) *propter malitiam inimicorum assidue me prementium rogo te: humilia eos*; C) *scis qualem vitam agere debeam*; *tamen non despero, tuis promissionibus confidens*; D) *me, si liberabor, vota mea grato animo persoluturum promitto.* — (4, 3, 4, 3 versus).

Adnotanda. [a] Finem v. 3 vertere solent *pugnant contra me ab alto* vel *superbe.* Nos hac voce (a qua, schematis metrici causa, v. 4 incohamus), ut in 10, 5, id designari censemus quod "altissimum „ i. e. longinquissime remotum est. Ergo ad litteram dicitur: longissime remotus (germanice dicerem: himmelweit entfernt) est vel sit dies quo timebo; liberius, sed clarius verti potest: absit ut ullo die, unquam, timeam.

[b] Deus, Davidem iam puerum in regem ungi iubens, illi eo ipso promisit vitam et liberationem ab hostibus donec regnum obtineat. Huius promissionis memor, iam nunc, plenus fiduciae, Deum de promisso fideliter implendo laudat.

[c] Faxit Deus, ut hostes me timere debeant, sicut hucusque eos timere debui mihi insidiantes.

[d] Hebr. *nodî* circumerrare meum, vitam meam fugitivam, errabundam, — *safârta* 'numerasti,' vel (cfr. stichum finalem et Ps. 87, 6) 'in librum scripsisti.'

[e] Orientales liquores pretiosos in utribus asservant ad usum opportunum; ita Deus hic poetice fingitur lacrimas servorum suorum, quarum fructum et meritum perire non sinit, tamquam rem magni pretii, apud se servare.

[f] Ut in v. 14 *hălô'* (nonne, ecce) vicem gerit verbi (*eripueris*) repetendi, ita hic pro repetendo *pone!* usurpari et sic verti posse videtur. Alii vertunt: *nonne sunt [inscriptae] in libro tuo?* — Mentione digna est coniectura (Perles), *sfrh* hic non esse librum, sed idem quod Arabum *súfrah*, illud receptaculum coriaceum itinerantium, in quo cibi aliaque itineranti necessaria recondunt, suo tempore promenda; vocum congruentia, parallelismus *utris* et "*sufrae*„ huic opinioni favet. Verti posset: *(pone eas) in escario tuo.*

[g] Hebr. *āz* 'tunc,' suo tempore, olim.

Ps. 57 (Vg. 56). In periculo oratio fiducialis.

[1] CHORI MAGISTRO. NE PERDAS [a]. DAVIDIS. MIKTAM. CUM FUGISSET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM.

A [2] Miserere mei, Déus, miserere mei,
nam in te confidit anima mea.
Et in umbram alarum tuarum *permitte* suffugiam,
donec praetereat calamitas.
[3] Invoco Déum Altissimum,
Deum cui cura est de me.
[4] Mittat caelitus *opem* et me salvet,
Ipse, cui improperavit insecutor meus. SELA.
Mittat Déus pietatem ac fidem suam,
[5] tum ego [b] in leonum spelunca *secure* decumbam.

Flammantes *ferae* [c] sunt filii hominum :
dentes eorum sunt lancea et sagittae
et lingua eorum gladius acutus.
[6] Excelsus appare supra caelum, Déus,
super universam terram *fulgeat* gloria tua!

B [7] Rete paraverunt pedibus meis :
Detinuit [d] animam meam.
Foderunt pro me foveam :
inciderunt in eam. SELA.
[8] Iam securum est [e] cor meum, Déus,
iam securum est cor meum : cantare libet et psallere.
[9] Eia, evigila, mens mea,
evigilate, nablium et cithara,
cantu excitem*us* auroram !
[10] Gratias *sine* tibi agam in populis, Domine,
tibi psallam in nationibus,
[11] Quod magna est usque ad caelum pietas tua,
et usque ad aethera *alta* fides tua.
[12] Excelsus appare supra caelum, Déus,
super universam terram *fulgeat* gloria tua

Argumentum. *1 Sam. 22, 1 ss. ac rursus 24, 1 ss. narrantur res gestae, ad quarum tempus psalmus secundum inscriptionem referri possit. Psaltes* A) *in periculo ad Deum confugit, utpote eius auxilium iam expertus, ac sub eius tutela etiam inter homines sibi infensissimos securus* ; B) *per firmam spem se iam salvatum videns, ad gratias Dei cantandas se ipsum excitat.* — (6, 6 versus, cum responsorio iterato).

Adnotanda. [a] Moses olim in extremo populi periculo, ut Deum ad misericordiam flecteret, precatus est *" al-tašḥét ! "* (ne perdas ! Dt. 9,26). Haec invocatio (quodammodo antiquum Kyrie eleison !) velut nota characteristica iis psalmis praefigi videtur in quibus psaltes a se suisque simile periculum precando amovere satagit (Ps. 57. 58. 59. 74).

[b] Hebr. *anima mea :* cfr. 3, 3.

[c] *lōhāṭîm* (*flammantes*, velut ignem spirantes, vel scintillas ex oculis ferocibus evomentes), ferae bestiae dentibus ac lingua nocentes, ergo, ni fallor, serpentes venenosi vel dracones.

[d] Cfr. verbum correspondens arabicum *káffa* 'alqm. avertit, inhibuit'. Sensus igitur videtur esse : Deus me ab hoc reti praeservavit. — Verti posset etiam : *evitavit illud anima mea ;* nam illud *káffa* etiam intransitive usuvenit (*se cohibuit, se abstinuit, a loco decessit etc.*), nec obstaret forma masc. verbi subiectum praecedentis (Joüon § 150 b).

[e] Hebr. *paratum, firmum, stabilitum est,* a trepidatione formidinis liberatum.

Ps. 58 (Vg. 57). Iniustorum magistratuum increpatio.

1 CHORI MAGISTRO. NE PERDAS. DAVIDIS. MIKTAM.

A 2 Num revera, * divi ! [a] iustitiam loquimini,
cum aequitate iudicatis filios hominum ?
3 Immo in corde iniquitates machinamini,
in terra iniustitiam manibus vestris dispensatis.

B 4 Deviant impii iam inde ab utero,
errarunt inde a vulva qui loquuntur mendacium.
5 Venenum habent ut venenum serpentis,
ad viperae instar quae obturat aurem suam,
6 Ne audiat vocem incantatorum,
alicuius carminum magicorum periti.

C 7 Déus, contere istorum dentes in ore eorum,
molares leunculorum contunde, Dñe !

D 8 Dilabantur uti aquae diffluentes ! [b]
Dirigat sagittam suam * in ipsos ! demetantur ! [c]
9 *Sint* velut limax, qui liquescit prorepens,
ut abortivi fetus mulieris, qui non vident solem.
10 Priusquam sentiant ollae vestrae rhamnum,
dum adhuc crudum est, velut in ira Exturbet illos ! [d]

E 11 Laetabitur iustus, cum viderit vindictam,
cum pedes suos lavabit in sanguine impii. [e]
12 Et dicent homines : " profecto fructum [f] habet iustus,
profecto exsistit Deus, iudicans in terra „.

Argumentum. *Psaltes ad magnam multorum magistratuum iniustitiam oculos convertens et sacra quadam ira inflammatus,* A) *eos magnae iniquitatis accusat,* B) *et quidem inveteratae, obstinatae*; C) *contra illos Deum invocat ;* D) *iustas poenas iis minatur,* E) *ad solacium iustorum.* — (2, 3, 1, 3, 2 versus).

Adnotanda. [a] Cum plerisque recentibus legimus *elîm* ' dii, divi,' i. e. magistratus, iudices ; cf. Ps. 82. Si supponamus psalmum factum esse ultimis annis Saulis regis, vel quo tempore Absalom regnum sibi arripuerat, intellegimus etiam Davidem ita canere potuisse.

[b] In versibus 8-10 sub variis imaginibus psaltes, more Orientalium, impiis illis, contra quos canit, poenam iustam ac perniciem indicit. Nonnulla in his versibus sunt obscura et dubia, quae, pro more, aliter ab aliis explicantur vel

emendantur. Ex incertis probabiliora et textui tradito magis adhaerentia posuisse sufficiat.

c Hebr. Deus *intendet* sc. arcum: *Eius sagitta in ipsis* haeret (*ḥiṣṣô bámo* legere malim)! *demetentur*. Cfr. Crisin textus. Alii vertunt: *[si quis eorum arcum] intendit, sagittae eius* in iustos directae *velut hebetentur!*

d Imago supponi videtur fere huiusmodi: nomadum vel viatorum caterva igni quo cibi coquuntur, assidens, necopinato hostium incursu exterretur ac, vixdum accenso sub ollis igne rhamnorum (plantae spinosae), carne nondum assata, haec omnia deserere raptimque colligere et fugere debet: similiter, optat psaltes, impii quam citissime a Deo ex terra expellantur!

e Imago bellica = cum hostes victos videbit. In quovis enim bello victoria non aliter obtinetur quam caesis prostratisque hostibus multis, quorum sanguine pedes victorum necessario passim tinguntur. Non est igitur, cur tali modo loquendi apud poëtam bellis assueto offendamur.

f *Fructum*, mercedem, emolumentum iustitiae suae habet iustus; expedit, utile est, esse iustum.

Ps. 59 (Vg. 58). Adversus inimicos oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. NE PERDAS. DAVIDIS. MIKTAM. QUANDO MISIT SAUL QUI OBSERVARENT DOMUM, UT EUM INTERFICERENT.

A [2] Eripe me ex inimicis meis, mi Deus,
et ab insurgentibus contra me defende me.
[3] Eripe me ex malefactoribus,
et a viris sanguinum salva me.
[4] Ecce enim insidiantur animae meae,
aggrediuntur me fortes,
absque meo crimine aut peccato, Dñe.
[5] Sine mea culpa accurrunt et se parant,
eia evigila, *veni* mihi obviam et vide!
[6] Tu igitur, Dñe, Deus Sabaoth, Deus Israél,
eia expergiscere ad visitandas omnes gentes.[a]
ne indulgeas omnibus perfidis nequam! SELA.
[7] Revertuntur vespere, latrantes ut canes,
ut circumeant civitatem.
[8] Ecce garriunt ore suo (gladii sunt in labiis eorum):
" quis, *inquiunt*, audit? „
[9] Tu vero, Dñe, irridebis eos,
subsannabis omnes gentes.
[10] Fortitudo mea! de te fac * psallere possim: [simus.[b]
" vere Déus est asylum meum, [11] Deus erga me piis-

B Obviam mihi veniat Déus,
faciat me videre *laeta* in hostibus meis!
12 Ne occidas illos, ne obliviscantur populum meum![c]
concute eos potentiâ tua et prosterne eos!
Tutor noster, Domine, 13 *quantum* peccatum oris eorum,
verbum labiorum eorum!
Capiantur igitur suâ ipsorum superbiâ,
propter exsecrationes et mendacia quae effutiunt!
14 Finem fac in iracundia, finem fac *ut *videri* desinant!
ut cognoscatur, Déum dominari in Iacob, *usque* ad
15 Redeant igitur ad vesperam, [fines terrae. SELA.
latrent ut canes et circumeant civitatem;
16 Isti vagentur voraces,
si non saliantur, ululent:
17 Sed ego cantabo potentiam tuam,
et iubilabo mane de pietate tua,
quod fueris mihi asylum et suffugium die tribulationis
18 Fortitudo mea! de te *fac* psallere possim: [meae.
" vere Déus est asylum meum,
Deus erga me piissimus „.

Argumentum. *Titulus psalmum ferme ad initia persecutionis saulianae referre videtur (cf. 1 Sam. 19 ss.). Psaltes, ab inimicis observatus, vexatus, quaesitus, precatur:* A) *Deus, eripe me, quem inimici innocentem infestant; exsurge, ne coniveas illis! isti me ut canes circumlatrant, sed tu es refugium meum.* — B) *Cito mihi subveni! illi suâ ipsorum superbiâ capiantur; eorum clade glorifica te! pergant igitur ut canes famelici me circumlatrare, sed tu esto asylum meum!* — (9, 9 versus).

Adnotanda. [a] Vox *gojîm* (*gentes*), per se nationes exteras, non-israëlitas, gentiles denotat. Cum hic de bello Israelitarum contra alias gentes non agatur, nonnullis hic substituendum videtur *ge'îm* (superbi). Fortasse supponere licet, carmen davidicum tempore posteriore, quando contra gentiles pugnandum erat, tempori praesenti adaptatum esse. Vel psaltes — si ipse iam *gojîm* posuit — eos " *gentes* „ dixit, qui non iam israelitice, sed gentiliter agebant, loquebantur, sentiebant (ut nos *barbaros* vocamus eos qui ut barbari agunt, etiamsi sint nostrates), ita ut fere vertere possemus: *expergiscere ad puniendos hos barbaros.*

[b] Hebr. *Deus pietatis meae.* Haec ultima vocabula, comparato v. 18, versui 10 subnectenda videntur.

[c] Psaltes orare videtur Deum, ut hostes vivos i a humiliet et puniat, ut in perpetuum sciant nec amplius obliviscantur, quid sit aggredi hostiliter pium Dei servum vel: populum Dei. Minus nobis placet versio: *ne occidas eos, ne id populus meus obliviscatur*, ergo: ut hostes superstites humiliati Israëlitis perpetuo in memoriam revocent auxilium Dei ipsis collatum. Quia utraque versio

ideam insolitam, longe quaesitam prae se fert, licet forte suspicari, ordinem verborum in versu esse fortuito mutatum, et dicendum esse: *Ne obliviscaris eorum* (sc. hostium; cf. 10, 11; 74,23), *ne occidant populum meum.*

Ps. 60 (Vg. 59). Post cladem oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. SUPER LILIO TESTIMONII. MIKTAM DAVIDIS. AD DOCENDUM. [2] CUM CERTARET CUM MESOPOTAMIA ET ARAM-SOBA ET IOAB REVERTERETUR ET EDOMITAS IN VALLE SALIS DEVINCERET XII MILIA.

A [3] Déus, proiecisti nos, perrupisti nos,
iratus es, * retrovertisti nos. [a]
[4] Concussisti terram, fidisti eam;
o sana rupturas eius, nam nutavit.
[5] Sivisti populum tuum videre dura,
potasti nos vino vertiginis.
[6] Posuisti timentibus te vexillum,
ut se reciperent a facie arcus. [b] SELA.

B [7] Ut liberentur carissimi tui,
subsidium da dexterâ tuâ et exaudi me!
[8] Déus pollicitus est per sanctitatem suam:
" Exsultabo, partiar Sichem,
et vallem Succoth dimetiar.
[9] Mea est Galaad et mea Manasse,
et Ephraim tegimen capitis mei,
Iuda sceptrum meum.
[10] Moàb pelvim lotionis meae,
Idumaeae committo calceamentum meum,
propter me, Philisthaea, eiula! „ [c]

C [11] Quis ducet me ad urbem munitam?
quis me perducet usque in Idumaeam?
[12] En tu, Déus, nos proiecisti,
nec egrederis Deus cum exercitibus nostris.
[13] O praebe nobis auxilium contra adversarium,
nam inane est subsidium hominum.
[14] Cum Deo agamus fortiter!
et ipse subiget adversarios nostros.

Argumentum. *Secundum inscriptionem hoc carmen factum est tempore bellorum aramaicorum Davidis (2 Sam. 8, 3 ss.; 10, 7 ss.: 1 Chr. 18). Specialia rerum adiuncta nobis non satis comperta sunt. Dicit igitur psaltes:* A) *Durissimam habuimus cladem: Deus restaura nos*; B) *pollicitus enim es nobis sollemniter (cfr. Dt. 11, 24) Palaestinam borealem, australem, quin etiam regiones vicinas*; C) *perduc nos igitur in Idumaeam victores; nos vero, Deo confidentes, fortiter agamus!* — (4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Si servatur forma inperfecti *t.šôbeb*, ita interpretandum videtur, propter rationes syntacticas. Sin (praesupposita dittographia litterae *T*) legitur imperativus *šôbeb*, verti potest: *restaura nos!*

[b] Minus probabilis est versio a nonnullis proposita: *Dedisti timentibus te vexillum*, circa quod congregemur *pro veritate.*

[c] In domo (praesertim principis) servi est pelvim domino parare, calceamenti curam habere etc.; his imaginibus igitur gentibus Moab et Edom subiectio, condicio servilis, indicitur; item Philisthaea eiulare, i. e. quamvis invita se subiicere, de subiectione sua lamentari iubetur (de tali usu verbi, quod plerumque iubilum indicat, v. Is. 15, 4. Mich. 4, 9).

Ps. 61 (Vg. 60). Regis exsulantis oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. DAVIDIS.

A [2] O audi, Déus, clamorem meum,
attende ad orationem meam.
[3] Inde a fine terrae [a] ad te clamo,
coangustato corde.
In petram mihi nimis altam *oportet* ducas me,[b]
[4] es enim praesidium meum,
turris fortis a facie inimici.
[5] Hospitari mihi liceat in tabernaculo tuo [c] in saecula,
suffugium habere in tegmine alarum tuarum. SELA.

B [6] Certe tu, Déus, audisti vota mea,
dedisti hereditatem timentium nomen tuum. [d]
[7] Dies ad dies regis superaddes,
annos eius aequos *fac illis* in priscis generationibus. [e]
[8] Maneat in omne tempus coram Déo, [f]
pietas et clementia, iube, eum conservent.
[9] Sic [g] *fac* psallere possim nomen tuum in saeculum,
persolvens vota mea per singulos dies.

Argumentum. *David rex, tempore rebellionis absalomianae trans Iordanem exsulans, desiderium firmamque spem redeundi in Urbem et recuperandi*

regni sibi divinitus dati Deo precans proponit. A) *Audi me, Deus, procul exsulantem, meque velut profugum in tentorium tuum recipe et protege.* B) *Certus de exauditione huius precis, insuper rogo te, ut me deinde restauratum semper conserves, ut te gratus cotidie laudare possim.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Est locutio hyperbolica, qualem exsuli dolor animi et desiderium patriae suggerit.

[b] Metaphora: quod ego meis viribus assequi non possum, ad hoc tu mihi auxilium praesta.

[c] In deserto nonnunquam accidit, ut miser profugus cicumerrans in aliquo tentorio nomadum, ut suscipiatur abscondatur protegatur, roget: in tali condicione sibi videtur psalmista esse.

[d] Probabiliter alluditur ad Dei promissionem Davidi et populo sollemniter factam 2 Sam. 7, 8–10.

[e] Quia *k.mô* comparationem indicat et *dôr–wadôr* (generatio et generatio), sicut *'ôlâm*, nonnunquam tempus antiquum diu praeteritum indicat (Dt. 32, 7; Is. 58, 12), sensus huius stichi potest ac videtur esse: Deus concedat regi vitam longissimam ut olim patriarchis — id quod utique tamquam hyperbole poëtica sumendum et cum recto moderamine intellegendum est.

[f] *Coràm Deo:* prope sanctuarium hierosolymitanum; *in aeternum:* haec expressio, si de vita hominis dicitur, non mortem excludit vel deprecatur, sed praematuram mortem.

[g] " *Sic* „ praedicta recapitulat: de his precibus votisque exauditis fac ut semper te gratus laudare possim.

Ps. 62 (Vg. 61). In Deo solo spes ponenda est.

[1] CHORI MAGISTRO SUPER IDITHUN. PSALMUS DAVID.

A [2] Tantum apud Déum est tranquillitas, anima mea!
ab ipso est salus mea.
[3] Tantum ipse est petra ac salus mea,
asylum meum: non commovebor nimis.
[4] Quousque invehemini in virum,
contundentes *eum* cuncti ut parietem inclinatum mu-
[rum*ve* subvertendum.
[5] Tantum a celso suo loco *eum* deliberarunt depellere,
delectantur mendacio: ore suo benedicunt, corde suo
[maledicunt. SELA.

B [6] Tantum Déo tranquille fide, anima mea!
nam ab ipso *veniet* quod spero.
[7] Tantum ipse est petra ac salus mea,
asylum meum: non commovebor.

[8] In Deo est salus mea et honor meus,
petram roboris mei, suffugium meum *habeo* in Deo.
[9] Sperate in eo omni tempore, populе !
effundite coram eo cor vestrum,
Déus est praesidium nobis. SELA.

C [10] Tantum vanitas sunt filii hominum, fallaces viri,
in trutina leviores[a] sunt re inani universi.
[11] Nolite fidere oppressioni nec rapinâ vane gloriari,
opes si abundant, nolite *iis* dedere cor.
[12] Unum locutus est Déus, secundum illud audivi ;[b]
quod potentia Deo est,
Et tibi, Domine, pietas :[c]
profecto tu retribues unicuique secundum opus suum.

Argumentum. A) *Psaltes, a multis infestatus, cum fiducia se Deo committit ;* B) *non solum se tali spe confortat, sed suis quoque eandem inspirare satagit;* C) *nihil exspectandum esse docet ab hominibus aut ullis creaturis, sed tantum a Dei potentia et pietate.* — (4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] *b.nē-adám* humiles, pauperes, *b.nē-îš* divites, proceres (cf. 49, 3). Hebr. *in trutina ad ascendendum* scil. facti, apti : i. e. sunt tam leves ac nullius ponderis, ut in statera positi non possint nisi ascendere.

[b] Psaltes dicere vult : " duo a Deo dicta audivi ac bene memoria teneo „. Si Hebraei aliquem numerum cum emphasi efferre volunt, subinde numerum uno minorem praemittunt (Prov. 30, 15. 18. 21).

[c] *Potentia* Dei hostes valebit deprimere, *pietas* Dei psalten salvabit.

Ps. 63 (Vg. 62). Davidis fugitivi in deserto preces.

[1] PSALMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IUDA.

A [2] Déus, mi Deus, te sollicite quaero :
sitit te anima mea, cupit te caro mea
in terra arida, languens, sine aqua.

B [3] Sic[a] in sanctuario invisi te,
ut viderem potentiam ac gloriam tuam.
[4] Quod suavior est pietas tua quam vita,[b]
labia mea te praedicant.

C [5] Sic tibi benedicere volo *tota* vita mea,
in nomine tuo[c] elevare manus meas.

[6] Quasi adipe et pinguedine se satiabit anima mea,
et labiis exsultabundis laudes dicet os meum,
[7] Si meminero tui super stratum meum,
per vigilias meditabor de te,
[8] quod fueris auxilio mihi.
Et in tegmine alarum tuarum iubilabo:
[9] " adhaeret tibi fideliter [d] anima mea,
me sustentat dextera tua „.

D [10] Illi vero — ad perniciem quaesierunt animam meam:
venient in inferna terrae,
[11] Tradentur in manus gladii,
portio vulpium erunt.

E [12] Rex vero laetabitur in Déo,
gloriabitur quisquis iurat per Eum,
quando obturabitur os loquentium perfida.

Argumentum. *Ad rebellionis absalomianae tempus hoc carmen referri potest. Psaltes orat:* A) *In hac deserti solitudine te quaero, Deus,* B) *aeque atque olim in sanctuario te invisebam pieque laudabam;* C) *ita semper, quamdiu vivam, volo te laudare et precari, fideliter tibi adhaerens tuamque vicissim tutelam experiens*; D) *inimici mei, sic confido, dum me perdere volunt, sibi nocent,* E) *ego vero cum meis fidelibus in Deo laetari potero.* — (1, 2, 4, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] *Sic:* eadem cum pietate, amore, desiderio, confidentia.

[b] Omnibus huius vitae bonis iucundiorem esse psaltes experiebatur Dei suavem providentiam.

[c] Nomen tuum pie colens et invocans.

[d] Hebr. *adhaeret post te,* tibi fideliter adhaeret, te fideliter sequitur.

Ps. 64 (Vg. 63). Malevolorum consilia a Deo frustrata.

[1] CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVID.

A [2] Audi, Déus, vocem meam querentis,
a terrore inimici tuere vitam meam.
[3] Absconde me a concilio malignorum,
a turba malefactorum,
[4] Qui acuerunt velut gladium linguam suam, [amarum,
arcum tendunt, *pro* sagitta sua *sumentes* verbum

[5] Ut feriant in occultis insontem :
subito eum ferient, — nec timent. [a]

B [6] Confirmant [b] sibi rem malam,
dictitant se *bene* occulturos decipulas,
dicunt : " quis videbit eas ? „
[7] Callide excogitant nefaria,
* occulunt [c] consilium callide excogitatum,
[?] et ingenium uniuscuiusque ac cor est profundum.[d]

C [8] Et — feriit ipsos Déus :
sagitta subitanea ! vulnerati sunt ! [e]
[9] Et * prostravit eos : super ipsos venit ' quod minati sunt,' [f]
agitant *capita* omnes qui eos conspiciunt.
[10] Et extimuerunt omnes homines,
et professi sunt opus Dei,
et ab Ipso factum intellexerunt.
[11] Laetabitur iustus in Dño et ad ipsum fidenter confugiet,
et gloriabuntur omnes recti corde.

Argumentum. *Particularem quidem occasionem carminis nescimus ; at certe David compluries, ab adversariis calumniis, minis variisque dolis infestatus et a Deo protectus, ita psallendi opportunitatem habuit.* A) *Per modum precis describit, in quo periculo fuerit* ; B) *adversariorum callidas machinationes proponit ;* C) *quomodo Deus subito eorum consilia frustraverit, gaudens narrat.* — (4, 2, 4 versus).

Adnotanda. [a] *Non timent :* successus illis videtur certus.

Omni cautela adhibita conatus suos firmos certosque reddere student. Vel fortasse (Piel declarativum) : *pro firma* (indubia, certa) *habent* vel *declarant rem malam,* quam attentant.

[c] In versione supponimus lectionem " permultorum codicum „ *ṭam.nû*. Forma textus masoretici *tàmnu* (fortasse in *tàmmu* corrigenda) explicari posset : " callide excogitant nequitias *perfectas* „ quibus nihil deest ad spem boni successus, vel " [*iamiam, pene*] *perfectas* „, quae iam ut in opus deductae considerari possunt.

Idea generalis mediae strophae hanc versionem suggerit ; unusquisque rum contra psaltem conspirantium pro viribus suo ingenio et intellectu utitur et profundissime cogitat, ut quam callidissima excogitet ac suadeat ; *qèreb* animus cogitans (Ps. 5, 10 ; 62, 5), item *léḇ* (cf. *ḥăkam-léb* sapiens corde, et sim.) ; *'amóq* ' profundum est,' quam profundissima [ex-]cogitat (92, 6 de cogitationibus Dei ; assyr. *'emqu* sapiens, arab. *'ammaqa* ' mente profunde scrutari rem ').

[e] Hebr. *adfuerunt* (orta sunt, apparuerunt *vulnera eorum*).

[f] Hebr. *super eos* est *lingua eorum.*

Ps. 65 (Vg. 64). In fine anni sollemnis gratiarum actio.

1 CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVIDI. CANTICUM.

A 2 Te *decet laus, Déus, in Sion,
et tibi persolvatur votum *in Ierusalem.
3 Qui exaudis orationem,
ad te omnis caro[a] veniat.
4 Culpae criminum[b] *si* praevalent contra me:
delicta nostra tu condonas.
5 O beatum quem eligis et assumis ut habitet in atriis tuis!
satiamur bonis domus tuae, sacris templi tui!
6 Stupendis modis in iustitia exaudis nos, Deus salvator noster,
in quem sperant omnes fines terrae et *gentes longinquae.[c]

B 7 Qui statuis montes virtute tua, accinctus potentiâ,
8 mitigas aestum marium, aestum fluctuum eorum et [tumultum nationum.
9 Et *modo* extimescunt incolae finium *mundi* a signis tuis,
modo plagas matutinae ac vespertinae lucis[d] iubilo reples.

C 10 Visitasti terram et locupletasti eam, ubertim eam ditans,
rivus Déi[e] plenus erat aquis: praeparabas frumentum [eorum.
Sic enim illam praeparas:
11 sulcos eius irrigas, humefacis glebas eius,
imbribus eam emollis, germinibus eius benédicis.
12 Coronasti annum benignitatis tuae,[f]
et orbitae tuae[g] *eâ* stillant.
*Pinguedine 13 stillant arva deserti,
et exsultatione colles se accingunt.
14 Vestiti sunt campi ovium gregibus,
et valles se induunt frugibus;
iubilant *omnes* et cantant.

Argumentum. *Ut ex vv. 2. 3. 12 elucere videtur, psalmus est sollemnis gratiarum actio in fine anni civilis, finita messe autumnali.* A) *Agnoscuntur gratiae ordinis religiosi, ethici, spiritualis a Deo tributae: Deus multas preces exaudivit, culpas condonavit, dona in templo versantibus eove accedentibus largitus est, spem omnium se ubivis invocantium, mirificis saepe modis, implevit.* B) *Laudatur Dei universalis erga omnes homines totumque orbem terrarum*

providentia : firmitas enim terrae, pax populorum, eventus insigniores, quibus homines terrentur aut gaudio afficiuntur, pariter sunt beneficia numinis mundum gubernantis. C) *Denique tamquam eximium munus benevolentiae divinae describitur fertilitas naturae : per Deum enim praeparata et irrigata arva uberes rettulerunt fructus, ita ut hoc autumnalis messis tempore omnes laetentur ac tota natura hilaribus canticis resonet.* — (5, 2, 5 versus).

Adnotanda. [a] *omnis caro* ; omnis homo, omnes.

[b] Hebr. ad litteram " *verba criminum* „. Hoc varie explicatur : aut enim est mera circumlocutio pro simplici plurali *culpae* ; aut significantur sententiae iudiciales seu poenae a Deo pro culpis nobis inflictae vel destinatae. Culpae, crimina a nobis commissa, et poenae quas pro illis commeruimus, pariter nos premunt ac degravant.

[c] In TM legitur *et mare longinquorum* ; Syrus habet *et gentes* (*w.gojîm*) *longinquae* ; alii proponunt, ut legatur *et insulae* (*w.'ijjîm*) *longinquae.*

[d] Hebr. *loca-exitûs matutini* [des Morgens, du matin] *et vesperae*, i. e. Orientem et Occidentem.

[e] *Rivus Dei* est pluvia, quae ex caelestibus promptuariis defluere videtur.

[f] Annus tot tantisque beneficiis insignis merito appellatur *annus benignitatis Dei* ; eius " corona „ est messis autumnalis. Sunt qui cum Syro et Hier. malint vertere : *coronasti annum benignitate tuâ.*

[g] *Orbitae* per se sunt vestigia currûs ; hîc vestigia Dei, summi omnium benefactoris, totam terram velut perambulantis.

Ps. 66 (Vg. 65). Pro populi liberatione gratiarum actio festiva.

[1] CHORI MAGISTRO. CANTICUM. PSALMUS.

A Iubilate Déo, omnis terra !
[2] psallite gloriam nominis eius,
tribuite * honorem laudis eius.[a]
[3] Dicite Déo : quam terribile [b] est opus tuum !
ob multitudinem roboris tui cedunt [c] tibi inimici tui.
[4] Omnes *in* terra adorent te et psallant tibi,
psallant nomen tuum. SELA.

B [5] Venite et videte opera Déi,
qui terribilia operatur in filiis hominum !
[6] * Is qui *olim* convertit mare in aridam,
ita ut fluenta traicerent pedibus,
* fecit id de quo laetamur ! [d]
[7] Qui dominatur per potentiam suam iugiter,
eius oculi gentes perlustrant :
rebelles ne sibi alti videantur. [e] SELA.

C [8] Benedicite, populi, Deo nostro,
et proclamate *alta* voce laudem eius,
[9] Qui posuit animam nostram in vitam
nec permisit ut lapsaret pes noster.

D [10] Nam probasti nos, Déus, liquasti nos ut liquatur argentum,
[11] induxisti nos in laqueum, imposuisti onus lumbis [f]
[12] Imposuisti homines capiti nostro,[g] [nostris.
vénimus in ignem et aquam,[h]
sed *tandem* eduxisti nos in * refrigerium.

E [13] Ingredior in aedem tuam cum holocaustis,
exsolvo tibi votum meum [14] quod pronuntiarunt labia mea,
et quae promisit os meum cum in periculo essem :
[15] " Holocausta pinguium *ovium* offeram tibi,
cum nidore arietum,
immolabo tibi boves cum hircis „. SELA.
[16] Venite, audite et narrabo, omnes qui timetis Déum,
quid fecerit animae meae !

F [17] Ipsum ore meo invocavi, hymnum *versans* sub lingua [i] mea ;
[18] aliquid pravum si spectassem corde meo, non exau-
[19] Verumtamen audivit Déus, [diret Dominus.
attendit ad vocem orationis meae.
[20] Benedictus sit Déus,
qui non subtraxit mihi orationem meam et pietatem suam !

Argumentum. *Gratiae aguntur pro liberatione psalmistae totiusque populi ex ingenti periculo facta per interventum Dei stupendum haud absimilem miraculis antiquis Maris rubri. Haud improbabile est, Ezechiam regem post invasionem assyriacam divinitus repulsam hoc carmine suo populique nomine Deum laudasse.* A) *Laudet terra Deum, eius omnipotentiam experta ;* B) *videte quam admirabilia Deus, sicut olim in Exodo, nunc patraverit* ; C) *nos a ruina praeservavit,* D) *probans nos quidem tribulationibus, sed demum salvans ;* E) *grato animo igitur ego (rex) Deo in templo vota mea persolvo et eius beneficium proclamo :* F) *sincera enim mente eum invocavi et exauditus sum ; Deo gratias !* — (3, 3, 2, 2, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] TM. *ponite gloriam laudem eius,* quod varie explicant : peragite honorifice laudationem eius, vel : ducite honori laudationem eius. Conformiter ad stichum praecedentem cum Syro malumus legere *k.bôd t.hillatô*, honorem laudis eius.

[b] Opera omnipotentiae Dei sunt terribilia ; terrorem quemdam videntibus

incutit tanta potentia, quanta in interitu Aegyptiorum in Mari rubro, in clade Assyriorum se manifestabat (cf. Ps. 45, 5; 64, 10 al.).

c Hebr. *mentiuntur*, i. e. ob defectum virium facere nequeunt quae se facturos dixerunt; hinc tropice = tibi potentiâ cedunt, tibi sunt potentiâ impares (Ps. 18, 45; 81, 16; de olea sterili Hab. 3, 17).

d TM. *ibi laetemur de eo!* sententia haud ita commoda in contextu. Simplicissima correctio et contextui optime congruens videtur ea esse ut pro *šám* (ibi) legamus *śám* (fecit, peregit: cf. 46, 9; 78, 43; Ex. 10, 2 al.). Ergo: Deus ... *fecit* aliquid, vel id, *de quo laetamur* vel *laetemur!*

e Hebr. *ne alti sint sibi.*

f Onere gravi *lumbi* fatigantur et curvantur. Nos diceremus potius: *humeris nostris.*

g Monumenta assyriaca et aegyptiaca ad oculum nobis monstrant, quomodo victores currus suos super victos prostratos duxerint. Hebr. *inequitare* seu *vehi fecisti homines super caput nostrum.*

h *Ignis* et *aqua* sunt metaphorae pro variis tribulationibus exitium minantibus.

i Hebr. *et exaltatio* (hymnus) *sub lingua mea.* 'Sub lingua' videtur esse id quod aliquis iamiam pronuntiare parat et praemeditatur; hic agi videtur de hymno quem psaltes, si exaudiatur, se cantaturum sperat ac spondet.

Ps. 67 (Vg. 66). Agnoscant omnes populi Deum.

1 CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. PSALMUS. CANTICUM.

A 2 Déus misereatur nostri et benedicat nobis,
serenet vultum suum erga nos: SELA.
3 Ut cognoscant in terra viam tuam, [a]
in omnibus gentibus salutare tuum.

B 4 Celebrent te populi, Deus,
celebrent te populi omnes!
5 Laetentur et exsultent nationes,
quod gubernes populos cum aequitate
et nationes in terra bene ducas. SELA.
6 Celebrent te populi, Deus,
celebrent te populi omnes.

C 7 Terra dedit proventum suum, [b]
benedicit nobis Déus, Deus noster.
8 Benedicat nobis Déus,
et timeant eum omnes fines terrae.

Argumentum. A) *Psaltes populo Israël tantam divinae gratiae manifestationem optat, ut ceterae quoque gentes universae in Deo Israëlitarum uno salutem suam positam esse cognoscant.* B) *Ardenter desiderat et precatur, ut omnes nationes Dei suavem providentiam experiantur eumque ut Deum colant.* C) *Nunc, cum messis copiosa sit evidens documentum fidelitatis Dei erga colentes se (cf. Dt. 28, 1-14), desiderat ut gentes unum verum Deum cognoscant et gnoscant.* — (2, 3, 2 versus).

Adnotanda. [a] *Viam tuam,* tuum modum agendi erga colentes te, praesertim erga populum electum.

[b] Ex copia divinae benedictionis, quae in vicinas quoque gentes abundat (Dt. 28, 11 s.), omnes verum Deum cognoscant eique gratias agant.

Ps. 68 (Vg. 67). Carmen triumphale canitur Deo in monte Sion regnanti.

[1] CHORI MAGISTRO. DAVIDIS. PSALMUS. CANTICUM.

A [2] Surgit Déus: dissipentur inimici eius,
et fugiant qui eum oderunt a facie eius.
[3] Ut difflatur fumus, difflentur! [a]
ut liquescit cera a facie ignis, pereant impii a facie Déi.
[4] Iusti vero laetentur,
exsultent coram Deo et gaudeant in laetitia.

B [5] Cantate Déo, psallite nomen eius,
* iter parate Ei qui vehitur per desertum.
Iahve est nomen eius:
proin iubilate coram eo.
[6] Pater orphanorum et tutor viduarum
Déus est in habitaculo sancto suo.
[7] Déus adducit desolatos domum,
educit captivos in libertatem;
tantum rebelles remanent in arida.

C [8] Déus cum exires ante populum tuum,
cum gradereris per solitudinem, SELA.
[9] Terra tremuit, caelum quoque stillavit coram Déo,
* saluit Sina coram Déo, Deo Israël.
[10] Imbrem largitionum depluebas, Déus,
plebem tuam, cum esset exhausta, tu refecisti.

11 Animalia tua [b] consederunt in ea,
praeparabas de bonis tuis egenti*bus*, Déus.

D 12 Dominus dabat quod dixerat: [c]
laetae nuntiae *veniebant* numero ingenti: [d]
13 " Reges exercituum fugiunt, fugiunt,
et domisĕdae [e] partiuntur spolia.
14 Quid quiescitis inter caulas
et pennae columbae *micant ut* deargentatae
et alae eius flavore auri? [f]
15 Dum dissipare vult Omnipotens reges
ningat in Selmon! „ [g]

E 16 Mons Déi est mons Basan, [h]
mons cacuminosus est mons Basan.
17 Cur torve aspicitis, montes cacuminosi,
montem in quo desiderat Déus sedem figere,
in quo etiam Dñus habitabit in perpetuum?

F 18 Curruum Dei sunt myriades, milia milium,
Dominus * venit de Sinai [i] in sanctuarium.
19 Ascendisti in altum, captis captivis, [k]
accepisti dona in hominibus,
rebelles quoque habitare debebunt apud Dñum Deum.

G 20 Benedictus sit Dominus!
de die in diem 'gerit curam' pro nobis, [l]
Deus est salus nostra. SELA.
21 Deus nobis est Deus ad salutem,
et penes Dñum Dominum sunt de morte exitus. [m]

H 22 Profecto Déus conquassabit caput inimicorum suorum,
verticem hirsutum incedentis in criminibus suis.
23 Dixit Dominus: " ex Basan *eos* reducam,
reducam ex profundis maris. [n]
24 Oportebit * laves pedem tuum in sanguine, [o]
* linguae canum tuorum erit de inimicis pars sua.

I 25 * Videte processiones Déi, [p]
processiones Dei mei, Regis mei, in sanctuario.

[26] Praecedunt cantores, postea citharoedi,
in * medio virgines tympanistriae.
[27] In festivis coetibus benedicite Déo,
Domino *vos*, progenies Israël ! [q]
[28] Ibi est Beniamin, natu minimus, eos ducens,
principes Iuda, turma eorum, [r]
principes Zabulon, principes Nephtali.

K [29] * Manda, Déus, potentiae tuae,
corrobora, Deus, quod operatus pro nobis !
[30] Propter [?] templum tuum in Ierusalem
tibi *fac* offerant reges munera. [s]
[31] [?] Increp*ans abige* beluam arundineti, [t]
catervam taurorum inter iuvencos populorum.
[?] * Supprime * avidos argenti, [u]
* dissipa populos, qui bellis delectantur.
[32] Veniant proceres [?] ex Aegypto,
Aethiopia cito mittat [v] manus suas *plenas* ad Déum.

L [33] Regna terrae, cantate Déo, psallite Domino, SELA,
[34] ei qui vehens per caelum caelorum antiquum, en edit
[voce sua sonum fortem.
[35] Tribuite laudem Déo, cuius maiestas super Israêl
ac potentia *regnat* in aethere.
[36] Terribilis est Déus ex * sanctuario suo, Deus Israël ;
ipse dat robur et vires populo : benedictus Déus.

Argumentum. *Hoc carmine, stilo sublimi ac gravi, utut multis in locis obscuro, conscripto, adventus Dei ad montem Sion eiusque ex hac sede sua regia imperium universale celebratur. Compositum esse censetur ab aliis in occasione festivae illius pompae, quando arca foederis ex domo Obededom in montem Sion transferebatur (2 Sam. 6, 1 ss.), ab aliis vero cum David rex a bello contra Ammonitas gesto cum sacra Arca, quae in castris fuerat, victor in urbem rediret, et eam in montem Sion reduceret. Inde a principio carminis poëtice summatim adumbratur antiquum illud iter Dei cum populo suo electo ab Aegypto ad Terram promissam et deinde ad montem ab eo electum ; tum partim narrative partim optative describitur Dei in Sion super populum suum omnesque gentes regnum gloriosum.* A) *Exordium lyricum ipsis illis verbis, quae Moses solemniter recitabat, quoties arca ab uno loco ad alterum migrabat (Num. 10, 35), nobis ob oculos ponit Deum cum populo suo iter aggredientem, simulque nos admonet debitae sanctitatis, si divini huius itineris socii vel spectatores esse velimus.* B) *Indicatur via itineris, " per desertum „,*

et terminus, eo quod Deus dicitur suos "domum" et "captivos in libertatem" ducere: iter igitur fit ex Aegypto in Terram promissam per desertum, in quo rebellium cadavera manent: en nova monitio ad sanctitatem; C) *ceterum tota Exodus magnis Dei beneficiis et miraculis insignis fuit: legislatione in monte Sinai, ac mirabili populi cibatione in deserto per manna et coturnices* D) *necnon gloriosis victoriis in occupatione Terrae promissae.* E) *Tandem in terra Chanaan Deus sibi montana Iudaeae montemque Sion, ubi exhinc resideret, elegit*; F) *quo solemniter ingressus est Deus victor*; G) *ibi iam residens Deus populo suo est in rebus adversis solacium,* H) *necnon contra hostes praesidium, et* I) *in sanctuario suo obiectum cultus magnifici;* K) *quid optandum restat nisi hoc ut Deus coepta tueatur ac perficiat, hostibus devictis omnibusque gentibus ad Eum conversis,* L) *ita ut tandem omnes in terra gentes una Deum agnoscant et collaudent.* — N. B. Ut stropharum symmetria plena sit, deberet ad str. H ex str. K 1 versus transferri. — (3; 4, 4, 4; 2, 2, 2; 4, 4, 4?; 3 versus).

Adnotanda. *De toto psalmo.* Inter carmina sacra hic psalmus sua obscuritate et sublimitate insignis est. Difficultates eius sunt tot ac tantae, ut et veterum versiones et recentiorum explicationes in multis locis haud parum inter se discrepent, et multi recentes textum pro valde corrupto habeant. Nihilominus carminis obscuritas non est tanta, ut de idea praedominante universi cantici et de sensu multorum versuum inter plerosque interpretes non sit magna concordia. Quas ideas si quis velut duces sequatur, hunc quoque psalmum poterit, quantum modestae pietati sufficit, recte intellegere et pie sapere. Quoniam integrum commentarium in psalmos scribere nolumus, non poterimus singulorum versuum lectionum versionumque varietates aut difficultates discutere nec interpretationis a nobis electae rationes singillatim perpendere. Sufficiat in universum dixisse, nos ex compluribus explicandi modis ferme eum esse amplexos, qui est nostra aetate communior aut qui nobis videbatur grammaticae hebraicae legibus, contextui idearum, carminis unitati magis convenire. Minime vere asserere volumus, saepe alium modum interpretationis non posse aeque bene defendi.

Adnotanda. [a] Hebr. *difflet:* subiectum (ventus) et obiectum (eos) ut per se nota tacentur.

[b] *Imber largitionum* caelo depluens, atque *animalia tua* (i. e. a te missa) sunt manna et coturnices: haec passim una commemorantur (78, 23–28; 106, 14 s. Sap. 16, 2).

[c] *ómer*, verbum: varie explicatur: 'edictum,' ut Israëlitae vincerent; vel 'promissum,' id quod promiserat.

[d] Nuntiae victoriarum sunt *agmen multum* (hebr.); cfr. 1 Sam. 18, 6 s.

[e] *n.wat-bàjit* ab aliis explicatur 'pulchra in domo,' decus domus, ab aliis 'habitans, manens in domo,' domi se continens, "domiseda" (inscrr. lat. de femina): feminae dicuntur; tanta est praeda relicta, ut etiam feminae ad eas referendas adiuvent et de iis accipiant (cf. Idc. 5, 30).

[f] Collato Idc. 5, 16, nobis hic ii vituperari et ad pugnandum incitari videntur, qui maluissent otiose domi manere et pace frui. Particula *im* (si), si ita explicatur, est abbreviata adiuratio vel comminatio = vae vobis *si* quiescitis = nolite quiescere! liberius verti: *quid quiescitis ...?* — Secundum alios hoc versu describitur opulenta pax post victorias: *quando (im) quiescebatis inter caulas*, tum, propter multum aurum argentumque ex spoliis acceptum, aspectus erat

veluti columbae, cuius pennae in luce solis velut deauratae vel deargentatae splendent.

g Monitioni negativae *(nolite esse desides)* bene adnectitur positiva *(pugnate!)*, et haec poëtice datur imagine procellae nivalis in monte Selmon (Idc. 9, 48); pugnate tam fortiter, ut nobis videamur videre procellam nivosam in Selmon *(tašlég!* iussive)! Latini quoque 'procellam,' nos 'Sturm, Wetter' de pugnis usurpamus. — Alii versum historice enuntiant: *quando dissipabat ..., ningebat in Selmon*, eodem sensu. Cfr. illam pugnam et victoriam in terra Chanaan, quae Ios. 10, 9–11 describitur.

h *Mons* hic potius montana regio, ut saepe. *Mons Dei*, grandis, altissimus (36, 7), sua altitudine dignissimus qui fieret residentia Altissimi. Nihilominus non hos altos montes Basanitidis Deus elegit, sed montana Iudaeae exiguumque montem Sion, cui ideo ceteri montes invidere dicuntur.

i In versione sequimur emendationem textus haud paucis recentibus probatam; TM: *Iahve in eis, Sinai in sanctitate.* — Milia milium curruum triumphalium finguntur Deum victorem comitari, agmina angelorum: inter eos est Iahve; forsan explicandum sit: *Sinai est in sanctuario*, quidquid maiestatis divinae olim in monte Sinai fuit, id totum nunc est in sanctuario montis Sion.

k Nuper David arcem Sion expugnaverat (1 Chr. 11, 5); hic psaltes Deo victoriam ascribit.

l Hebr. *onus portat [pro] nobis.* Sunt qui explicent: *portat nos* (cf. Dt. 32, 11).

m Ad litteram: *Domino sunt* (Ds. habet) *exitus morti;* frt. dativus commodi: pro iis qui iam iamque sunt praeda mortis; Deo est illimitata potentia praeservandi aut liberandi, quos vult, a morte.

n Hostes vincuntur: nullus, sive in summis montibus Basanitidis, sive in infimis oris maritimis vel in ipso profundo maris se abdit, manum Dei effugere potest. Sunt qui explicent: Deus Israëlitas in captivitatem abductos, ubicumque demum ab hostibus detinentur, inde liberatos reducet.

o Cfr. ad 58, 11. Alter stichus (mutando *minnéhu* in formam verbalem *manséhu*) etiam verti posset: *linguam canum tuorum* (canem tuum lambentem) *ab inimicis* (caesis, quorum sanguinem lambit) abire *iube.* Habebis triste spectaculum: pedem tuum sanguine tingere, canem a lambendo sanguine hostium avocare debebis.

p TM. *viderunt*, quod indefinite explicant: *man sah, on vit.* Sed vividae processionis descriptioni quae sequitur, magis consentaneum videtur, ut legatur imperative: *videte ...*

q Hebr. *de fonte Israël.*

r De exacto sensu vocis *rigmá* non certo constat: *caterva* generatim, an *[armis] strepens turma* (assyr. *rigmu* clamor, armorum strepitus), an *sodalium turma* (arab. *ragm* sodalis, *ragam* fratres). S. Hieronymus, cum interpretetur *in purpura sua*, legisse videtur *riqmatám*, quo vocabulo supposito, vertere possemus *multicolor turma eorum.*

s *A templo tuo:* difficilis lectio, quae varie tractatur; alii cum Symmacho explicant *propter templum tuum;* alii hoc "*a templo*„ iungunt cum versu 29 (*confirma ... a t. t.*) vel 31 (*a t. t. .., increpa* etc.); alii coniectant *ad templum t.* vel *a palatio suo.* — '*al–J.râšalàjm* 'super Ierusalem': David pro sede sacrae Arcae summum collem elegerat; erat quodammodo '*super*' reliquam urbem; sed potest, ut alibi saepe, '*al* pro '*el* scriptum supponi: *ad Irslm.* offerent munera.

t Ex quattuor stichis v. 31 ultimus est clarus; eius idea '*vince, disperge gentes hostiles*' etiam in ceteris tribus stichis contineri vel praeparari supponendum est. Principes et populi regno Dei hostiles, ut alibi, nomine et imagine animalium ferorum proponuntur, quae cohibenda, arcenda, absterrenda sint. *Beluam calami* seu *arundineti* esse hippopotamum et symbolum Aegypti plerique dicunt, propter 32 *a* non omnes concedunt.

u Sensus huius stichi est incertus et varie explicatur: *ut se prosternant cum laminis argenti*, ut se tibi dedant et dona offerant; vel *qui se prosternunt coram* (vel *qui adhaerent*) *idolis argenteis*, gentiles; vel *conculca eos qui sunt avidi argenti*; etc. Unam ex his versionibus elegisse et in versione posuisse nunc nobis sufficiat.

v Secundum alios: *cito elevet*..., vel simpliciter (legendo *tarîm*): *elevet manus suas ad Deum*, Iahve ut Deum adoret. — Ceterum in tota hac stropha complura sunt obscura et dubia.

Ad v. 31 subnotatio. Symmachus *abbirîm* vertit ὑπερμεγεθῶν *ex.mie magnorum* (principum), pro vitulis populorum habet συστροφὰς λαῶν (congregationes populorum): cum insuper *ḥajjá* significet etiam 'turmam militum seu exercitum' (cf. 2 Sam. 23, 13 et versiones h. l.), tota haec imago bestiarum in dubium vocari potest. Iudicium de sequenti conatu novae versionis arbitrio semitistarum relinquatur (cf. Biblica 7, 317 ss.): "*Increpa exercitum* (α) *expugnatoris* (β), *terre* (γ) *principes* (δ) *cum vexillis* [seu *legionibus*] (ε) *populorum. Impetuose irruentem* hostem (ζ) *in incursu eius* (η) *confunde* (ϑ), *dissipa populos qui pugnis delectantur*".

Breves notae: (α) *ḥajjá*, cf. modo dicta. (β) Lege *qonèh*, participium verbi *qanáh* 'acquisivit'; hoc verbum ex contextu significare potest 'pugnando sibi acquisivit, expugnavit' (78, 54; in idiomate aethiopico haec idea in verbo valde evoluta est, hinc nomen *qanājī* subiugator). (γ) Pro *'ădàt* legendo *'ărós* (*d* et *r*, *t* et *ṣ* in veteri Hebraeorum scriptura, in papyris nobis conservata, valde similia sunt; v. Joüon, Gramm. pag. 10). (δ) *abbirîm* potentes, principes. (ε) Pro *b.'eglê* legendo *b.diglê*. Litterae *d* et *'*('ajin) in eadem veteri scripturam nonnunquam formas habent, quae facile confundi possunt; v. Ges.-Kautzsch, Gramm. 28 "Schrifttafel" col. 13. — (ζ) *mitrappés:* radix *rfs* significat in pluribus linguis sem. *solum fortiter pede pulsavit*; hinc Hitpael bene potest depingere incessum militum turmatim ingredientium; singularis collectivus. (η) Pro obscuro *brṣj* legitur (*j* in *w* mutato, ut saepe) *brṣw* i. e. *b.rūṣô*, dum accurrit, aggreditur; cf. 18, 30. (ϑ) *ksf*, lege *kasséf*; in idiomate aram. verbum *kasséf* et *aksef*, necnon in lingua Talmudis neohebr. Hiphil *hiksîf* significat *pallidum reddidit*, in specie *pudore et ignominia affecit*. In hac explicatione complura sunt audacia, minus certa, adhuc melius probanda; sed ut conatus novus proponi posse videtur. Complures difficultates aliarum versionum evanescunt. Versio obtenta contextui congruit.

Nota de usu liturgico huius psalmi in hebdomade Pentecostes.

Apte hic psalmus festo Pentecostes congruit. Multa quae in psalmo occurrunt, sunt typi ac praeludia eorum quae die Pentecostes in Sion acta sunt vel agi coepta.

Etenim *A*) sicut Iahve se suo populo peregrinationis socium vel potius ducem praebuit in via ad Terram promissam, ita Spiritus S. hoc die descendit, perpetuo cum Ecclesia mansurus; ut Israëlitas propter Deum praesentem, ita

nos propter inhabitantem Spiritum S. decet eximia sanctitas (1 Cor. 3, 16 s.) — *B*) Perfectiore modo Spiritus S. illo die fideles ex servitute Veteris Foederis in libertatem filiorum Dei traduxit. — *C*) Die Pentecostes Deus (Spiritus Sanctus), ut olim in montem Sinai, inter magna signa (cf. Act. 2, 1 ss.) descendit Novamque Legem inauguravit, 'imbre largorum munerum' ac charismatum Ecclesiam laetificavit; ut Israëlitae mirabili cibo sustentabantur, ita Ecclesia inde a die Pentecostes fere coepit cotidie caelesti pane Eucharistiae vesci. — *D*) Ut auxilium divinum Israëlitas contra hostes visibiles protexit, ita Ecclesiam contra errores et hostiles conatus inferni munit perpetua assistentia Spiritus S. — *E*) Die Pentecostes Spiritus S. denuo et perfectiore modo sibi montem Sion ceu centrum regni Dei elegit; *F*) ut olim duodecim tribus sibi territorium gentilium, Palaestinam, partiti sunt, ita nunc totidem apostoli universum orbem terrarum sibi, seu potius Domino, expugnare coeperunt. *G*) In Ecclesia vero perenniter manens Spiritus S. est fidelium Paracletus, i. e. consolator et advocatus, atque *H*) contra omnes hostes defensor. — *I*) Quanto corpus praecellit umbrae suae, tanto pompae, sollemnitates, liturgiae Spiritu S. dirigente in Ecclesia institutae eminent super festivitates praefiguratívas in psalmo descriptas. Et quoniam in plenitudine temporum nos quidem iam versamur, sed nondum omnes homines, cum psalte instanter precemur, *K*) ut Deus mandet suae virtuti, ut opus coeptum humanae salutis consummet, scilicet ut populi Ecclesiae adversantes cohibeantur omnesque denique regno Christi se aggregent, atque — *L*) ut tota terra tandem unum verum Deum adoret ac glorificet.

Ps. 69 (Vg. 68) Viri gravissime afflicti supplicatio.

1 CHORI MAGISTRO. SUPER LILIA. DAVIDIS.

A 2 Salva me, Déus !
iam enim venit aqua usque ad animam. [a]
3 Immersus sum limo profundi, ubi stari non potest,
íncidi in profunda aquosa et iam fluctus me abripiunt.
4 Fatigatus sum clamando,
raucae sunt fauces meae,
Iam hebetantur oculi mei
ab exspectando Deum meum.
5 Plures sunt capillis capitis mei odientes me sine causa,
numerosi qui me perdere volunt, mihi immerito infensi:
quod non rapui, id reddere debeo. [b]

C 6 Déus, tu nosti, si quid insipienter egi, [c]
et delicta mea tibi non sunt occulta. [Sabaoth,
7 O ne confundantur in me qui sperant in te, Domine Dñe
non pudefiant in me qui te quaerunt, Deus Israél. [d]

[8] Propter te enim portavi opprobrium,
operuit ignominia faciem meam.
[9] Extraneus factus sum fratribus meis
et alienus filiis matris meae.
[10] Nam zelus pro domo tua consumpsit me,
'ideo' opprobria opprobrantium tibi ceciderunt super me.
[11] Et ploravi, * ieiunio me castigans : [e] id factum est oppro-
[brium mihi,
[12] et feci vestem meam saccum : tum fui illis ludibrio.
[13] Tractabant de me qui sedebant ad portam,
et cantilenae potantium siceram.

B [14] Mea igitur oratio ad te *veniat*, Dñe, *in* tempore gratiae,
Deus, pro multitudine pietatis tuae exaudi me,
pro clementia tua salutari.
[15] Eripe me ex luto, ne submergar,
o *fac* eripiar ex odientibus me et de profundis aquae.
[16] Non me abripiat fluctus aquae,
non me gluttiat vorago,
et non claudat super me puteus os suum.

D [17] Exaudi me, Dñe : nam benigna est pietas tua,
secundum multitudinem misericordiae tuae respice me.
[18] Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo,
quia in periculo sum, festina, exaudi me.
[19] O appropinqua animae meae, defende eam,
propter inimicos meos libera me.
[20] Tu nosti opprobrium et confusionem atque ignominiam
coram te sunt omnes tribulantes me, [meam,
[21] Ignominia fregit cor meum et titubo,
et exspectavi aliquem * commiserantem, sed nullus est,
et consolantes, sed nullos inveni.
[22] Et indiderunt in escam meam venenum,
et in siti mea potaverunt me aceto. [f]

E [23] Fiat mensa eorum coram ipsis laqueus [g]
et * pacifica eorum, tendicula. [h]
[24] Caligent oculi eorum, ut non videant,
et lumbi eorum fac semper vacillent,
[25] Effunde super eos indignationem tuam,
et fervor irae tuae assequatur eos.

[26] Fiat habitatio eorum desolata,
in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
[27] Quia eum, quem * percussisti, persecuti sunt
et dolorem a te vulneratorum * auxerunt,
[28] Superadde poenam poenae [l] eorum
et non perveniant ad hoc ut a te iusti declarentur. [k]
[29] Deleantur ex libro viventium [l]
et inter iustos [m] ne scribantur."

F [30] Me vero miserum et dolentem,
subsidium tuum, Déus, tueatur.
[31] *Fac* laudare possim nomen Déi cantico
et magnificare illud gratiarum actione,
[32] Et placeat id Dño non minus quam taurus iuvencus,
bene cornutus, ungulatus.

G [33] * Videte, humiles, et laetamini !
qui quaeritis Déum, reviviscat cor vestrum !
[34] Nam exaudit pauperes Dñus,
et suos in vincula coniectos non spernit.
[35] Laudent eum caelum et terra,
maria et quaecumque moventur in eis.
[36] Déus enim salvabit Sion
et reaedificabit civitates Iuda
et * revertentur illuc et possidebunt eam.
[37] Et posteritas servorum Eius hereditabit eam,
et, qui diligunt nomen Eius, incolent eam.

Argumentum. *Secundum inscriptionem carmen est davidicum et ut tale in NT (Rom. 11, 9; cfr. Act. 1, 16. 20) citatur. Verum in ultimis versibus videtur a iuniore poëta ita alteratum, ut usui exsulum vel eorum, qui modo ab exsilio reversi erant, accommodaretur. Quamquam psaltes universim suas ipsius aerumnas et contumelias ab impiis illatas describit, tamen ipsa hac sua sorte fuit typus Messiae passuri, et inspiratio verba eius ita dirigebat, ut magna ex parte Christi passio adumbraretur, quin etiam ea quae psaltes fortasse de se solum improprio et tropico sensu canebat (v. 22), ad litteram in Messia implerentur. — Orat igitur:* A) *In quantam inundationem malorum incidi, a tot adversariis infestatus !* B) *ab hac igitur inundatione, ab istorum odio eripe me*; C) *ne sinas me confundi, qui propter te tanta opprobria perfero*; D) *sed exaudi et libera me, quem nemo bonorum consolatur, inimici etiam crudeliter tractant*; E) *psaltes audit verba cuiusdam sui defensoris et iustitiae vindicis*

(angeli ?) a iusto Deo in hostes tam crudeles (v. 27) poenas postulantis; F) *psaltes in fine iterum ut Deus sibi succurrat, precatur et* G) *consequentem ex sua liberatione gloriam Dei iam videt ac praegustat: ultimae strophae versus in praedictionem liberationis ex exsilio commutati esse videntur.* — (5, 3, 7, 6, 7, 3, 5 versus ?)

Nota de strophis. Symmetria stropharum, quam in plurimis psalmis observamus et hic quoque expectamus, exigit ut vv. 14–16 tanquam str. B dicantur ante vv. 6–13, qui sunt str. C. Etiam ideae B ideis strophae A propius correspondent.

Adnotanda. [a] Aquae, quibus immergor, mihi spiritum intercludunt, me suffocant.

[b] Quod psaltes modo claris verbis dixit, se immerito odio haberi, hoc idem ultimus stichus, ut videtur, in forma locutionis proverbialis repetit: *" etiamsi non rapui, tunc* nihilominus ut fur tractor et *reddere debeo "*; iniuste infestor.

[c] Hebr. *Stultitiam meam.*

[d] Si psaltes, frustra in Deo confisus, confunditur, *in eo* quodammodo omnes in Deum sperantes confunduntur, quia norma generalis divina *" omnes sperantes in te non confundentur "* (24, 3) abrogata esse videtur.

[e] Hebr. *in* (cum) *ieiunio animae meae.* (Cf. Crisin textus).

[f] Est locutio metaphorica = amarissime sine misericordia me vexaverunt; similia apud Ier. 8, 14; 9, 15; 23, 15. Vocabulum *rôš* sucum amarissimum plantae venenosae significat; verti solet secundum LXX–Vg. Hier. Symm. *fel.*

[g] Nomadum " mensa " est magnum corium *coram* edentibus in solo stratum, quod, comestione finita, convolvitur lorisque colligatur; unde idea laquei haud ita procul abest. Vel cogita de captura avium, ubi *mensa* (pabulum) fit laqueus et tendicula.

[h] TM *et incolumibus tendicula.* Pleraeque versiones veterum: *et* fiat, *in retributionem* pro eorum malitia, *tendicula.* Meliorem parallelismum praebet lectio quam Targum supponit: et *pacifica eorum epula* fiant iis *tendicula.* Nomine *" pacificorum "* (hebr. *š.lamîm*) appellabantur sacrificia quaedam, cum quibus coniungebatur epulum laetum (Lev. 19, 6; 24, 30 al.).

[i] Ea vocabula hebraica, quae peccatum seu culpam significant, etiam, ubi id contextus exigit, peccati vel culpae poenam denotant (v. lexica hebr.). Id hic supponendum videtur; tota enim stropha est petitio, ut illi severissime puniantur nec eis parcatur aut indulgeatur: poenae poenis cumulentur.

[k] Hebr. *ad iustitiam tuam*; i. e. non declarentur iusti a iudice, non impunes dimittantur.

[l] I. e. ex catalogo viventium; cf. Ex. 32, 32,

[m] Inter insontes, in iudicio absolvendos ac sine poena dimittendos.

Ps. 70 (Vg. 69). Auxilii divini petitio.

[1] CHORI MAGISTRO. DAVIDIS. AD COMMEMORATIONEM. [a]

A [2] Déus, ad me eripiendum,
Dñe, ad auxiliandum mihi festina.

[3] Confundantur et erubescant qui quaerunt animam meam,
cedant retrorsum et ignominiâ afficiantur qui delectan-
[tur infortunio meo.
[4] Revertantur ob mercedem suae confusionis
qui dicunt " hahae ! hahae ! " [b]

B [5] Gaudeant et laetentur in te omnes quaerentes te,
et dicant semper " magnificetur Déus ! „ [c] qui diligunt
[salutare tuum.
[6] Ego autem miser et pauper sum :
Déus, succurre mihi !
Auxilium ac perfugium [d] meum es tu,
Dñe, ne moreris !

Argumentum. *Hic psalmus est dumtaxat psalmi 40 ultima pars paululum metrice mutata. Orat psaltes* A) *Salva me, adversarios meos confunde !* B) *laetifica omnes pios, mihi cito succurrens !* — (3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Plerique explicant : " ad sacrificii memorialis oblationem, ut ps. 38, 1.

[b] Cfr. ad 35, 25 ; 40, 16.

[c] Habeant, te favente, semper rationem Deum grato animo collaudandi.

[d] Prout vocales ponuntur, legendum videtur vel *auxiliator ac liberator meus* vel *auxilium ac suffugium meum.*

Ps. 71 (Vg. 70). Pii viri senescentis oratio.

A [1] In te, Dñe, confido :
ne, *quaeso*, confundar unquam !
[2] In iustitia tua eripe ac libera me,
inclina ad me aurem tuam et salva me.
[3] Esto mihi petra domicilii, quo intrare semper possim,
iube me salvari, quia rupes atque arx mea es tu. [a]
[4] Mi Deus, fac evadam manum impii,
pugnum improbi et violenti.
[5] Tu es enim spes mea, Domine, Dñe,
confidentia mea inde a pueritia mea.
[6] Tibi innixus sum iam inde ab utero,
ex ventre matris meae es protector meus,
in te erat * fiducia mea semper.
[7] Velut prodigium fui multis,
cum tu esses praesidium meum forte.

[8] Plenum sit os meum laude tua,
assidue glorificatione tua !

B [9] Ne me abiicias tempore senectutis,
dum deficit robur meum, ne me deseras.
[10] Iam enim dicunt inimici mei de me,
et qui invident mihi, [b] consiliantur una,
[11] Dicuntque : " Déus eum deseruit,
persequimini et comprehendite eum !
non enim adest qui eripiat „.
[12] Déus, ne sis procul a me !
mi Deus, ad mihi auxiliandum propera.
[13] Confundantur et conficiantur qui infestant animam meam,
operiantur ignominia et pudore qui quaerunt malum [mihi.
[14] Ego autem semper spem habebo,
et pergam in omni laude tua. [c]
[15] Os meum narrabit iustitiam tuam,
assidue opiferum auxilium tuum,
quia non calleo litteraturam. [d]
[16] Proferam potenter a Domino gesta,
Dñe, memoriae prodam tuam solius iustitiam. [e]

C [17] Déus, docuisti me ab infantia mea,
et hucusque praedico mirabilia tua.
[18] Et usque in senectam et canitiem, Déus, ne me deseras,
dum annuntiavero brachium tuum *huic* generationi
omnique venturae potentiam tuam.
[19] Et iustitia tua, Déus, est usque ad caelum alta, [f]
quae fecisti, sunt magna :
Déus, quis tibi aequalis est ?
[20] Cum me experiri volueris tribulationes multas et malas,
iterum me vivificabis et de abyssis terrae rursum re- [levabis.
[21] Magnificabis * iustitiam tuam,
et rursus consolaberis me.
[22] Ego vicissim tibi gratias agam ' ad lyrarum sonum' [g] pro [clementia tua, mi Deus,
psallam tibi citharâ, Sancte Israél !
[23] Iubilabunt labia mea, dum psallam tibi,
et anima mea, quam liberasti.

[24] Lingua quoque mea assidue edisseret iustitiam tuam,
quod confusi, quod pudefacti sint qui quaesiverunt
[malum mihi.

Argumentum. *Psaltes, vir, ut videtur, incipiens senescere (v. 9. 18. 20), multas tribulationes expertus, se Deo commendat, precans:* A) *Salva me, Deus, in te confidentem, qui hucusque tuam providentiam totiens expertus sum;* B) *nunc senescentem, ab inimicis infestatum, noli deserere, sed confusis illis mihi da rationem te grate laudandi;* C) *coaevis ac posteris tua beneficia me sine praedicare; sic confido: tu me consolaberis, ego te laudabo.* — (8, 8, 8 versus).

Adnotanda. [a] Psaltes initium psalmi 31 imitatus est et suo modo variavit.

[b] Hebr. *qui observant animam meam,* frt. qui exspectant, quando tandem moriar.

[c] Novis in dies laudibus te celebrabo.

[d] Vocem *s.forôt* veteres interpretantur πραγματεία (ars historiam scribendi) vel γραμματεία (scribarum scientia) LXX, *litteratura* (docte scribendi ars) Hier., similiter Syrus. Certe affine est vocabulum vocibus *sippér* narrare, *sôfér* scriba. Psaltes eo magis vult *ore suo* et *cantu* laudare Deum, quia docte de Deo scribere non valet.

[e] I. e. te solum esse iustum.

[f] Hebr. *usque ad* (caeli) *altitudinem.*

[g] Hebr. *instrumentis lyrae* seu lyricis, musicis.

Ps. 72 (Vg. 71). De regno Messiae.

[1] SALOMONIS.

A Déus, iudicium tuum Regi da,
et iustitiam tuam Filio regis,
[2] Gubernet populum tuum cum iustitia.
et Tuos miseros cum aequitate.

B [3] Ferant montes pacem populo,
et colles iustitiam.
[4] Iura tueatur egenorum populi,
salvet filios pauperis,
conterat vero oppressorem.
[5] * Diu regnet,[a] 'dum sol lucebit,'
et 'quamdiu luna splendebit,' ab aetate in aetatem.
[6] Descendat, sicut pluvia super gramen,
ut stillae irrorantes terram.[b]

[7] Floreat in diebus eius * iustitia,
et multa sit pax, donec deficiat luna.[c]

C [8] Et imperet a mari usque ad mare,
et a Fluvio[d] usque ad terminos terrae.
[9] Coram eo se incurvent * adversarii eius,[e]
et inimici eius pulverem lingant.
[10] Reges Tharsís et insularum[f] munera reddant,
reges Arabiae et Sabá tributum afferant.
[11] Et adorent eum omnes reges terrae,
omnes gentes ei serviant.

D [12] Nam eripiet pauperem auxilium petentem,
et miserum eumque cui non est adiutor.
[13] Parcet inopi et pauperi,
et animas pauperum salvabit.
[14] Ab iniuria et violentia defendet animam eorum,
et pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius, [15] ut vivant.[g]
* Dabit eis de auro Arabiae,
et orab*unt* pro ipso semper,
assiduo benedic*ent* ei.[h]
[16] Erit copia frumenti in terra, in cacumine montium,
fluctuans strepet, ut Libanus, fructus eius,[i]
et florebunt in urbi*bus cives* ut gramina terrae.

E [17] Sit nomen eius aeternum,
quamdiu sol splendebit, germinet nomen eius !
Et benedicant sibi in eo * omnes familiae terrae,*
omnes gentes eum beatum praedicent.

*
* *

[18] BENEDICTUS DNUS, DEUS ISRAEL,
QUI FACIT MIRABILIA SOLUS.
[19] ET BENEDICTUM SIT NOMEN GLORIOSUM EIUS IN AETERNUM,
ET REPLEATUR GLORIA EIUS TOTA TERRA. AMEN. AMEN.

---

[20] FINITAE SUNT ORATIONES DAVID, FILII IESSE.

Argumentum. *In forma partim precis, partim vaticinii (quae in verbis hebraicis vix distingui possunt, nec id sine ratione ; quae enim vates de Mes-*

siae regno praevidet, ea optat et a Deo flagitat ; quae vero Deum rogat, ea scit esse futura) futurus Rex pacis, Messias regnique eius felix aera describitur. A) *Deus, trade tuam imperii potestatem regi iusto,* B) *ut sit aera pacis indefectibilis ;* C) *imperium eius omnes reges et gentes agnoscant ;* D) *eius cives erunt sub rege tam clementi et benefico beati ;* E) *aeternitas et universalitas huius regni messiani a Deo expetitur. Versus 18. 19. sunt doxologia finalis secundi libri psalmorum.* — (2, 5, 4, 5, 2 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *timeòunt te :* timor Dei, religiosa pietas florebit. Plerique malunt secundum LXX legere *prolongabit* sc. dies, diu vivat seu regnet.

[b] Cfr Is. 45, 8 : *Rorate caeli desuper* etc.

[c] I. e. duratura, quamdiu mundus stabit.

[d] *Fluvius,* sine addito, Euphraten designare solet.

[e] TM. *ṣijjîm,* significationis ignotae vox ; ideo recentes legere malunt *ṣarâw* 'adversarii eius.' *Pulverem lingent,* capite usque ad terram demisso prostrati adorabunt.

[f] *Insulae* vocari solent maris (antiquis noti) insulae oraeque adiacentes.

[g] Cfr Crisin textus. — TM. *et vivet et dabitur ei de auro ...*

[h] In TM. omnia in numero singulari : *et dabitur ei de auro Arabiae, et orabit pro eo semper, assidue benedicet ei.* Primum verbum *jtn,* prout vocales ponuntur, legi potest passive *dabitur ei* vel *dabit ei.* Hinc quaeritur : quis cui dabit aurum ? rex subditis (egentibus) an subditi (divites) regi ? quis pro quo orat ? quis cui benedicit ? Quid nobis videatur (scil. rex subditis egenis, de quibus vv. 12–14, ex auro a regibus Arabiae oblato dat ; pro quo beneficio illi pro eo orant eumque benedicunt), in versione ita innuimus, ut regem numero singulari, subditos numero plurali designemus.

[i] Est hyperbolica descriptio ubertatis frugum. In parallelismo cum *in cacumine montium* frt. melius legeretur *ball.banôn :* 'in Libano,' in illa altitudine 'fluctuantes strepent' fruges camporum.

LIBER TERTIUS (Ps. 73-89)

Ps. 73 (Vg. 72). Felicitas impiorum est vana.

1 PSALMUS. ASAPHI.

A Omnino bonus erga * probum est Deus,[a]
Déus erga mundos corde.
2 Equidem pene nutarunt pedes mei,[b]
fere effusi sunt gressus mei.
3 Invidebam enim procacibus,
prosperitatem impiorum videbam :
4 Nulla enim tormenta habent, *
integrum ac pingue est abdomen eorum.[c]
5 In aerumnis hominum non sunt,
nec cum mortalibus flagellantur.
6 Ideo ceu torquis eos cingit superbia,
vestit eos quasi amictus violentia.
7 Prominent ex pinguedine oculi eorum,
translucent *inde* pravae cogitationes cordis.[d]
8 Cavillantur et loquuntur maligne de oppressione,
superbissime loquuntur.
9 Impetunt caelum ore suo,
et lingua eorum perstringit terram.[e]
10 Ideo convertit se populus * meus huc,[f]
et aquas pleno ore[g] * sorbent sibi 11 et dicunt :
" Quomodo scit Deus ?
et est*ne* cognitio in Altissimo ?
12 Ecce hi impii sunt,
et tamen iugiter incolumes ingentes faciunt divitias.
13 Omnino incassum innocens servavi cor meum,[h]
et lavare potui in innocentia manus meas ;
14 Fuique sub flagellis assidue,
et castigatio mea *redibat* omni mane „.

B 15 Si dixissem : " oh loqui possem * his similia „,
a generatione filiorum Tuorum defecissem.
16 Percogitare *ubi* volebam, ut cognoscerem hoc,
arduum id erat in oculis meis,

17 Donec intrabam in sacra mysteria Dei,[i]
animadvertebam ultimam sortem illorum:
18 Tantum in lubricis collocas *res* illorum,
collabi eos sinis in ruinas.
19 Quomodo facti sunt vastati in momento!
finiti sunt, consummati ab horribilibus fatis.
20 Ut quis somnium, simulatque evigilat,
sic, Domine, ubi expergisceris, imaginem eorum [spernes.[k]
21 Si se exacerbabat cor meum
et in mente mea[l] me discruciabam,
22 Eram stultus et nihil scivi,
brutum pecus fui erga te.
23 Enimvero sum semper tecum,
apprehendisti manum dexteram meam,
24 Consilio tuo me gubernas,
et tandem cum honore me suscipis.[m]
25 Quis mihi est in caelis?
et praeter te nihil mihi placet in terra:
26 Deperit caro mea et cor meum,
robur[n] cordis mei et portio mea est Déus in aeternum.
27 Ecce enim qui se elongant a te, pereunt,
interimis omnem fornicantem a te,[o]
28 mihi vero prope Déum esse[p] bonum est.
Pono in Domino Dño fiduciam meam,
narrare cupiens omnia beneficia tua * in portis Filiae Sion.

Argumentum. A) *Ex impiorum felicitate oritur iustis quaedam tentatio; hi enim vident, impiis pleraque prospere evenire eosque hac felicitate fretos superbire, alios despicere, quin etiam multos seducere.* B) *Hanc tentationem psaltes vincit, mentem ad Dei providentiam elevans, ac praesertim ad tristem sortem finalem impiorum attendens, quos Deus tandem prosternet ac reprobabit, dum iustus a Deo in vita bene ducitur ac demum in gloriam suscipitur; quare psaltes, qui subtristis et anxius carmen inceperat, cum ferventi protestatione suae in Deum fiduciae ac dilectionis idem absolvit.* — (14, 14 versus).

Adnotanda. [a] Textus hebr. legi et verti solet: *Omnino bonus erga Israël est Deus, erga mundos corde.* Sed nonnulli recentiores adnotarunt vocem *ljśr'l* (Israëli) apte dividi posse in *l.jšr 'l = l.jašár Él* (erga probum Deus). Haec legendi ratio nobis praeferenda videtur, quia meliorem praebet parallelismum, et quia in psalmo non Israël et alii quidam, sed impii et pii inter se comparantur.

[b] I. e. pene lapsus sum et a recto tramite deflexi.

[c] Haec versio, quae rursus unius vocis (*lmwtm*) in duas (*lmw tm*) divisionem supponit, item nobis praestare videtur textui ordinario: *non sunt tormenta morti eorum, et pingue est abdomen eorum.*

d Cum LXX legendo *'ăwonámo* (iniquitas eorum; pro TM *'ênêmo* oculi eorum) verti posset etiam: *prodiit ex stulto corde* (cfr. *ḥéleb* 17, 10) *iniquitas eorum, prorumpunt malae cogitationes cordis.*

e Impio et impudenti ore hi et homines et ipsum Deum impetere, carpere, offendere non verentur.

f *Populus meus*, populares, contribules mei, vel secundum TM *populus Eius*, populis Dei, homines hucusque probi et boni, ab illis seducti, tristem ad malum conversionem faciunt. Admissa lectione ketîb (*jašîb*) forsan verti possit: *ideo avertit* (seducit) *populum meum insipiens loquela eorum* (*hullám*: infin. Qal, vel nomen radicis *hll* insipienter seu proterve loqui).

g Hebr. *aquam pleni* sc. poculi.

h Ita aliquis ex illis seductus, ita fortasse ipse psaltes, aliquamdiu tentatus, cogitaverit.

i Hebr. *in sanctuaria Dei.*

k Ut aliquis, mane evigilans, imagines somniorum contemnit et e mente abiicit, ita Deus, quando veniet hora eius, impios aspernabitur et reprobabit.

Hebr. *quoad renes meos*; ' renes ' Hebraei dicere solent pro mente cogitante de re ethica.

m Cfr. Ps. 49, 16; 11, 7; 17, 15.

n Hebr. *petra cordis mei.*

o *Fornicari* = perfide Deum deserere, quocum populus Israël foedere velut connubiali coniunctus est.

p Ut *se elongare* in v. 27 de ethica discessione a Deo, de defectione a Deo dicitur, ita hic *prope Deum esse* est per fidem, spem, amorem, oboedientiam etc. intime Deo coniunctum esse; bene Vulg. *adhaerere Deo.*

Ps. 74 (Vg. 73). Post templi destructionem oratio.

1 MASKIL. ASAPHI.

A Quare, Déus, reppulisti in perpetunm,
fumat ira tua adversus gregem pascuae tuae?
2 Recordare Congregationis tuae, quam condidisti pridem,
quam redemisti in tribum tibi propriam,
montis Sion istius, in quo habitare voluisti.
3 O eleva gressus tuos ad *has* ruinas ' irreparabiles,' [a]
ubi omnia devastavit inimicus in sanctuario.

B 4 Rugierunt adversarii intra synagogam tuam,
posuerunt signa sua *ceu* signa. [b]
5 * Caedebant, velut qui elevat in altum
in denso arboreto securim. [c]
6 Et nunc caelaturas pariter
asciâ et bipennibus contundunt.

[7] Immiserunt ignem sanctuario tuo,
solo *aequatum* profanarunt habitaculum nominis tui.
[8] Dixerunt in corde suo: " opprimamus eos universos!
* comburite[d] omnes synagogas Dei in terra! „
[9] Signa nostra[e] non vidimus,
nullus amplius exsistit propheta,
neque est apud nos qui sciat quousque.

C [10] Quamdiu, Déus, insultabit adversarius,
blasphemabit inimicus nomen tuum perpetuo?
[11] Quare retrahis manum tuam et dexteram tuam?
e medio sinu tuo *eam profer et* finem fac!

D [12] Déus enimvero est rex meus antiquitus,
opera patrans salvifica[f] in terra:
[13] Tu discidisti potentiâ tuâ mare,
confregisti capita beluarum super aquas:
[14] Tu contudisti capita Leviathán,
dedisti eum escam * populo ferarum deserti.
[15] Tu elicuisti fontem et torrentem,
tu siccasti fluvios perennes.[g]
[16] Tuus est dies, tua quoque nox,
tu stabilisti luminare[h] et solem.
[17] Tu statuisti omnes terminos terrae,
aestatem et hiemem tu formasti.

E [18] Recordare hoc: inimicus blasphemavit Dñum,
et populus insipiens[i] insultavit nomen tuum.
[19] Ne tradas * feris animam * turturis tui,[k]
vitae tuorum afflictorum ne obliviscaris perpetuo.

F [20] Respice in foedus * tuum,[l]
plena enim est 'infelix terra' domiciliis violentiae.[m]
[21] Ne revertatur inops confusus,[n]
miser et pauper *fac* laudent nomen tuum,
[22] o surge, Déus, defende causam tuam!
Memento tui ab * *isto* insipiente opprobrii assidui,
[23] ne obliviscaris vocis hostium tuorum,
fremitus insurgentium contra te ascendentis semper.[o]

Argumentum. *Post templum a Nabuchodonosor deletum (cf. 4 Reg 25, 1–14) unus ex Asaphidis lamentatur:* A) *Quare, Deus, populum tuum rep-*

pulisti, sanctuarium tuum ab hoste devastarî sivisti? B) *omnia destrui, aedem comburi, omnem spem salutis nobis adimi pateris;* C) *quamdiu cunctaris? succurre!* D) *quam potens sis, olim multifariam monstrasti;* E) *inimicus te blasphemat et tuos perdere vult;* F) *foederis tui memor, nos salva et tuam tuere gloriam.* — (3; 6, 2; 6, 2; 3 versus?)

Adnotanda. [a] Hebr. *ruinas perpetuas:* ruina psaltae lugenti videtur irreparabilis; quis enim talem urbem, tale templum restaurabit?

[b] Cfr. Lam. 1, 10. Alterum stichum S. Hier. magis explicans vertit: *posuerunt signa sua in tropaeum.* Fortasse hostes pro signis symbolisque cultus israëlitici substituerunt sua signa idololatriae.

[c] TM. *cognoscebatur (scitur?) velut afferens sursum in perplexa arborum secures.*

[d] *opprimamus eos!* verti potest, si supponitur forma conveniens verbi *jnh;* et talis forma et versio contextui bene convenit. Si *nīnám* a nomine *nîn* derivatur, vertendum videtur: "*genus eorum universum* (scil. *deleamus*)!„ — *śrfw* LXX bene intellexerunt cohortative, καταπαύσωμεν (irrepsit in textum mendum καταπαύσωμεν!); ergo scribamus *śirfû* 'comburite!' Alienigenae, qui nesciunt Israëlitis non esse nisi unam aedem sacram, possunt supponi ita loquentes.

[e] *Signa nostra* explicari solet: signa nobis faventia, indicia irae Dei mitigatae. *Ototênu* nonne verti potest (a verbo *'th* venire) *quae ventura sunt in nos?* = non videmus, quae mala nobis adhuc immineant. — Item (ab eodem verbo *'th*) legi potest *lo' 'atánu* ... 'non vênit ad nos [propheta] qui sciret, quamdiu (haec mala duratura sint).'

[f] Hebr. *operans salutes in terra.* V. 13 s. dicitur de Mari rubro pro Israëlitarum transitu mirabiliter diviso, ac de Aegyptiorum (hic symbolo leviathan, i. e. crocodili, propositorum) interitu in undis, quorum cadavera hic poëtice exhibentur ut litori allata atque a feris devorata. Voranda dantur *l.'àm* populo (miro, sc.) feris deserti; *'àm* de animalibus Prv. 30, 25 s. Cfr Crisin textus.

[g] Hoc dicitur de aqua e rupe elicita et de Iordane siccato.

[h] Hebr. *luminare et solem,* LXX *solem et lunam.*

[i] *Insipiens,* qui Deum negat (Ps. 53, 2). Cfr. Crisin textus.

[k] Turturi ab ave rapaci prehenso ac iam vorando comparatur populus furori hostium traditus. — Si cum LXX. Syr., una litterâ mutatâ, legis *nèfeš todèka* 'animam quae te confitetur,' simul vocem *l.ḥajjôt* explica *his* [hostium] *catervis* (cfr. 2 Sam. 23, 13); ac ne eadem vox in uno versu duas significationes valde diversas habeat, in altero quoque membro verte *catervae tuorum tam miserorum ne obliviscaris tam diu.* Cfr. adhuc Crisin textus.

[l] I. e. in populum tecum foedere coniunctum.

[m] TM. *plenae sunt tenebrae terrae domiciliis violentiae.* 'Plena esse domiciliis sceleris' vix potest nisi regio; ergo *tenebrae terrae* videntur significare 'tenebrosam terram.' Quia *maḥšakkîm* plerumque de statu infelici, de interitu etc. usurpatur, libere sed clarius vertere possumus "*infelix terra*„. — *Domicilia violentiae* nobis videntur domus ab hostibus occupatae, ubi fiunt violentiae, quales Thr. 5, 9 ss. describuntur.

[n] *confusus,* non exauditus.

[o] Quodammodo sine intermissione ad caelum ascendunt voces blasphemae hostium. Secundum alios *ascendere* = augescere (3 Reg. 22, 35).

Ps. 75 (Vg. 74). Dominus est iudex hostium populi sui.

[1] CHORI MAGISTRO. NE PERDAS. PSALMUS ASAPH. CANTICUM.

A [2] Gratias agimus tibi, Déus,
gratias agimus * tibi.
Et * proclamamus nomen tuum,[a]
tu cuius narraverunt * omnia mirabilia!

B [3] " Quando Accipiam iustum tempus,[b]
Ego cum aequitate iudicabo.
[4] *Si* liquefiunt terra et omnes incolae eius,[c]
Ego stabiliam columnas eius. SELA.
[5] Dico insolentibus: nolite insolescere!
et impiis: Nolite attollere cornu!
[6] Nolite attollere in excelsum cornu vestrum,
loqui *arrecto* collo proterva „.[d]

C [7] Profecto neque ab Oriente aut ab Occidente,
neque a deserto[e] *venit* * exaltatio,[f]
[8] Sed Déus diiudicat:
hunc humiliat, et hunc exaltat.
[9] Poculum enim est in manu Dñi,
cum vino spumante, pleno mixturae,
iamque infundit ex hoc:
Meras eius faeces sorbebunt,
ebibent omnes impii terrae.

D [10] Ego vero * iubilabo in aeternum,
psallam Deo Iacób.
[11] Et omnia cornua impiorum confringam,
exaltabuntur cornua iusti.

Argumentum *carminis videtur ita proponi posse*: *Isaias propheta Ezechiae regi ab Assyriis summopere angustiato nomine ac iussu Dei cladem Assyriorum praedixerat (cf. 4 Reg. 19, 20 ss. Is. 37, 21 ss.). Hoc vaticinium psaltes animo recolens:* A) *pro hoc vaticinio et promissa mirabili liberatione gratias agit*; B) *Dei promissionem mente perpendit, ipsum Deum loquentem inducens*, C) *futurumque iudicium divinum praevidet;* D) *se Dei laudes perpetuo cantaturum et impios perpetuo impugnaturum promittit.* — (2, 4, 4, 2 versus).

Adnotanda. [a] TM. Hier., duobus vocabulis aliter divisis, legunt: *et prope est nomen tuum* (si ita legitur, *nomen* Dei est opifera Dei praesentia: cf. 54, 3).

[b] Deus omnia facit suo, iusto, opportuno tempore, quod pro sua sapientia eligit.

[c] Terror Assyriorum quodammodo omnium corda liquefecerat.

[d] Vox *marôm* nonnunquam, fortasse hic quoque, caelum et Altissimum connotat. — *Collo* sc. superbe erecto = arroganter (Iob 15, 26); LXX malebant legere *adversus Deum* (baççûr).

[e] *Desertum*, i. e desertum Iuda, hic pro regione meridionali ponitur. Ex nulla plaga caeli ab Israëlitis *exaltatio* (frt. breviloquentia pro '*cornus exaltatio*'), liberatio ab invasione hostis, sperari potest. Quarta caeli plaga, septemtrio, non nominatur, quia ex hac parte hostis urgebat; ergo — humano modo loquendi — ab alia plaga auxilium expectabatur.

[f] Si *mimmidbàr harîm* explicatur '*ex deserto montium*,' ellipsis seu sententiae abruptio supponenda est, ac mente supplendum: "(ex nulla caeli plaga) *nobis est spes salutis*„. — Sed magis placet, *harîm* considerare ut subiectum sententiae atque ut infinitum Hifil verbi *rûm* = *exaltatio*. Cfr. Crisin textus.

Ps. 76 (Vg. 75). Carmen triumphale post victoriam.

[1] CHORI MAGISTRO. IN FIDIBUS. PSALMUS ASAPH. CANTICUM.

A [2] Manifestat se in Iuda [a] Déus,
in Israël magnum est nomen eius.
[3] Exsistitque in Salem tabernaculum eius
et habitatio eius in Sion.
[4] Ibi confregit fulmina arcuum, [b]
scutum et gladium et bellicum apparatum. SELA.

B [5] Illustris es, gloriosus
a montibus praedae. [c]
[6] Mente turbati [d] sunt cordatissimi,
dormierunt somnum suum,
et imbecillas senserunt omnes fortes manus suas. [e]
[7] A comminatione tua, Deus Iacób,
consopiti sunt * qui ascenderant equos,

C [8] Tu, terribilis es,
et quis obsistere tibi potest, ex quo irásceris?
[9] Caelitus indixisti iudicium,
terra timuit et siluit,
[10] Cum surgeret ad iudicium Déus,
ut salvaret omnes humiles terrae. SELA.

D [11] Utique ira hominum te glorificat,
reliquae irae * te festo honorabunt. [f]
[12] Vovete et *vota* persolvite Dño, Deo vestro,
omnes eius circumvicini afferant munus Terribili,
[13] *Ei qui* abscindit superbum spiritum principum,
terribili regibus terrae.

Argumentum. *Probabiliter hoc carmine ea Dei victoria hostiumque clades celebratur, quam praecedens psalmus praesagivit.* A) *Deus se in Israël novo glorioso facinore manifestavit,* B) *nempe insigni victoria ab hostibus reportata,* C) *qua pios potenter salvavit;* D) *ideo Deo debitus honor tribuatur.* — (3, 3, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] *In Iuda, in Israël:* nominatur, opinor, non regio in qua, sed populus in quo (quo salvato, protecto) Deus se manifestare vult.

[b] *Fulmina arcuum,* sagittae.

[c] Subobscura est dictio *meharrê ṭèref.* Plerumque *ṭèref* est rapina seu praeda beluarum, id quod ferae rapiunt ac devorant. Post magnam cladem iacent in campo *montes praedae,* i. e. ingentes acervi cadaverum insepultorum, quae saepe praeda fiunt ferarum (cf. Is. 18, 6; 37, 36. Ez. 39, 4 al.).

[d] *eštôl.lû* LXX verterunt ἐταράχθησαν, *turbati sunt,* item Syrus; recte, ut videtur. Est, opinor, Hitpolel radicis *šûl* = arab. *ṭâla* 'habere cerebrum turbatum'; etiam Is. 59, 15 occurrit: 'qui vitat malum, pro desipiente habetur.' Ad *šalàl* 'spoliavit' vix formaretur Hitpolel ut passivum.

[e] Ad litteram: *non invenerunt... manus suas;* cum se defendere vellent, torpore impediti, manibus uti non valebant.

[f] Sensus huius versus nondum est satis elucidatus. TM habet in fine: *residuum irarum accingis,* LXX *reliquiae irae tibi festum agent.* Si adoptamus lectionem LXX, nescio an dicatur: irae hominum, omnis hostilis infestatio populi Israël tandem finitur in gloriam Dei, cuius iustitia ac providentia manifestatur; ac reliquae quoque (futurae, adhuc instantes) irae seu incursus hostiles tale festum gloriae Deo parabunt. Si retinetur TM, forsan explicari possit: *residuum irarum,* hostes adhuc superstites nos infestantes, [*saccis*] *se accinget,* vel *r. i.* [*saccis*] *accinges,* i. e. eos paenitebit invasisse populum Dei (cf. Ioel 1, 13 *ḥigrû* absolute 'saccis vos induite').

Ps. 77 (Vg. 76). Animi diu afflicti solacium ex memoria veterum Dei miraculorum.

[1] CHORI MAGISTRO. SUPER IDITHUN. ASAPHI. PSALMUS.
A [2] Vox mea ad Déum *ascendat,* ut clamem,
vox mea ad Deum, ut auscultet me [3] die angustiae
[meae.

Dominum quaesivi,
manus mea *per* noctem expansa est, indefessa,
renuit solacium accipere anima mea.
[4] Recordor Déi et gemo,
meditor, et anxiatur spiritus meus. SELA.
[5] Tenes 'vigiles' [a] oculos meos,
velut contusus sum nec loqui possum.
[6] Percogito dies pristinos,
annorum antiquorum [7] recordor.

B *Anxie cogitavi [b] noctu,
cum corde meo commentabar,
et pensitavit spiritus meus:
[8] Num in saecula repudiabit Dominus
nec iam repropitiabitur amplius?
[9] Num desiit in perpetuum pietas eius,
finem habet promissum in generationem et generationem?
[10] Num oblitus est clementer agere Deus,
aut occlusit iratus misericordiam suam? SELA.
[11] Et iam dixi: Infirmitas mea est ea,
quod mutata est dextera Altissimi. [c]

C [12] Reminiscar facinora Dñi,
utique, reminisci volo tua olim miracula,
[13] Et perpendere totum opus tuum
et de magnis gestis tuis meditari.
[14] Déus, in sanctitate est via tua, [d]
quis est numen magnum sicut Déus?
[15] Tu es ille fortis Deus qui fecit miracula,
qui manifestasti in populis potentiam tuam.
[16] Liberasti brachio tuo populum tuum,
filios Iacób et Ioséph. SELA.

D [17] Viderunt te aquae, Déus,
viderunt te aquae trementes,
ac trepidabant aequora.
[18] Spargebant aquas nubes,
voces emiserunt nubila,
ac sagittae tuae pervolabant.
[19] Sonuit tonitru tuum in turbine,
illuminaverunt fulgura orbem terrae,
extimuit et contremuit terra.

20 Per mare *fiebat* iter tuum
et semita tua per aquas immensas,
etsi vestigia tua cognita non sunt. [e]
21 Provide duxisti, ceu ovium gregem, populum tuum
per Mosen et Aaron.

Argumentum. — *Psalmista in permagna et diuturna aliqua afflictione precatur:* A) *Tristis omnisque solacii exsors preces fundere debeo ;* B) *videtur enim Deus iamdiu, misericordiae suae oblitus, pium suum agendi modum mutasse.* C) *Sed consolari me volo cogitatione, haec mala mea permitti ab illo eodem sancto et potenti Deo, qui olim miracula patravit et* D) *patres nostros tam miraculose per Mare rubrum duxit.* — (5, 5; 5, 5 versus).

Adnotanda. [a] Ad litteram, ut videtur: *tenes palpebras oculorum meorum*, sc. ne dormire possim (neohebraice: *š.murá* palpebra).

[b] Etiam LXX et Syrus verbum ad v. 6 trahunt. Pro *meditatus sum* (prob. *hagîti*) TM habet *n.ginatî* 'fidicinium meum.'

[c] Ita interpretantur ex antiquis Targum, Aquila, Theodotion, Quinta, Hieronymus *(et dixi: imbecillitas mea est haec, commutatio dexterae Excelsi)*, item fere Syrus; legerunt igitur *ḥălotî* a verbo *ḥalá* 'infirmum esse.' Prorsus ignota veteribus et nimis incerta est significatio *ḥallôti* = [aenigma] solvi (ex arabico *ḥálla* solvit), quam ut cum Wutz vertere possemus *" et dixi:* [aenigma] *solvi ! haec est mutatio dexterae Altissimi „*.

[d] Tua ratio agendi et procedendi semper fuit, ideoque — non dubito, quamquam non intellego — etiam nunc est, sancta.

[e] Psaltes dicere videtur: invisibilis erat Deus, qui Israëlitas per Mare rubrum ducebat, sed tamen certus et indubius fuit effectus admirabilis providentiae eius; ita nunc quoque Dei praesentis vestigium nullum video, sed quin Deus me bene ducat, non dubito.

Ps. 78 (Vg. 77). Patrum historia sit magistra filiorum.

1 MASKIL. ASAPHI.
A Attende, mi popule, ad doctrinam meam,
praebete aurem vestram verbis oris mei.
2 Sinite aperiam ad sententias os meum,
proferam aenigmata ex prisco tempore.
3 Ea quae audivimus et comperimus
et *quae* patres nostri narraverunt nobis,
4 Non reticebimus ab eorum filiis,
generationi posterae narrantes laudes Dñi
et potentiam eius et mirabilia eius quae patravit:

[5] Et *ut* constituerit normam in Iacob
et legem deposuerit in Israël,
quam iussit patres nostros notificare suis filiis,
[6] Ut cognoscat *eam* generatio postera,
filii nascituri surgant narrentque suis liberis:
[7] Ut collocent in Déo spem suam
et oblivioni non dent gesta Dei,
sed mandata eius observent:
[8] Neve fiant, ut patres sui, generatio contumax et rebellis,
generatio quae constans cor non habuit
nec fidelem erga Deum spiritum.

B [9] Filii Ephraim[a] sunt *velut* vaferrimi sagittariorum,
qui se retro vertunt die proelii:[b]
[10] Non servaverunt foedus cum Déo initum,
et in lege eius recusarunt ambulare.
[11] Et obliti sunt gesta eius
et miracula eius quae 'ipsis videntibus fecerat'. —
[12] Coram eorum patribus fecerat prodigium
in terra Aegypti, regione Tanis:
[13] Scidit mare et perduxit eos
et stare fecit aquas velut aggerem.
[14] Et duxit eos nube interdiu
et totam noctem luce ignis.
[15] Et scidit rupes in deserto,
et potavit eos velut aequore copiose,
[16] Et elicuit fluenta de saxo,
et defudit, fluviorum instar, aquam.

C [17] Sed perrexerunt ultra peccare in Eum,
obsistere Altissimo in arida.
[18] Et tentaverunt Deum in corde suo,
poscentes cibum animae suae.[c]
[19] Et locuti sunt adversus Déum *ac* dixerunt:
" poteritne Deus parare mensam in deserto?
[20] En percussit petram et profluxit aqua et torrentes emanabant:
num panem quoque poterit dare
vel praeparabit carnem populo suo? „ —
[21] Ideo, *ubi id* audivit Dñus,
irâ commotus est.

Et ignis exarsit adversus Iacob,
atque ira suborta est contra Israël,
[22] Quia non crediderunt Déo,
nec speraverunt in opifero eius auxilio.
[23] Sed mandavit nubibus desuper
et valvas caeli aperuit.
[24] Et pluit super eos manna quod comederent,
et triticum caeleste dedit eis.
[25] Panem fortium[d] manducavit homo,
alimenta misit eis ad saturitatem.
[26] Commovit Eurum in caelo
et adduxit potentiâ suâ Africum.
[27] Et pluit super eos, *copiose* ut pulverem, carnem,
et, velut arenam marium, volatilia pennata. —
[28] Et ceciderunt *ea* in mediis castris Eius,
circum tabernacula Eius.
[29] Et comederunt et saturati sunt plene,
et, quod desideraverant, afferebat eis.
[30] ‘Vixdum’ *vero* desierant ab appetitu suo,
dum adhuc cibus eorum erat in ore eorum,
[31] ira Déi suborta est in eos,
Et caedem fecit in pinguissimis eorum,
et iuvenes Israëlis prostravit.

D [32] Nihilominus peccaverunt ultra,
nec fidem adhibuerunt miraculis eius.
[33] Et consumpsit in inanitate dies eorum
et annos eorum conturbatione.[e] —
[34] Si eos interemerat, requirebant eum
et convertebantur et quaerebant Deum.
[35] Et recordati sunt, Déum esse petram suam,
et Deum Altissimum esse tutorem suum.
[36] Et decipiebant eum ore suo,
et linguâ suâ mentiebantur ei,
[37] Cum cor eorum insincerum esset erga eum
nec fideliter adhaererent inito cum eo foederi. —
[38] Verum Ipse misericors indulgebat culpae nec perniciem
et saepe retinebat iram suam [infligebat,
nec erumpere sinebat totam indignationem suam.

39 Et recordatus est, eos esse carnem,
halitum abeuntem nec reversurum.

E 40 Quotiens provocabant Eum in deserto,
contristabant Eum in eremo!
41 Et iterum tentaverunt Deum
et Sanctum Israél concitaverunt.
42 Non fuerunt memores manûs eius,
illius diei quo eos liberaverat ab adversario,
43 Quo patraverat in Aegypto signa sua
et portenta sua in campis Tanis : —
44 Converteratque in sanguinem fluvios illorum
et rivos illorum, ut bibere non possent [I].[f]
45 Immittebat illis coenomyias voraces
et ranas iis perniciabiles [II-IV].
46 Et dedit brucho proventum eorum
et fruges eorum locustae [VIII].
47 Interficiebat grandine vites eorum,
et moros eorum brumali procella [VII].
48 Et tradidit pesti iumenta eorum [V],
et pecu eorum pestilentiis.[g]
49 Immittebat illis ardorem irae suae,
indignationem et aegrimoniam et tribulationem,
legationem angelorum maliferorum [IX].
50 Planabat semitam irae suae ;
non praeservavit a lue ipsos, [VI]
et vitam eorum pesti tradidit.
51 Et occidit omne primogenitum in Aegyptiis,
' primitias partuum' in tabernaculis Chám. [X] —
52 Et abduxit, ut oves, populum suum,
et minavit eos, ut gregem, in desertum.
53 Et provide duxit eos securos et impavidos,
inimicos vero eorum operuit mare.
54 Et perduxit eos ad territorium sanctum suum,
ad montana[h] quae sibi acquisivit dextera eius.
55 Et expulit ante eos gentes,
et subiecit eas funiculo sortitionis,[i]
et habitare fecit in earum tabernaculis tribus Israél.

F 56 Et *ibi* tentaverunt et provocaverunt Deum
et monita eius non servaverunt. [Altissimum,

k Cum arca foederis Deus quodammodo seipsum capi et auferri a Philisthinis passus est: 1 Sam. 4–6.

l Hic videtur esse sensus verbi hebraici *lô' hullálu* 'non sunt [hymenaeo] laudatae'; cfr. vocem neohebr. *hillûláh* 'nuptiae.'

m Honor sollemnis planctus funebris iis tribui non potuit.

n Ad litteram: *velut dormiens.*

o *Mitronén*, forma utpote hic solum usu veniens et variae derivationis capax, non uno modo explicatur: 1) secundum veteres: *ebrius* LXX. Syr. Hier., forte a radice *rjn* (arab. *rána* occupavit alqm. vinum); 2) *ad sui conscientiam rediens*, Perles (cf. aram. *r.nàn, rannén* cogitavit); 3) *se iubilando laetum ostendens, iubilans*, Frz. Delitzsch (radix hebr. *rnn*, a qua *rannén* iubilare). Hanc tertiam explicationem, cum in radice hebr. sistat et imaginem offerat etiam alibi (Is. 42. 13 *Dns. sicut fortis egreditur,... vociferabitur et clamabit* etc.) usurpatam, adoptavimus.

p I. e. *a tergo.* Plerisque hic ad plagam Philisthinorum 1 Sam. 5, 6 narratam alludi videtur.

q Cum ageretur de sede stabili pro arca foederis eligenda, Deus non Silo, sed Sion destinavit.

r Hebr. *de post fetas* (sc. oves), i. e. a cura laboribusque vitae pastoralis.

Ps. 79 (Vg. 78). Post urbem aedemque sacram destructam oratio.

1 PSALMUS. ASAPHI.

A Déus, invaserunt gentes hereditatem tuam,
polluerunt templum sanctum tuum,
redegerunt Ierusalem in ruinas.
2 Dederunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus caeli,
carnem piorum tuorum bestiis terrae.
3 Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam circa Ierusalem,
nec erat qui sepeliret.
4 Sumus opprobrio *expositi* vicinorum nostrorum,
ludibrio et irrisioni circumcolentium.

B 5 Quousque, Dñe, irascéris perpetuo,
ardebit velut ignis zelus tuus? [noscunt,
6 Effunde indignationem tuam super gentes quae te non ag-
et super regna quae nomen tuum non invocant.
7 Quia comederunt Iacob,
et arva eius devastaverunt.

[[8] Ne animadvertas in nobis culpas maiorum,
cito obveniat nobis misericordia tua:
nam inopes sumus valde.]

[causa,
C [9] Auxiliare nobis, Deus salvator noster, gloriae nominis tui
et eripe nos et ignosce peccatis nostris propter nomen
[10] Quare dicant gentiles: [tuum.
"ubi est Deus eorum?„
Manifestetur in gentilibus, coram oculis nostris,
ultio sanguinis *te colentium effusi.

D *[Hic legatur versus 8!]*
[11] Perveniant ante te gemitus captivorum, [ad necem.[a]
secundum magnitudinem brachii tui *exsolve destinatos
[12] Et retribue vicinis nostris septempliciter in sinum eorum
opprobrium ipsorum quo te affecerunt, Domine.
[13] Nos vero, populus tuus et grex pascuae tuae, *fac* gratias
[agere tibi possimus in aeternum,
in generationem et generationem narrare laudem tuam.

Argumentum. *Destructa a Babyloniis urbe Ierusalem ac templo combusto (4 Reg. 25), psaltes, summo dolore afflictus et zelo commotus,* A) *triste spectaculum expugnatae urbis describit,* B) *rogatque ut Deus hostes puniat,* C) *suum vero populum liberet,* D) *ut, divino honore reparato, Israël Deo gratias agere possit.* — (4, 3, 3, 4 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *filios necis.* — Verbum in TM. LXX. Hier. legitur *hôtér* (relinque! i. e. superstites fac), apud Syrum et in Targum *hattér* (solve, exsolve! libera!). Ad vocabula quae praecedunt 'captivus' (*asîr* vinctus) et 'magnitudinem brachii tui' (magnam potentiam tuam) forsan notio exsolvendi seu liberandi magis accommoda sit.

Nota. — Versu 8 ante versum 11 posito, obtinetur commodior facilitas textum in strophas symmetricas dividendi; sic in singulis strophis strictior est ordo idearum. Ideo non improbabile nobis videtur, talem transpositionem faciendam esse.

Ps. 80 (Vg. 79). Pro populo Dei ab hostibus infestato oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. SUPER LILIA. TESTIMONIUM. ASAPHI. PSALMUS.
A [2] Pastor Israëlis,[a] ausculta,
qui ducis, velut gregem, Ioseph.
Qui sedes super Cherubim, appare
[3] coram Ephraim et Beniamin et Manasse.[b]

Excita potentiam tuam,
et veni in subsidium nobis.
[4] Déus, restaura nos,
et serenum ostende vultum tuum, ut salvemur.

B [5] Dñe, Deus Sabaoth,
quamdiu iam succenses oranti[c] populo tuo ?
[6] Cibasti eos pane lacrimarum
et potasti eos lacrimis ' copiose.' [d]
[7] Facis ut de nobis rixentur vicini nostri,
et inimici nostri illudunt * nos.
[8] Déus Sabaoth, restaura nos,
et serenum ostende vultum tuum, ut salvemur.

C [9] Vitem ex Aegypto transplantaturus,
expellebas gentes, illamque implantasti.
[10] Praeparasti ei *solum*,
et radices egit et implevit terram.
[11] Operti sunt montes umbrâ eius,
et ramis eius cedri Dei.
[12] Promittit surculos suos usque ad mare
et versus Fluvium propagines suas.[e]

D [13] Quare destruxisti maceriam eius,
ita ut ex ea decerpant omnes transeuntes per viam ?
[14] Devastat eam aper de silva,
et ferae agrestes eam depascuntur.
[15] Déus Sabaoth, revertere, quaesumus !
aspice de caelis et vide !
Et visita hanc vitem,
[16] et surculum[f] quem plantavit dextera tua.
[* et super filium quem destinasti tibi.][g]

E [17] Succensa igne, concisa,
a minis vultus tui *omnia* pereunt.
[18] Fiat manus tua super virum dexterae tuae,[h]
super filium hominis, quem destinasti tibi.
[19] Tunc non recedemus a te :
ad vitam nos revocabis, et nomen tuum proclamabimus.[i]
[20] Dñe, Déus Sabaoth, restaura nos,
serenum ostende vultum tuum, ut salvemur.

Argumentum. *Psalmus ad illud tempus referri potest, quo Salmanassar, rex Assyriorum (727-722), regnum septentrionale invasit et meridionale impugnare conatus est (4 Rg. 17, 3 ss.; 18, 13 ss).* A) *Deus ut Israëlis pastor invocatur et, ut populo succurrat, rogatur,* B) *quandoquidem populus iamdiu ab hostibus infestatur;* C) *populus comparatur viti olim ex Aegypto in Palaestinam transplantatae et laetissime radices palmitesque quoquoversus promittenti,* D) *nunc vero ab apro silvestri vastatae, a feris arrosae, ac perituraе nisi Deus cito subveniat*; E) *quare rursus instanter Dei auxilium flagitatur. — Animadverte in versu repetito affectum crescentem:* Déus! *(v. 4),* Déus Sabaoth! *(v. 8, 15),* Dñe Déus Sabaoth! *(v. 20).* — (4, 4, 4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Cfr. Gen. 49, 24. — Hic, ut alibi nonnunquam (cf. 77, 16; 81, 5 s.), in parallelismo cum *Iacob* vel *Israël* etiam *Ioseph* tamquam nomen totius populi usurpatur.

[b] Nominantur eae tribus quae per originem ex matre Rachel magis inter se nexae sunt. Hoc modo etiam desiderium psaltae manifestatur, ut tribus nunc in duo regna divisae iterum uniantur.

[c] Hebr. *in* (= trotz, malgré) *oratione populi tui.*

[d] Hebraice certa liquorum mensura nominatur, *šalîš* 'modius'; velutsi dicantur lacrimae fluere 'per modios' (germ. literweise).

[e] Mare internum et Euphrates ut termini futurae Terrae promissae indicati erant, Ex. 23, 31.

[f] Vox *kannáh* 'surculus' philologis dubia videtur (cf. tamen formam *kén* Dan. 11, 7). Quibusdam videtur legendus imperativus verbi *kanàn* texit, protexit (arab., sab.): *et protege ea quae plantavit d. t.*

[g] Hic stichus a plerisque criticis habetur pro praepropera scriptione stichi 18[b]; hîc parallelismum et constructionem sententiae (necnon metrum) turbat, ideoque delendus videtur. Scriba post *dextera tua* in v. 16, oculo aberrante, statim addidit quae in v. 18 post *dexterae tuae* sequuntur.

[h] *Virum dexterae tuae:* virum quo dextera tua uti volet ad nos salvandos (cf. 89, 22). Patres graeci et latini hoc ad Christum referunt. Recentiores vero multi ipsum populum Israël, utpote dextrâ Dei plantatum (v. 16) volunt esse hunc *virum dexterae tuae.* — Haud pauci codices graeci, ac versiones armeniaca et georgiana vocabula hebraica aliter distributa supponunt: *fiat manus tua super virum, dextera tua super filium hominis* etc.: lectio haud improbabilis.

[i] Solemniter tibi gratias agemus, nosque a te salvatos profitebimur.

Ps. 81 (Vg. 80). Festum a Deo institutum digne celebremus.

[1] CHORI MAGISTRO. IN GETHAEA. ASAPHI.

A [2] Exsultate Déo, robori nostro,
iubilate Deo Iacób.
[3] Sumite psalterium et date tympanum,
citharam suavisonam cum nablio.
[4] Clangite hoc mense tuba,[a]
in plenilunio, ad diem festum nostrum.

[5] Nam statutum pro Israël id est,
praeceptum a Deo Iacób.

B [6] Ut ritum[b] id in Ioseph instituit,
quando egressus est contra terram Aegypti.[c]
Sermonem *tum* eousque incognitum audivi:[d]
[7] " iam cessare facio ab onere humerum eius,
manus eius a cophino[e] desistant! „

C [8] " In tribulatione invocasti me et eripui te,
allocutus sum te in latibulo tonitrui,[f]
probavi te apud Aquam contradictionis.
[9] Audi, mi populе, et sine moneam te,
Israël, o si audias me!
[10] Non esto apud te deus alienus,
neve adorato deum peregrinum.
[11] Ego Dñus sum Deus tuus,
qui eduxi te de terra Aegypti;
late aperi os tuum, ut illud impleam![g]

D [12] Sed non oboedivit mihi populus meus,
Israël non obtemperavit mihi.
[13] Et sivi eos abire in obstinatione cordis sui:
ambulent pro arbitrio suo![h]

E [14] O si populus meus audiret me,
Israël in viis meis ambularet!
[15] Brevi inimicos eorum humiliarem
et super adversarios eorum iterum extenderem manum
[16] Qui oderunt Dñum, eis succumberent,[i] [meam.
essetque de illis actum in aeternum.[k]
[17] Cibarem eos de medulla tritici,
et ex petra melle te saturarem „.[l]

Argumentum. *Populum, medio mense festum solemne celebraturum, psaltes monet, ut illud cum digna mentis praeparatione celebret, ne Deo displiceat. Hoc ita praestat auctor, ut post cohortationem generalem ad festum laete obeundum ipsum Deum loquentem inducat ac monentem ea, quae Israëlitae multi obliti sunt vel neglexerunt. Itaque psaltes* A) *monet: laete festum instans celebremus, ab ipso Deo institutum,* B) *ut memoriale liberationis nostrae ex servitute aegyptiaca!* C) *tum Deum facit loquentem: Utique ego vos tum li-*

beravi, sed ego idem tum vobis legem dedi et rebelles probavi; audite me nunc iterum monentem: me solum adorate, mihi soli servite! D) *Deus, velut secum solus loquens, de populi infidelitate conqueritur,* E) *sed simul sincere omnium conversionem desiderans, eos denuo, repetitis priscis promissionibus, ad se allicit.* — (4, 2, 4, 2, 4 versus).

Nota. Festum, cui psaltes hoc carmen destinavit, nobis *pascha* esse videtur. Pascha enim institutum est quando Angelus Domini ad interimenda primogenita Aegyptiorum " egressus est contra terram Aegypti „ (v. 6); in pascha recolebatur liberatio e servitute aegyptiaca (v. 7; Ex. 12 et 13); hoc celebrabatur " in plenilunio „ (v. 4) magnoque cum iubilo. Nec quidquam huic sententiae in psalmo obstat. — Multi recentiores de festo tabernaculorum agi censent, quod agebatur " 15° die mensis septimi „ (Lv. 23, 34. Num. 29, 12), ergo item in plenilunio; et in v. 4 alludi aiunt ad huius mensis septimi kalendas seu neomeniam, eiusque diei " clangorem tubarum „ (Lv. 23, 24. Num. 29, 1); Targum hanc sententiam fulcit, v. 3 circumscribens; " clangite in mense Tišri cornu „. At enim festum tabernaculorum in memoriam revocabat potius commorationem Israëlitarum in tentoriis, quamdiu per desertum migrabant (Lv. 23,43), nec statim in egressu ex Aegypto institutum erat, sed postea, in deserto. Ac cum in primis versibus psalmi praeter tubas, immo ante tubas, aliorum instrumentorum mentio fiat, minime certum est hic agi de festis septimi mensis, praesertim cum maximum festum huiusce mensis, dies Expiationis (Ex. 23, 26. Lv. 29, 7), in psalmo nullo modo commemoretur.

Adnotanda. [a] *baḥódeš* verti potest 1) *in novilunio, in kalendis,* 2) *hoc mense* (cf, *haššaná* hoc anno, *hallàjla* hac nocte, *hajjôm* hoc die, hodie etc.). LXX, Syr. Hier. priorem versionem elegerunt, Targum alteram; Aq. Symm. (ἐν πάσῃ νεομηνίᾳ) psalmum ad quamvis neomeniam referre volunt. Qui de uno festo paschae in psalmo agi censet, optime interpretabitur *'hoc mense.'*

[b] *Israël, Iacob, Ioseph* in poësi biblica sunt synonymae appellationes populi electi (80, 2).

[c] I. e. quando Deus plagis terrae Aegypti inflictis liberationem Israëlitarum extorsit. LXX. Hier. hoc loco legunt: *cum* (Israël) *exiret de terra Aegypti.*

[d] Post diuturnam servitutem subito audiebamus inauditum eousque nuntium liberationis ex servitute.

[e] Sc. a cophino baiulando; cophinis enim humum, stipulam, lateres afferre debebant (Ex. 1, 14; 5, 6 ss.).

[f] In nube tonante, in Monte Sinai.

[g] Nonne v. 9, qui sonat ut sermonis exordium, ante v. 8. atque item, collato Ex. 20, 2 s., v. 11 ante v. 10 legendus est?

[h] *Ambulent* dicitur permissive, aut cum quadam ironia adhortative, ut nos obstinato dicere solemus: 'vade, quo tibi placet!' Alii malunt legere historice: " *ambulabant* etc. „ — " *In consiliis suis* „ (hebr.), sicut ipsis libet.

[i] Hebr. *mentirentur ei:* Hebraei eum 'mentiri' dicunt, qui quod promisit vel quod se facturum gloriatus est, dein prae infirmitate praestare nequit, qui alii succumbit et se victum esse declarare debet (18, 45); planta quoque sterilis 'mentitur' (Hab. 3, 17).

[k] Hebr. *essetque illorum tempus aeternum,* sc. gentilium: eorum tempus iudicii, punitionis, ruinae; hoc enim sensu in Scriptura 'alicuius tempus' dici solet (Ier. 27, 7. Ez. 22, 3; 30, 3 " tempus gentium „). Libere verti posset:

" et actum esset de illis in perpetuum „. Sunt qui interpretentur: Israëlitarum beatum tempus foret aeternum.

[1] TM. *cibaret — saturarem.*

Ps. 82 (Vg. 81). Dei de iniustis principibus iudicium.

[1] PSALMUS. ASAPHI.

A Déus adstat in concilio divino, [a]
in medio deorum iudicat.

B [2] " Quousque ius dicetis improbe, [b]
et impiis inique favebitis? SELA.
[3] Ius suum tribuite * pupillo et inopi,
miserum et egenum iuste tractate.
[4] Liberate inopem et pauperem,
de manu impiorum eum eripite „.

C [5] " Non sciunt nec intellegunt, in tenebris ambulant:
labefactantur omnia fundamenta terrae. [c]
[6] Equidem dixi: dii estis
et filii Altissimi vos omnes.
[7] Verumtamen sicut *ceteri* homines moriemini,
et sicut unus de principibus cadetis „.[d]

D [8] Eia surge, Déus! guberna terram!
nam tu possideas oportet omnes gentes.

Argumentum. A) *Deus poëtice fingitur sollemne iudicium habere de " diis „, i. e. de suis in terra velut vicariis, principibus, iudicibus, magistratibus.* B) *Cur, inquit, non observatis normas iustitiae?* C) *Obstinatis poena indicitur.* D) *Invocatur Deus ac rogatur, ut ipse omnes gentes gubernet.* — (1, 3, 3, 1 versus).

Adnotanda. [a] Deus (*Elohîm*) iudex et dii (*ĕlohîm*, Dei in terra vicarii, principes, magistratus, iudices; cfr. Ex. 21, 6; 22, 7) a Deo iudicandi congregati exhibentur. Hic coetus a dignitate Dei habet attributum concilium divinum.

[b] V. 2–7 sunt oratio Dei.

[c] Iustitia violata vel neglecta, labefactatur ordo socialis generis humani.

[d] Mors eis ut poena indici videtur; ergo, quia debet esse poena, forsan mors tragica, praematura, violenta. *" Sicut unus de principibus „*: omni aetate

aliqui principes mortem tristem, violentam, obierunt ; talem mortem permittet vel immittet Deus principibus iniustis. (Sunt qui vertere malint : *et una* [*k.'eḥád*], i. e. nullo excepto, *vos o principes* [*haśśarîm*, vocativus !], *cadetis*. — S. Hieronymus vertit " *quasi Adam moriemini* „ : Adamo mors fuit poena divinitus inflicta.

Ps. 83 (Vg. 82). Contra hostes confoederatos oratio.

1 CANTICUM. PSALMUS. ASAPHI.

A 2 Déus, ne sit tibi tranquillitas !
ne sileas neve quiescas, fortis Deus !
3 Ecce enim inimici tui fremunt,
et osores tui efferunt caput.
4 Contra populum tuum callidum faciunt consilium,
et consultant contra clientes tuos,[a] 5 *et* iam dicunt :
" Venite exstirpemus eos e *numero* gentium, [b]
ut non memoretur nomen Israél amplius „.

B 6 Deliberaverunt enim concorditer,
contra te foedus pangentes.
7 Contubernia Edomitarum et Ismaëlitarum,
Moabitae et Hagareni,
8 Gebaleni, Ammonitae et Amalekitae,
Philisthaei cum incolis Tyri ;
9 Assyrii quoque adhaeserunt illis,
facti sunt adiutores [c] filiis Lót. SELA.

C 10 Fac illis idem quod Madian*itis*,
quod Sisarae, quod Iabìn in valle torrentis Cisón :
11 *Qui* interempti sunt apud En-Dor,
in campo iacuerunt velut stercora.
12 Redde eorum principes similes Orèb et Zeèb,
et similes Zèbee et Salmanà omnes tribunos eorum : [d]
13 Quippe qui dixerunt :
" occupemus nobis habitacula Déi ! „

* * *

D 14 Mi Deus, fac eos ut glomus turbine rotatum, [e]
similes stipulae ante faciem venti.

15 Quemadmodum ignis, qui succendit silvam,
et sicut flamma, quae exurit montes,
16 Sic eos persequere tempestate tua,
et procella tua eos perturba.

17 Imple facies eorum ignominia,
ut quaerant nomen tuum, Dñe.
18 Confundantur et perturbentur usque in sempiternum,
et erubescant et pereant.
19 Et cognoscant quod tuum nomen est Dñus, [f]
solus es altissimus [g] super omnem terram.

Argumentum. *Probabiliter agitur de eadem gentium vicinarum contra Israëlitas coniuratione, quam iam in psalmis 46–48 vidimus et quae 2 Chr. cap. 20 narratur; in qua confoederatione hostili primas partes agebant "Moabitae et Ammonitae„ (2 Chr. 20, 1), "filii Lot„ (v. 9 psalmi; cf. Dt. 2, 9. 19. Gn. 19, 37 s.). Forsan ipse Iahaziel, "levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbae„ (2 Chr. 20, 14), hoc carmen composuerit (v. 1 psalmi). Precatur igitur*: A) *Deus, succurre nobis, quos hostes perdere volunt;* B) *magnus numerus gentium ad nos perimendos foedus iniit;* C) *perde eos, ut olim perdidisti tempore Iudicum hostes populi nostri;* — D) *persequere ac conturba eos! confunde eos, ut cognoscant, te solum esse Deum!* — (4, 4, 4 versus, cum epodio 3, 3 versuum).

Adnotanda. [a] Ad litteram: *a te tectos* vel *a te absconditos.*

[b] Hebr. *ex gente* = ne sint amplius gens.

[c] Hebr. *facti sunt brachium.*

[d] De sorte horum omnium cfr. Iudic. cc. 4–8. De Madianitis cf. Iudic. 7 et 8, de Sisara, duce exercitus Iabin, regis Chanaan ib. c. 4 et 5, de torrente Cison 5, 21, in cuius vallis planitie est En-Dor; de Oreb et Zeeb, Madianitarum principibus v. Iudic. 7, 25, de Zebee et Salmana, eorundem regibus ib. 8, 12–21.

[e] *galgàl:* intellege pulveris ac paleae massam forti vento in gyrum agitatam.

[f] Confer illud apud prophetas frequens: 'et cognoscent quod ego sum Iahve' vel (Ier. 16, 21) '... quod nomen meum est Iahve'; i. e. cognoscent me esse populi mei electi tutorem, seu me esse fidelem in exsequendis iis quae pollicitus aut minatus sum.

[g] Summus princeps, rex regum et dominus dominantium.

Ps. 84 (Vg. 83). Desiderium templi.

1 CHORI MAGISTRO. SUPER GETHAEAM. FILIORUM CORE. PSALMUS.
A 2 Quam amabilia sunt tabernacula tua,
Dñe Sabaoth!

[3] Cupit ac desiderat anima mea atria Dñi,
cor meum et caro mea iubilant ad Déum vivum,
[4d] * regem ac Deum meum.[a]
[4] Vel passer ibi invenit domum
et hirundo nidum sibi, ubi ponit pullos suos,
apud altaria tua, Dñe Sabaoth. [*]
[5] O beatos incolas domus tuae, Dñe,
qui perpetuo te laudare possunt ! SELA.

B [6] Beatus homo, cui est robur per te,
ii qui *sacra* itinera in animo habent ![b]
[7] Peragrantes Vallem fletus,[c] fontem eam faciunt,
eam etiam benedictionibus vestit tempestiva pluvia.
[8] Procedunt in dies magis vegeti,[d]
apparent apud Deum in Sion.
[9] Dñe, Deus Sabaoth, o audi orationem meam,
ausculta, Deus Iacób. SELA.

C [10] Defensorem nostrum aspice, Deus
et respice faciem Uncti tui.[e]
[11] Profecto melior est dies unus in atriis tuis quam mille ***alibi***,
malo ad limen stare in domo Dei mei, quam morari
in tabernaculis impietatis.[f]
[12] Sol enim et scutum[g] est Dñus Deus,
gratiam et gloriam donat Dñus,
non abnuit bona ambulantibus innocenter.
[13] Dñe Sabaoth,
beatus homo qui sperat in te.

Argumentum. *Psaltes, desiderio templi visendi impulsus, orat:* A) *Desiderio teneor templi: beati qui illic semper prope Deum habitant!* B) *beati ilquoque qui illuc ad festa ascendere possunt!* C) *respiciat me Deus benigne et pium desiderium meum impleat!* — (4, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Verba *malkî welohâj* (in textu vulgato vocative *rex meus et Deus meus*!) propter metricam potissimum rationem transferenda videntur.

[b] *m.sillôt* 'semitae' (vel, ut quidam legendum coniectant, *ma'ălôt* 'ascensiones') hic de peregrinationibus ad templum in tribus festis explicari solet.

[c] Pia peregrinantium hilaritas efficit ut iis tristis vallis fons aquae videatur. Nomen vallis veteres "*vallem fletus*„ interpretati sunt, recentiores multi "*vallem sycomororum*„. — Pro *b.rakôt* 'benedictiones' sunt qui legere malint *b.rekôt* 'aquae lacus' et explicare: Deus per opportunas pluvias iumentis peregrinantium parat lacus aquosos.

[d] Ad litteram : *procedunt de robore ad robur ;* in dies se robustiores sentiunt.

[e] Precatio fit pro rege, qui (ut 47, 10 ; 89, 19) *magén* 'protector, scutum' appellatur ; LXX–Vg. vocem ad Deum referunt : *protector noster, aspice, Deus !*

[f] Ex his verbis aliqui inferunt, auctorem psalmi procul ab urbe sacra, fortasse inter gentiles, habitare. Porro ex 10 s. putant elucere, ipsum quoque regem ab urbe adeunda arceri (v. gr. Davidem in fuga).

[g] Deus est *sol* illuminans, *scutum* protegens.

Ps. 85 (Vg. 84). Pro plena salute oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. FILIORUM CORE. PSALMUS.

A [2] Benevolus fuisti, Dñe, terrae tuae,
in melius convertisti sortem Iacób.
[3] Remisisti delictum populi tui,
operuisti totum peccatum eorum. SELA.
[4] Retraxisti totam indignationem tuam,
imminuisti fervorem irae tuae. [a]
[5] Restaura nos, Deus Salvator noster,
et depone tuam adversus nos indignationem.
[6] Num in aeternum irasci vis nobis,
trahere iram tuam a generatione in generationem ?
[7] Nonne tu iterum nos reviviscere sines,
et populus tuus laetari poterit in te ?
[8] Fac experiamur, Dñe, pietatem tuam,
et salutem tuam dona nobis.

B [9] Audiam, quid loquatur Deus Dñus !
profecto loquitur pacem,
Pacem, pro populo suo et devotis sibi,
et pro revertentibus * ad se, fiduciam. [b]
[10] Omnino propinqua est timentibus eum salus eius,
habitatura est gloria in terra nostra.
[11] Iam pietas et fides sibi invicem occurrunt,
iam iustitia et pax inter se osculantur.
[12] Fidelitas ex terra germinat,
et iustitia caelitus emicat.
[13] Utique Dñus dabit *omne* bonum,
et terra nostra dabit proventum suum.
[14] Iustitia ante Eum incedet, [c]
et animadvertet [d] ad viam gressuum Eius.

Argumentum. A) *Deus — ita plerique recentes explicant —, per decretum Cyri reducens populum ex exsilio, illi benevole pepercit et iram suam mitigavit; sed, cum plena pax et felicitas nondum redierit, a Deo perfecta liberatio instanter flagitatur.* B) *Certam spem precis exaudiendae psaltes in forma oraculi divini enuntiat, ac beatam aeram optatae felicitatis paucis describit.* — (7, 7 versus).

Alii psalmum ad tempus Roboam regis referunt, sub quo populus pro lege Dei violata Aegyptiorum incursionibus expositus, sed deinde, cum se humiliasset, rursus a Deo ex parte liberatus sit (cf. 2 Par. 12, 1–12); in hac rerum condicione pleniorem populi liberationem peti et sperari.

Adnotanda. [a] Perfecta versuum 2–4 (*benevolus fuisti, convertisti* etc.) ab aliis ad inceptam modo populi liberationem referuntur, velutsi dicatur: 'Incepisti favere terrae, mitigare iram etc.; nunc plenam pacem nobis concede'; ab aliis perfecta ad vetera historiae exempla misericordiae divinae referuntur: 'olim, uti audivimus, populo tuo pepercisti; item nunc parce nobis.'

[b] Ultimus stichus v. 9 iam antiquitus et etiamnum varie legitur et explicatur. LXX: *et* loquitur pacem *ad eos qui convertunt ad eum cor* (legebant *eljašību lô léb.* SELA.); Syrus: *ut non se vertant retro*; Hieronymus: *ut non convertantur ad stultitiam*; recentiores nonnulli: *ad eos qui revertuntur ad fiduciam* (ex alia significatione nominis *kisláh*), vel *et ad eos qui revertuntur ad Eum, [loquitur Deus] fiduciam*, i. e. eos hortatur ad fiduciam. Ex his versionibus ultimam supra in textu posuimus.

[c] Iustitia ante Deum incedere a psalte poëtice fingitur, sicut minister vel satelles regem praecedit, unumquemque eius gressum et nutum observans.

[d] Cum unius litterae mutatione nonnulli legunt: *et Salus (jèša')* incedit *in via gressuum eius*, ut Dei-Regis pedisequa.

Ps. 86 (Vg. 85). Pii servi Dei oratio.

[1] ORATIO. DAVIDIS.

A Inclina, Dñe, aurem tuam,
exaudi me, nam miser et pauper sum.
[2] O custodi animam meam, quia pius [a] sum,
salva servum tuum, mi Deus, sperantem in te.

B [3] Miserere mei, Domine:
nam ad te clamo assidue.
[4] Laetifica animam servi tui,
nam ad te, Domine, animam meam elevo.
[5] Tu enim, Domine, es benignus et indulgens.
et multae pietatis erga omnes invocantes te.

C [6] O ausculta, Dñe, orationem meam,
et attende ad vocem precum mearum.
[7] Quo die in periculo sum,
invoco te, *confidens* quod exaudies me.

D [8] Non est tibi par in diis, Domine,
et nihil est quod aequet opera tua.
[9] Omnes gentes, quas fecisti,
veniant et prosternant se coram te, Domine,
et honorent nomen tuum:
[10] " Profecto magnus es et facis mirabilia,
tu es Deus solus „.
[11] Instrue me, Dñe, de via tua, ut ambulem in veritate tua,
ad hoc unum dirige cor meum, ut revereatur nomen
[tuum.

E [12] *Fac* gratias tibi agere possim, Domine, mi Deus, toto corde
et glorificare nomen tuum in aeternum, [meo,
[13] Quod pietas tua magna sit erga me
et eripueris animam meam ex Orco inferno.

F [14] Deus, superbi insurrexerunt contra me,
et turba crudelium quaesierunt animam meam,
et *qui* non posuerunt te coram se. [b]
[15] Sed tu, Dñe, es Deus misericors et clemens,
longanimis multaeque pietatis et fidelitatis.
[16] Respice ad me et miserere mei:
o da robur * servo tuo,
et salva filium ancillae tuae. [c]

G [17] Fac mecum signum in bonum,
ut videant osores mei cum pudore,
Quod tu es Dñus,
mihi auxiliatus ac me consolatus.

Argumentum. A) *Audi me miserum, Deus, in te sperantem*; B) *invoco te Deum tam misericordem*; C) *attende ad fiducialem precem meam in meo periculo*; D) *Deus, qui solus potes miracula patrare, dirige me in viam rectam et ad perfectum timorem tuum*; E) *fac ut salvatus tibi gratias agere possim*; F) *infestant enim me potentes inimici*; G) *salva me ita ut vel inimici cum pudore agnoscere debeant me esse salvatum a te.* — (2, 3, 2, 4, 2, 3, 2 versus).

Adnotanda. [a] *ḥèsed* 'pietas' eum pie sentiendi agendique modum indicat, qui inter propinquos, amicos, mutuo amore coniunctos observatur, item inter Deum et homines; pro vario contextu amorem, clementiam, misericordiam, beneficentiam etc. denotat; item *ḥasîd* 'pius' est is qui Deum pie amat ab eoque pie amatur, prout unum vel alterum praevalet, verti potest 'pius' vel '[Deo] carus.'

[b] Immemores Dei, impii.

[c] *Filius ancillae* est ad nomen 'servus' synonymum poëticum, idque aptissimum: uti enim filius ancillae origine et lege est servus heri, ita Israëlita, utpote plebis Deo consecratae filius, ipsa origine est servus Dei.

Ps. 87 (Vg. 86). Sion messiana, metropolis omnium gentium.

[1] ⁄ FILIORUM CORE. PSALMUS. CANTICUM.

A Fundationem suam [a] in montibus sanctis [2] diligit Dñus,
portas [b] Sión super omnia habitacula Iacób.
[3] Gloriosa praedicuntur de te,
civitas Dei. SELA.

B [4] "Accensebo Rahab [c] et Babel cognoscentibus Me,
ecce Philisthaea et Tyrus et populus Aethiopum,
hic natus est ibi. [d]
[5] Et de Sion dicetur: viritim omnes nati sunt in ea, [e]
et ipse eam firmabit Altissimus „.

C [6] Dñus inscribet in libro populorum:
" hic natus est ibi „. [f] SELA.
[7] Et cantabunt velut laete tripudiantes:
" omnes fontes mei [g] sunt in te „.

Argumentum. A) *Deus fundatam a se Sion diligit, et gloriosa in futurum ei pollicetur:* B) *nempe fore ut omnes gentes unum verum Deum cognoscant et sint Sionis futurae cives;* C) *unus enim populus post alterum a Deo catalogo civium Sionis inscribetur, et omnes in hac civitate sua habebunt fontem omnium bonorum.* — (2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] I. e. fundatam a se civitatem.

[b] *Portae* i. q. urbs.

[c] *Rahab* (tumultus, superbia) est nomen symbolicum Aegypti; cf. Is. 30, 7; 51, 9. Ps. 89, 11.

[d] *Natus est:* ius civitatis acquiritur non solum externa aggregatione, sed nascendo, renascendo.

[e] Hebr. *vir et vir natus est in ea.*

[f] Deus poëtice fingitur in decursu saeculorum omnes ex ordine populos ca-

talogo civium Sionis inscribere et inscribens laetus dicere: " *hic* (Graecus, Romanns, Syrus, Germanus, Britannus, etc.) *natus est ibi!* Quam grandis idea!

g Fontes lucis, gaudii, pacis, spei, denique *omnes fontes* quorumvis bonorum habemus in te, o Sion, o sancta Christi ecclesia!

Ps 88 (Vg. 87). Viri gravissime afflicti oratio.

1 [*] CHORI MAGISTRO. 'AL-MAHALATH. AD CANENDUM.
MASKIL. HEMAN EZRAHITAE.

A 2 Dñe, * mi Deus, opem tuam imploravi per diem,
clamavi per noctem coram te. [a]
3 Perveniat ad conspectum tuum oratio mea,
inclina aurem tuam ad lamentum meum.
4 Nam saturata est malis anima mea,
et vita mea inferno appropinquavit.
5 Iam accenseor descendentibus in foveam,
factus sum ut vir carens auxilio,
6 apud mortuos demum liber. [b]
Par sum occisis iacentibus in sepulcro,
quorum non recordaris amplius,
quique de manu tua abscissi sunt.
7 Iam collocas me in fovea inferorum,
in caligine, in profundis.

B 8 Deprimit me indignatio tua,
et omnes aestus tuos * irruere sinis super me. SELA.
9 Removisti notos meos a me,
fecisti me illis abominabilem,
inclusum, exeundi incapacem.
10 Oculus meus tabescit prae miseria,
invoco te, Dñe, cotidie,
expando versus te manus meas.

C 11 Num mortuis facis miracula,
aut defuncti surgunt te laudaturi? SELA.
12 Num narratur in sepulcro de pietate tua,
de benignitate tua in interitu? [c]
13 Num se manifestat in tenebris mirabilis operatio tua,
et beneficentia tua in terra oblivionis?

D [14] Ego igitur ad te, Dñe, ut opem feras clamo,
et mane oratio mea te praevenit:
[15] Quare, Dñe, spernis animam meam,
abscondis faciem tuam a me?
[16] Miser sum et morituriens, iam inde a pueritia,
pertuli terrores tuos et * elangui. [d]
[17] Super me transierunt irae tuae,
terrores tui me oppresserunt.
[18] Circumfluxerunt me velut aquae,
assidue circumvenerunt me una.
[19] Removisti a me amicum et sodalem:
familiarium meorum vices agit — caligo. [e]

Argumentum. *Auctor huius psalmi, nobis ignotus, ad sancti Iob instar multis gravibusque nunc, et iam antea inde a pueritia, malis afflictus, lamentans et precans misericordiam divinam implorat:* A) *Audi me, Deus: in maxima enim versor miseria; videor mihi velut iam mortuus esse et a te derelictus.* B) *Afflictus igitur a te, a meisque desertus, te invoco.* C) *A mortuo laudari et glorificari non poteris.* D) *Cur igitur me non liberas, et quamdiu vivo, semper in eadem afflictione, miseria, solitudine iacere sinis?* — (6, 3, 3, 6 versus).

Adnotanda. [a] Versio TM[i] est *Dñe, Deus salutis meae, in die clamavi, in nocte coram te.* Unius litterulae Iod (per dittographiam, ut supponitur, duplicatae) omissione obtinetur, sensu eodem manente, forma sententiarum concinnior, parallelismus melior; hunc textum correctum versio nostra exhibet.

[b] *ḥofšî* est 'libertus, manumissus' ex servitute (Ex. 21, 2. Iob 3, 19 al.) vel e miseria (Is. 58, 6); noster hic Iob queritur, se apud inferos demum, post mortem, a miseriis quibus nunc affligatur liberatum iri, intellige igitur "*apud mortuos demum liber futurus*". (Patres, hunc psalmum ad Christum patientem applicantes, haec vocabula "*inter mortuos liber*" alio ac laetiore sensu explicare potuerunt).

[c] Cfr. ad 6, 6. *Interitus* (hebr. *ăbaddôn*) hic, ut ex membrorum parallelismo elucet, est orcus, domicilium defunctorum, ut Prv. 15, 11; Iob. 26, 6.

[d] Pro *afûna*, de cuius radicis existentia et vi non constat, cum nonnullis recentibus legere malumus *wa'afûga* 'et elangui.'

[e] Huic misero, incluso, ab omnibus deserto, amicorum vices agit *caligo* (*maḥšák*) vel secundum alios codices *coërcitio*, *seclusio*, *solitudo* (*maḥšak*).

Ps. 89 (Vg. 88). Impleat Deus quae Davidi promisit.

[1] MASKIL. ETHAN EZRAHITAE.

A [2] Gratias tuas, Dñe, aeternum velim cantare,
omni aetati praedicare fidelitatem tuam ore meo.

3 * Dixisti enim: " aeterna aera gratiae aedificabitur „, [a]
in caelis confirmans fidelitatem tuam: [b]
4 " pango foedus meum cum electo meo,
iuro Davìd, servo meo:
5 Usque in aeternum stabiliam semen tuum,
et aedificabo in generationem et generationem thronum
tuum „. SELA.
6 Celebrent igitur caeli mirabile opus tuum, Dñe, [c]
ac fidelitatem tuam in concilio Sanctorum. [d]
7 Nam quis in aethere par est Dño, [e]
aequalis Dño inter filios Dei?
8 Deus est terribilis in coetu Sanctorum,
* grandis et venerabilis prae omnibus circa eum.
9 Dñe, Deus Sabaoth, quis tibi est par,
praepotens Dñe, quando fidelitas tua te circum*splendet*?

B 10 Tu dominaris superbiae maris,
cum saeviunt undae eius, tu eas compescis.
11 Tu contrivisti, ut caesum hostem, Rahab, [f]
brachio tuo valido dispersisti inimicos tuos.
12 Tuum est caelum, ac tua terra,
orbem terrae et quae eum implent tu fundasti.
13 Boream et Austrum tu creasti,
Thabor et Hermon in nomine tuo exsultant. [g]
14 Tibi est brachium cum potentia:
fortiter agit manus tua,
alte se erigit dextera tua.
15 Ius et fas sunt basis throni tui,
pietas et clementia incedunt coram te. [h]
16 Beatus populus qui scit iubilare, Dñe,
beati qui serenitate vultus tui fruuntur,
17 De nomine tuo exsultant assidue
et de iustitia tua iubilant:
18 Profecto decus roboris * nostri es tu,
et benevolentiâ tuâ alte crescit cornu nostrum. [i]
19 Nam Dñi est defensor noster,
et Sancti Israél rex noster „. [k]

C 20 Quondam locutus es in visione
et dixisti caris tuis: [l]

" Posui adiutorium super potentem,
exaltavi iuvenem ex populo. [m]
21 Inveni David servum meum
oleo sancto meo unxi eum :
22 Cum ipso manus mea perseverabit,
ipsum brachium meum confortabit.
23 Non decipiet inimicus illum,
nec filius iniquitatis eum opprimet.
24 Sed conteram a facie eius adversarios eius,
et osores eius contundam.
25 Et fidelitas ac pietas mea cum eo *erit*,
et per nomen meum [n] altum fiet cornu eius. [o]
26 Et faciam *ut dominetur* in mari manus eius
et in fluviis dextera eius. [p]
27 Ipse me appellabit " pater meus es tu,
Deus meus et petra salutis meae „,
28 Atque ego eum Primogenitum constituam,
celsissimum regum terrae. [q]

D 29 In aeternum servabo ei pietatem meam,
et foedus meum fidum ei *erit*,
30 Et faciam aeternam posteritatem eius
et thronum eius *perennem* ut dies caeli.
31 Si deserent filii eius legem meam
et in praeceptis meis non ambulabunt,
32 Si statuta mea violabunt
et mandata mea non custodient :
33 Puniam virgâ delictum eorum
et plagis scelus eorum ;
34 Sed pietatem meam non subtraham ei, [r]
nec fallam fidem meam.
35 Non violabo foedus meum,
et effatum oris mei non mutabo.
36 Unum iuravi per sanctitatem meam :
nunquam Davidi fidem fallam.
37 Semen eius in aeternum erit,
et thronus eius, quamdiu sol, coram me.
38 Quamdiu luna, perseverabit in aeternum ;
et testis in caelo fidelis est „. [s] SELA.

E [39] * Nunc vero proiecisti et reppulisti,
succensuisti uncto tuo.
[40] Irritasti foedus *tuum cum* servo tuo,
ad terram proiecisti diadema eus.
[41] Destruxisti omnes macerias eius,
fecisti castella eius terroris plena.
[42] Spoliaverunt eum omnes transeuntes per viam
fuit ludibrio vicinis suis.
[43] Exaltasti dexteram adversariorum eius,
gaudio affecisti inimicos eius.
[44] Rettudisti aciem gladii eius,
nec subsistere eum sivisti in bello.
[45] Imminuisti splendorem eius, [t]
et thronum eius in terram deiecisti.
[46] Abbreviasti dies iuvenilis vigoris eius,
cooperuisti eum ignominia. SELA.

* *

F [47] Quousque, Dñe, te abscondes perpetuo.
ardebit sicut ignis indignatio tua.
[48] Memento, * quaeso, quid sit vitae spatium,
ad quid vanitatis creaveris omnes filios hominum.
[49] Quis est vir qui vivat nec videat mortem,
qui eripiat animam suam ex manu inferni? SELA.

[50] Ubi sunt gratiae tuae priores, Domine,
quas iurasti Davidi in fidelitate tua?
[51] Memento, Domine, ignominiae * servi tui,
quomodo portem in sinu meo * contumeliam multorum [populorum,
[52] Qua affecerunt inimici tui, Dñe.
qua affecerunt vestigia [u] Uncti tui.

* * *

[53] BENEDICTUS DNUS IN AETERNUM. AMEN. AMEN. [v]

Argumentum. A) *Deus cum David eiusque domo foedus gratiae aeternum pepigit;* B) *quam potens ac iustus est Deus qui hoc foedus iniit!* C) *perpenduntur promissiones huius pacti,* D) *eiusque inviolabilitas aeterna;* E) *cum hac vero quomodo conciliari possunt rei publicae infortunia praesentia?* F) *ideo instanter petitur, ut Deus his malis finem imponat.* — (8, 10, 10, 10, 8 — 3, 3 versus).

Adnotanda. a *'ôlam ḥèsed* interpretari velim *" aeterna aera gratiae „*. Etenim 1) grammatica hoc permittit ; 2) hoc est conveniens nomen huius periodi throni David aeterni tam gratiose promissi (Cfr. Notam in Crisi textus); 3) ita, ni fallor, S. Hieronymus verba intellexit, vertens: *" sempiterna misericordia* aedificabitur ; 4) item Syrus, Targum, versio armenica supponunt *'ôlām* esse subiectum verbi *aedificabitur* (interpretantur, ' mundus in misericordia aedificabitur '). — Verbum *aedificabitur* elegit psalmista, quia in ipso illo gratioso vaticinio hoc verbum cum emphasi usuvenerat (cfr. 1 Par. 17, 10. 2 Sam. 7, 27).

b Ad litteram: *" caeli — firmabas fidelitatem tuam in eis „ ;* vox *caeli* emphatice in principio ponitur. Alia cf. in Crisi textus. Deus *firmabat*, i. e. firmiter obligabat fidelitatem suam ad facienda promissa; quae statim ipsissimis Dei verbis memorantur.

c Optat palmista, ut caelites Deum pro tam mirabili pietate laudent, necnon pro fideli promissorum impletione laudare possint.

d *Sancti:* caelestis curia, angeli. Item in v. 7 *filii Dei.*

e Sequitur thema et breve summarium hymni caelestis.

f Divisio maris a terra arida (Gen. 1, 9) in poësi biblica nonnunquam, sumptis imaginibus ex mythologia orientali, describitur ut pugna Dei cum belua Rahab vel hostibus: Ps. 74, 13. Is. 51, 9. Iob 26, 12.

g Hi montes alti ac praecelebres se a te esse creatos, et se prae aliis saepe vocari *harrè-Él* (montes Dei), gloriantur. Post commemoratum Septentrionem et Meridiem, Hermon probabiliter ut mons regionis transiordanicae (orientalis), Thabor ut cisiordanicae (occidentalis) profertur.

h Sunt praecursores huius regis.

i *cornu nostrum:* cornu excelsum animali est et decorum, et ad se defendendum perutile ; inde poëtae hebraei *cornu* accipiunt pro imagine potentiae ac gloriae, sive regum sive populorum. — Quia *qèren* nonnunquam de hominis *fronte* dicitur, nonnullis videtur verti posse: ' se [laete] erigit *frons nostra' ;* item in v. 25: *frons eius.*

k Ut in v. 12. verbis *" tuum est caelum, ac tua terra „* asseritur, Deum esse universi mundi dominum, cuius nutu in caelo et terra omnia dirigantur, — ita hic verbis *" Dñi est defensor noster* etc. „ innuitur, regem quoque theocratiae totum esse in manu Dei, a Deo pendere ab eoque dari regis regnique prosperitatem, victoriam, gloriam. Vox *magén* (scutum) in parallelismo cum *mèlek* principem denotat uti populi tutorem ac defensorem (cf. 47, 10; 84, 10). Sunt qui verti posse censeant: *" nam Dñus est defensor noster, et Sanctus Israél rex noster „* ; videlicet praefixum *lĕ* aequipollere posse dicunt particulae Arabum asseverativae *la* ' enimvero, profecto.' Iam Syrus hunc sensum supponit.

l Quoniam vv. 20-38 non sunt nisi poëtica amplificatio verborum quae Deus 2 Sam. 7, 8–16 Nathan prophetae in visione (v. 4. 17) dixit ac regi David nuntiari iussit, atque ex altera parte lectio plur. (*caris tuis*) est critice certa (omnes veterum versiones, plerique codd.), illud *locutus es caris tuis* videtur explicandum vel: ' locutus es Nathan prophetae et (per eum) Davidi regi,' vel etiam, quia promissiones vaticinii dantur Davidi eiusque semini, ' locutus (pollicitus) es caris tuis, Davidi eiusque semini.'

m *baḥûr* in parallelismo cum *gibbôr* ' fortis vir,' videtur interpretandum ' strenuus iuvenis ' (non ' electus ').

n *nomen*, numen, praesens auxilium divinum.

o Cfr. notam *i*.

p Amplissimum in orbe terrarum imperium promittitur; cf. 72, 8.

q Ut populus Israël electus est ut sit (dignitate coram Deo) " *excelsior cunctis gentibus* „ (Dt. 28, 1), ita inter principes, inter " *filios Altissimi* „ (Ps. 82, 6), rex ex domo David est dignitate primus, *Primogenitus*.

r *ei*: Davidi, cui hae promissiones primario dantur (cf. 2 Sam. 7, 15).

s *et testis in caelo fidelis:* haec TM et versionum veterum verba sonant ut sollemnis iuramenti divini clausula. Deus est huius promissionis, nempe per Nathan prophetam Davidi in terra communicatae, testis caelestis (cf. Ier. 42, 5; Iob 16, 19), qui exsecutionem urgebit. — Quia vero non deest ratio dubitandi, num Deus suorum ipsius verborum *testis* appellari possit, et quia hic versus ita intellectus eo parallelismo idearum caret, quem exspectamus, sunt qui vel lunam, vel (collato Gen. 9, 12 ss.) iridem in nubibus, designari censeant nomine *testis in caelo fidelis*, vel textum corruptum esse asserant. Cfr. Crisin textus.

t Hebr. *cessare fecisti (aliquid) de splendore eius*. Cfr. adhuc Crisin textus.

u *vestigia Uncti tui* = Unctum tuum, ubicunque degit: ubique eum his opprobriis persequuntur; cfr. 17, 11.

v Doxologia finalis tertii libri psaltorum.

* LIBER QUARTUS (Ps. 90–106).

Ps. 90 (Vg. 89). Moses, nomine populi in deserto emorientis, misericordiam Dei implorat.

[1] ORATIO. MOSIS, VIRI DEI.

A Domine, refugium es tu,
id fuisti nobis omni aetate.[a]
[2] Priusquam montes nascerentur
et parturiretur terra et orbis,
et ab aeterno usque in aeternum tu es.[b]
[3] * Noli remittere *nos* homunculos in pulverem
et dicere: " revertimini, filii Adám! „
[4] Nam millennium est in oculis tuis tamquam dies hesternus:
praeterit enim et *sequitur* vigilia nocturna.
[5] Abrumpis illos — obdormiscunt:
mane *aliquis* ut gramen virescit,
[6] Mane floret et viret,
ad vesperum marescit et aret.

B [7] Etenim consumpti sumus ira tua
et indignatione tua conturbati.
[8] Posuisti delicta nostra coram te,
secreta peccata nostra in luce faciei tuae.
[9] Omnes enim dies nostri effluxerunt sub iracundia tua,
finivimus annos nostros suspirii instar.[c]
[10] Dies annorum nostrorum continent septuaginta annos,
et, si cum robore, octoginta annos.
Et horum superba gloria est labor et aerumma,
nam effluxit velocissime et avolavimus.
[11] Quis recte perpendit severitatem irae tuae,
et indignationem tuam, ut decet timentes te?[d]

C [12] Numerare[e] dies nostros ita doce,
ut acquiramus cor sapiens![f]
[13] O revertere, Dñe, tandem aliquando!
et repropitiare servis tuis!
[14] Satia nos mox pietate tua,
ut iubilemus et laetemur omnibus diebus nostris.

15 Laetifica nos, pro diebus quibus nos afflixisti,
pro annis quibus vidimus mala.
16 Appareat super servos tuos opus tuum
et gloria tua super filios eorum.
17 Et sit suavitas Dñi Dei nostri super nos,
et opus manuum nostrarum dirige * [super nos,
et opus manuum nostrarum dirige].

Argumentum. *Pro enormi peccato Israëlitarum in terram promissam transmigrantium Deus hanc iis poenam inflixerat, ut toti illi generationi in deserto moriendum esset (Num. 14, 21 ss.). Iam magna eorum parte mortua, Moses, suorum sortem commiserans eorumque nomine loquens, hoc psalmo Deum ad misericordiam flectere conatur, ut poena superstitum remittatur vel mitigetur. Quare* A) *Deum semper esse et fuisse populi sui refugium professus, ut Eum ad clementiam moveat, Dei aeternitatem cum brevi vita mortalium comparat (ut alius psaltes 102, 25 ss.);* B) *tristis lamentatur, etiam hanc brevem vitam populo transigendam fuisse sub ira Dei in aerumnis multis et adhuc timendam esse iram divinam;* C) *precatur Deum, ut suis concedat gratiam, breve vitae spatium sapienter transigendi et experiendi clementiam Dei placati.* — (6, 6, 6 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *in generatione et generatione.* — Eo modo, quem in versione indicavimus, v. 1 in duos stichos divisus est in cod. hebr., cuius textum exhibet Kahle, Masoreten des Ostens, p. 54.

[b] Cfr. Crisin textus. Altera lectio (TM. Syr. Hier.) est: *in aeternum tu es Deus. Reducis homunculos in pulverem et dicis etc.*

[c] Brevitas et vanitas vitae effertur.

[d] Hebr. *secundum timorem tuum.* Quotus quisque, fide et timore tuo recte instructus, satis aestimat et timet severitatem iustitiae tuae?

[e] *Numerare dies nostros* probabiliter significat: dies vitae, unum post alterum, prudenter et cum attentione transigere; vel: considerare quam pauci sint.

[f] Hebr. *ut inferamus*, velut fruges in horrea, *cor sapientiae.*

Ps. 91 (Vg. 90). Iustorum sub Dei tutela securitas.

A 1 Qui habitas in tegmine Altissimi
*et in umbram Omnipotentis te recipis,
2 * Dic Dño: [a] " refugium ac munimen meum,
Deus meus, in quem spero! „
3 Nam ipse te eripiet ex reti aucupis,
ab eventu [b] funesto.

B 4 Alâ suâ conteget te
et sub pennis eius suffugium habebis,
scutum et lorica est fides eius.

[5] Non *est cur* timeas terrorem noctis,
sagittam advolantem inter diu,
[6] Pestem in caligine grassantem,
luem vastantem meridie.
[7] Cadant a latere tuo mille
et decem milia a dextris tuis,
ad te *illa* non appropinquabit.
[8] Tantum oculis tuis spectabis
et, quae retribuuntur impiis, [c] videbis.

C [9] Quia habes Dñum refugium *tuum
et Altissimum constituisti praesidium tuum,
[10] Non admittetur ad te malum,
et plaga non accedet ad tentorium tuum.
[11] Nam Angelis suis mandabit de te,
ut custodiant te in omnibus viis tuis.
[12] Supra manus tollent te,
ne allidas lapidi pedem tuum.
[13] Super aspidem et viperam gradieris,
calcabis leonem et draconem.

D [14] " Quia me amavit, eripiam eum,
tutabor eum, quia cognovit nomen meum.
[15] Invocet me, et ego exaudiam eum,
cum ipso sum in tribulatione,
eripiam atque honorificabo eum.
[16] Longitudine vitae satiabo eum,
et intuendam ei praebebo [d] salutem meam.

Argumentum. A) *Psaltes aliquem quem alloquitur, monet, ut sub Dei tutela se constituat ac se illi cum magna fiducia committat;* B) *nam Deus in se confidentes incolumes servat, quandocunque et undecunque iis periculum immineat;* C) *in praemium enim fiduciae nullo malo tanguntur, quin etiam ab Angelis custodiuntur;* D) *denique ipse Deus loquens inducitur, dicta confirmans, ac singularem providentiam finemque beatum pollicens.* — (3, 5, 5, 3 versus).

Adnotanda. [a] Usque huc verba psalmi varie verti possunt (id dependet potissimum a vocalibus quae voci *'mr* tribuuntur): *Qui habitat..., dicit Dño,* vel: *Habitans..., et... me recondens, dico Dño,* vel ut supra: *Qui habitas ..., dic Dño.* Idea versus semper eadem manet.

[b] Ambigi potest, sitne *dbr* interpretandum *dèber* 'pestis' (TM. Targ. Hier.), an *d.bàr* (stat. constr.; LXX. Sym. Syr.) 'res, eventus' vel 'verbum' (inimicorum calumniae etc.).

[c] I. e. iustas poenas iis inflictas.
[d] Hebr. *videre eum faciam in salutem meam*: praepositio 'in' visionem laetam innuit.

Ps. 92 (Vg. 91). Laus Dei, altissimi, iusti gubernatoris mundi.

[1] PSALMUS. CANTICUM. AD DIEM SABBATI.

A [2] Bonum est laudibus efferre Dñum
et psallere nomini tuo, Altissime,
[3] Annuntiare mane pietatem tuam
et fidelitatem tuam per noctem.
[4] * Opus mihi est [a] decachordo ac nablio,
* opus mihi est melodia ad citharam.
[5] Nam laetificasti me, Dñe, opificio tuo,
de operibus manuum tuarum iubilo.

B [6] Quam magna sunt opera tua, Dñe!
valde profundae sunt cogitationes tuae
[9] * et tu ipse sublimis in aeternum, Dñe. [b]
[7] Homo animalis non cognoscit,
et insipiens non intellegit hoc.

C [8] Nam germinant impii ut herba
et florent tot malefactores,
sed interituri in sempiternum. [9]
[10] Ecce enim inimici tui, Dñe,
ecce enim inimici tui peribunt,
dispergentur omnes malefactores.

D [11] Sed alte crevit, velut unicornium, cornu meum,
madeo [c] oleo viridi.
[12] Et *victos* videt oculus meus hostes meos, [aures meae
et de maleficis contra me insurgentibus *laeta* audiunt

E [13] Iustus ut palma floret,
sicut cedrus in Libano, grandescit.
[14] Plantati in domo Dñi,
in atriis Dei nostri florent.
[15] Adhuc prospere crescunt in senectute,
opimi ac vegeti sunt,

[16] Annuntiantes: " rectus est Dñus, petra mea,
et nulla est iniquitas in eo „.

Argumentum. A) *Dulce est divinam bonitatem laudare ;* B) *opera Dei, consilia Dei, ipse Deus — quam sublimia contemplationis argumenta ! de quibus utique homo animalis et impius nihil intellegit ;* C) *impii quidem florere sinuntur, sed ad tempus dumtaxat, postea interituri ;* D) *me vero Deus beatum reddidit ac victorem ;* E) *atque in universum iusti benedictione divina fruuntur, et omnes tandem habebunt cur iustum Dei gubernium agnoscant et praedicent* — (4, 2, 2, 4 versus).

Adnotanda. [a] Cum nonnullis recentibus legimus ter *'alàj* (*super me est* = mihi incumbit, convenit ..., obligatum seu impulsum me sentio ad ...), quo sensus huius versus fit plenior et aptior.

[b] De versu 9 ad vv. 6 adnectendo v. Crisin textus. Animadverte idearum versus 6+9 (*magna* || *profunda* || *sublimis*) parallelismum.

[c] Ut arbor virens suco opimo penetratur, ita psaltes, sub gratia Dei, quodam vitae sublimioris suco seu oleo penetratum se sentit.

Ps. 93 (Vg. 92). Regnum Dei firmum, inviolabile, sacrosanctum.

A [1] Dñus regnat, maiestatem induit,
induit se Dñus virtute, accinxit se.
Itaque stabilis erit [a] mundus, inconcussus,
[2] firmus est thronus tuus inde a principio,[b]
ab aeterno tu ipse es.

B [3] Elevant flumina, Dñe,
elevant flumina vocem suam.
Elevant flumina strepitum suum
[4] fortius sonitibus aequoris magni.

C Magnificentior est *aestibus maris,[c]
magnificentior in excelsis Dñus.
[5] Testimonia tua fida sunt valde, [d]
domum tuam decet sanctitas [e], Dñe, in longitudinem
[dierum.

Argumentum. A) *Deus sibi regnum condidit (in terra, in theocratia populi Israël), quod paratus est potenter gubernare ac defendere ; unde huic regno nihil timendum est ; firmus enim est thronus Dei, aeternus ipse Rex divinus.* B) *Ortae quidem sunt et oriuntur vehementes tempestates ac procellae.*

C) *At omni potestate adversa potentior est Deus, firmae sunt promissiones ab eo datae, sacrosancta (inviolabilis, tuta) domus Dei.* — (2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Sunt qui cum LXX. Syr. Hier. legere malint *tikkén* 'stabilivit, libravit (mundum)'; sed TM ideo praeferendus videtur, quia evitat subitaneum transitum a 3ª persona ad 2ªm.

[b] Hebr. *ex tunc*, inde ab omni tempore.

[c] Haec versio supponit levem textus mutationem (unius Iod suppressionem) iam a multis acceptatam.

[d] Promissiones Dei de populi templique inviolabilitate, Mosi et Salomoni (sub quibusdam condicionibus) datae sunt firmae atque omni fide dignae.

[e] *Sanctitas* hic nobis esse videtur idem quod sacrosanctitas, inviolabilitas; cfr. 46, 5. Quoniam haec templi (populique) inviolabilitas et securitas a populi sanctitate ethica ut a condicione dependet (cf. Dt. 28 et 29; 3 Reg. 9, 6–9), hoc versu continetur simul fortissima exhortatio ad sancte vivendum.

Ps. 94 (Vg. 93). Deus, impiorum ultor, iustorum tutor, invocatur.

A [1] Deus ultionum, [a] Dñe,
Deus ultionum * appare! [b]
[2] Exaltare, iudex terrae,
retribue, quod merentur, superbis!
[3] Quousque impii, Dñe,
quousque impii exsultabunt,
[4] Effutient, loquentur proterva,
sermones conferent [c] omnes malefactores?

B [5] Populum, Dñe, opprimunt,
et plebem tuam divexant;
[6] Viduam et accolam interimunt,
et orphanos necant,
[7] Et dicunt: " non videt Dñus,
nec animadvertit Deus Iacób „. [d]

C [8] Intellegite, stulti in populo!
et, insipientes! quandonam sapietis?
[9] Is qui plantavit aurem numquid non audiet?
aut Is qui finxit oculum numquid non aspiciet?
[10] qui éducat gentes numquid non puniet?
Is qui docet homines scientiam, [11] Dñus,
novit cogitatione hominum quod vanae sunt.

D [12] Beatus vir, quem éducas, Dñe,
et ex doctrina tua edoces,
[13] Ut requiem ei des a diebus malis, [e]
donec fodiatur impio fovea.

E [14] Non enim derelinquit Dñus populum suum
et plebem suam non deserit,
[15] Sed ad iustitiam reducet iudicium,
Ipsumque [f] sequentur omnes recti corde.
[16] " Quis consurget pro Me contra maligne agentes?
quis stabit pro Me contrá malefactores? „

F [17] Nisi Dñus auxilio mihi esset,
pene iam habitaret in Silentio [g] anima mea.
[18] Si iam cogito: " lapsat pes meus „,
pietas tua, Dñe, sustentat me.
[19] * Dñe, quando multiplicantur aerumnae in pectore meo,
consolationes tuae delectant animam meam.

G [20] Num 'tecum regnare decet' thronum nequitiae [h]
supprimere licebit violentiae *omne* ius? [i]
[21] Invadant animam iusti
et innocentem capitis damnent:
[22] Sed se praebuit Dñus mihi asylum,
et Deus meus petram suffugii mei.
[23] Et retribuit illis iniquitatem ipsorum
et suâ ipsorum malitiâ eos perdet:
perdet eos Dñus, Deus noster.

Argumentum. *Aliquo tempore quo impietas atque iniustitia impune grassabatur (probabiliter recentiore regum aetate) psaltes* A) *Deum, iudicem iustum, precatur, ut exsurgat contra impios,* B) *qui populum pium, et maxime pauperes, opprimunt, blaspheme dictitantes Deum hoc non videre;* C) *his impiis Dei omniscientiam et iustitiam in memoriam revocat:* D) *oppressos vero patienter Dei castigationi se submittentes beatos praedicat;* E) *certo aliquando Deus ordinem iustitiae restaurabit et iam invitat omnes probos ut ad eum restituendum conspirent;* F) *recogitata igitur Dei pietate et bonitate se omnesque solatur;* G) *quandoquidem Deus impiorum machinationibus iniustis certe non favet, in hac iniustitiae grassantis aetate ad Eum confugiamus, qui certo suo tempore iustum iudicium exercebit.* — (4, 3, 3, 2, 3, 3, 4 versus).

Adnotanda. [a] *Deus ultionum* vocatur Dominus, quia sibi ius vindicandi reservavit et se iniustitiam ulturum promisit (ut Dt. 32, 35).

[b] Imperativum *appare* (Hier. *ostendere*!) contextus certo exigit.

c Reflexivum verbi dicendi, ut latinum *condicere*, poni videtur de impiis in aliquo conciliabulo colloquentibus et consiliantibus, quibus modis ac legum paragraphis (v. 20) pauperes vexent. Alii vertunt: *se efferunt, gloriantur*, et similia.

d *Dicunt* sc. impii. Saepe in S. Scr. impii talia cogitare et loqui dicuntur (cf. 10, 4. 11; 14, 1 al.). Fuerunt qui verba "*non videt Dominus* etc.„ putarent esse querelas pauperum oppressorum, de providentia Dei dubitantium; sed, cum psaltes antea de impiis locutus sit, hic novum subiectum non nominet, ac statim in versu sequenti eos qui ita loquuntur ut 'stultos, insipientes' increpet, evidenter haec effata impiis attribuit.

e Deus hominibus dedit Legem, i. e. S. Scripturae doctrinam, ut fontem consolationis, ut in diebus malis, tempore infortunii, requiem ac pacem animi non amittant.

f Nihil interest, sive vertamus "*ipsum* [Deum] *sequenter omnes recti corde*„ et consequenter Deum faciamus loquentem "*Quis consurget pro Me* etc.„? an vero interpretemur: "*ipsam* [Iustitiam personificatam *ṣèdeq* generis masc.! *sequentur omnes recti corde*„ et in v. 16 hanc Iustitiam faciamus dicentem "*Quis consurget pro me* etc.?„ Certe Ille, Deus, vel haec, Iustitia, probos invitat, ut se sequantur ac iuvent in restabiliendo ordine iustitiae.

g *Silentium:* nomen poëticum domicilii mortuorum (cf. 115, 17).

h *Num socius tibi erit thronus nequitiae*? hebr. Potestates humanae, reges, iudices, magistratus cum sint quodammodo Deo socii regiminis, psaltes Deum interrogat, num tolerare velit tales socios.

i Supponimus in verbo vocalizationem a nonullis recentibus commendatam, *jaṣór*; ad litteram igitur "*opprimet violentia ius* (rectum ordinem)?„ — TM habet: *qui machinatur (joṣér) vexationem contra ius*, vel *super ius*? *('ălê ḥóq)* Pro varia particulae *'al* vi (super, contra) impii dicuntur machinari pauperum vexationem, vel "*contra ius*„, lege divina spreta, vel "*supra ius*„, sc. inniten tes absque misericordia alicui legis paragrapho, nempe eam ita interpretantes ut pauperes vexare possint (cf. Matth. 23, 4. 14. 23).

Ps. 95 (Vg. 94). Ad laudem Dei atque oboedientiam cohortatio.

A [1] Venite, exsultemus Dño,
iubilemus Petrae salutis nostrae.[a]
[2] Appareamus in conspectu eius cum gratiarum actione,
psalmis iubilemus ei.
[3] Nam Deus magnus est Dñus
et rex magnus super omnes deos.
[4] Ipsius in manu sunt profunda terrae,
et cacumina montium sunt eius.
[5] Ipsius est mare, quoniam ipse fecit illud,
et continens, quam manus eius formaverunt.

B [6] Venite, adoremus et nos prosternamus,
genuflectamus coram Dño, Factore nostro.
[7] Ipse enim est Deus noster,
et nos sumus populus regiminis eius et grex curae eius, [b]
hodie *quoque*, si voci eius oboediatis. [c]

C [8] " Nolite obdurare cor vestrum ut apud Meriba,
ut olim in Massa in deserto, [d]
[9] Ubi me tentaverunt patres vestri,
probaverunt me, etsi viderant opus meum. [e]
[10] Quadraginta per annos
taedium patiebar apud * istam generationem dixique :
Populus sunt corde errantium,
quippe qui ignorent vias meas :
[11] Ita ut iuraverim in ira mea : [e]
" absit ut introëant in requiem meam „.

Argumentum. A) *Venite, psallamus Deo, regi summo, creatori ;* B) *adoremus eum ut populi electi conditorem ac bonum postorem* ; C) *imprimis vero caveamus ne nos ut inoboedientes punire et abiicere debeat, uti olim maiores nostros.* Huic ultimae parti eo magna vis conciliatur, quod ipse Deus monens inducitur. — (5, 2, 5 versus).

Adnotanda. [a] I. e. Deo salvatori nostro.

[b] Vel *'am mar'itô '* populus pascuae eius,' quem nutrit. Hebr. *oves manus eius,* i. e. singularis curae eius ; pastor enim bonus ovem sibi percaram ipse manu contrectat, lavat, cibat, ungit etc., cfr. 2 Sam. 12, 3. Ps. 23, 5.

[c] Ita secundum divisionem versuum in TM, quam etiam schema metricum commendat. Etiam in hac versione sententiâ condicionali *" si voci eius oboediatis „* innuitur illud desiderium, quod alii formaliter enunciant, hunc stichum versui 8 praefigentes : *" Hodie utinam voci eius oboediatis : Nolite* etc. „.

[d] *Meriba* (plene *Mê-meriba*) 'aqua contradictionis' et *Massa* ' tentatio ' nomina sunt locorum, peccatis Israelitarum famosorum : cf. Ex. 17, 1–7. Num. 20, 13.

[e] Cf. Num. 14, 22 : " Omnes homines [ait Dns. ad Mosen], qui viderunt maiestatem meam et signa quae feci in Aegypto et in solitudine, et tentaverunt me ..... nec oboedierunt voci meae, non videbunt terram, pro qua iuravi patribus eorum „.

[f] Tandem hanc poenam iis infligere debui, ut in Palaestinam, in terram ubi cum populo meo requiescere et habitare decreveram, non intrarent.

Ps. 96 (Vg. 95). Sollemnis unius veri Dei laudatio.

A [1] Cantate Dño canticum nøvum,
cantate Dño, tota terra, [a]
[2] cantate Dño, benedicite nomini eius.

Laete annuntiate de die in diem salutare eius,
[3] narrate in gentibus gloriam eius,
apud omnes populos mirabilia eius.
[4] Nam magnus est Dñus et laude multa dignus,
cum timore colendus prae omnibus diis.

B [5] Profecto omnes dii populorum sunt deastri,[b]
Dñus vero caelos fecit.
[6] Gloria et magnificentia *sint* coram eo,
laus et decus in sanctuario eius!

C [7] Tribuite Dño, familiae populorum,[c]
tribuite Dño gloriam et laudem,
[8] tribuite Dño gloriam nominis eius.
Afferte donaria et intrate in atria eius,
[9] adorate Dñum in ornatu sancto.

D Tremite coram Eo, omnis terra,
[10] dicite inter gentes: " Dñus regnat:
* Stabilivit quoque orbem, ut immobilis stet,
gubernabit populos cum aequitate „.

E [11] Laetetur caelum et congaudeat terra,
tonet mare et quae illud implent.
[12] Exsultet campus et omnia quae in eo sunt,
simul iubilent omnes arbores silvarum,
[13] Adventante Dño, nam venit [*] gubernare terram,
gubernabit orbem cum iustitia,
et populos fidelitate sua.

Argumentum. A) *Digne laudate Deum,* B) *unum verum Deum, mundi creatorem;* C) *omnes populi sacrificiis honorate et adorate Dominum,* D) *ubique praedicetur: Dominus regnum capessit;* E) *eo adveniente totus mundus una iubilet.* — (3, 2, 2, 2, 3 versus).

Adnotanda. A LXX hoc carmen *Davidi* inscribitur; recte, quandoquidem est pars illius hymni, qui, ut 1 Par. 16 narratur, in translatione arcae foederis in montem Sion canebatur. Et perquam credibile est, quod LXX addunt, rursus hunc psalmum cantatum esse " quando domus [sc. secundum templum] aedificata erat post captivitatem „.

[a] Animadverte ideam *universalitatis* per totum carmen: Iahve est unus Deus totius terrae: hinc *tota terra* (v. 1), *in gentibus, apud omnes populos* (v. 3),

familiae populorum (v. 7), *omnis terra* (v. 9), *inter gentes* (v. 10), *orbem, populos gubernabit* (v. 13).

[b] *Deastri*, dii vani, ficticii. Hinc patet, in versu praecedente illud " *prae omnibus diis* „ significare 'exclusis, contemptis omnibus aliis diis.'

[c] Complures nationes stirpe et linguâ affines quodammodo familiam populorum efficiunt (cfr. Gen. 12, 3. Ps. 72, 17).

Ps. 97 (Vg. 96). Adventus Dei ad iudicium.

A [1] Dñus regnat: exsultet terra,
laetentur insulae multae! [a]
[2] Nubilum et caligo sunt circum eum,
iustitia et ius sunt basis throni eius.
[3] Ignis ante ipsum praecedit,
ut inflammet circumquaque adversarios eius.
[4] Illuminant fulgura eius orbem,
id videt et trepidat terra.
[5] Montes ut cera colliquescunt ab adventu Dñi,
ab adventu domini totius terrae.
[6] Iam annuntiant caeli iustitiam eius,
et vident omnes populi gloriam eius. [b]

B [7] " Confundantur omnes qui coluerunt sculptile,
qui gloriati sunt deastris!
adorate Eum, omnes dii! „ [c]
[8] Id audivit et laetatur Sion,
et exsultant filiae Iudae [d]
propter iudicia tua, Dñe:
[9] Quod tu, Dñe, altissimus es super omnem terram,
summe exaltatus super omnes deos.
[10] " * Diligit Dñus eos qui oderunt malum. [e]
servat animas Suorum carorum,
de manu impiorum eos eripit „.
[11] Lux * orta est iusto
et rectis corde laetitia.
[12] Laetamini, iusti, in Dño,
et gratias agite nomini sancto eius.

Argumentum. *Describitur adventus Dei ad iudicium toties a prophetis annuntiatum et a piis optatum, quo idololatrae confundentur, populus vero iustorum, veri Dei cultorum, salvabitur. Apte applicatur psalmus ad adven-*

tum Messiae tam primum quam secundum. A) *Annuntiato et consalutato die quo Deus regnum capesset, primum solitis imaginibus describitur adventus Dei iudicis, — deinde huius adventus effectus in omnes creaturas, in caelites et terricolas, iamiam testes futuros iudicii.* — B) *Enuntiatur prius sententia iudicialis contra hostes Dei, ac gaudium populi Dei de hac veri Dei glorificatione indicatur; — deinde sententia quae amicos Dei, iustos, salvat ab omnique malo eripit, et gaudium describitur beatorum.* — (6, 6 versus).

Adnotanda. [a] *Insulae multae:* hoc nomine poëtae hebraici appellant insulas, orasque immenso mari adiacentes, ergo generatim in confuso regiones longinquas minus notas.

[b] Cum aliis vocalibus versus potest imperative legi: *annuntiate, caeli, iustitiam eius, et videte, omnes populi, gloriam eius*; ita, ut videtur, Targum.

[c] Quia in v. 8 Sion dicitur *id audivisse* et filiae Sion *exsultare de iudiciis Dei,* versus 7 apte explicari potest ut sententia iudicialis in idololatras eosque omnes prolata, qui sibi divinos honores vel arrogaverunt vel tribui passi sunt. Hi omnes nunc coguntur ut Iahve tamquam unum verum Deum agnoscant atque adorent. S. Hieronymus quoque *kol-ĕlohîm* vertit " omnes dii! „ Nec obstat tali versioni Hebr. 1, 6; siquidem ibi non tam verba graeca huius nostri psalmi, quam verba graeca Deut. 32, 43 recitantur.

[d] Cfr. ad 48, 12.

[e] Cfr. Crisin textus. Ut versu 7 sententiam iudicis adversus impios, ita hoc versu 10 sententiam iustis destinatam contineri censemus.

Ps. 98 (Vg. 97). Laus Dei post victoriam.

[1] PSALMUS.

A Cantate Dño canticum novum,
nam admirabilia fecit. [a]
Victoriam ei comparavit dextra eius
et brachium sanctum eius.
[2] Manifestavit Dñus victoriam suam,
oculis gentium revelavit iustitiam suam. [b]
[3] Memor fuit pietatis ac fidei suae domui Israél, [c]
viderunt omnes fines terrae victoriam Dei nostri.

B [4] Iubilate Dño, omnes *in* terra,
triumphate et exsultate et psallite!
[5] Psallite Dño cithara [*] et voce psalterii,
[6] tubis et sono bucinae iubilate coram Rege Dño.
[7] Tonet mare et quae illud implent,
orbis terrarum et incolae eius,
[8] flumina applaudant, una montes iubilent:

[9] Adventante Dño: advénit enim gubernaturus terram,
gubernaturus orbem terrarum cum iustitia et populos
[cum aequitate.

Argumentum. A) *Insigni victoria Dominus manifestavit se coram gentibus ut populi sui iustum fidelemque defensorem*; B) *quare hîc in templo atque in toto mundo laus eius resonet.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Novo aliquo insigni beneficio, omnibus populis conspicuo (v. 2 s.), Deus sibi novas laudes promeruit.

[b] Insigni victoriâ Israëlitae Dei auxilium benevolum, gentes hostiles eius iustitiam experti sunt.

[c] *Memorem esse (zakàr) pietatis alicui* (dativus commodi) significat i. q. praestare alicui pietatem olim illi promissam.

Ps. 99 (Vg. 98). Deus in monte Sion venerandus.

A [1] Dñus regnat: trepident populi!
Qui sedet super cherubim[a]: commoveatur terra!
[2] Dñus in Sion magnus est,
et excelsus super omnes populos, [ctum est„.[b]
[3] laudant nomen tuum: " magnum, venerabile ac san-
[4] Et virtutem Regis *laudant,* qui ius diligit:[c]
" tu statuisti aequitatis normas,
ius et iustitiam in Iacob tu fecisti „.
[5] Exaltate Dñum, Deum nostrum,
et prosternite vos ad scabellum pedum
eius:[d] sanctus est.

B [6] Moses et Aaron, inter sacerdotes eius,
et Samuel, una cum invocantibus nomen eius,[e]
invocabant Dñum, et ipse exaudiebat eos.
[7] In columna nubis alloquebatur eos,
observaverunt monita eius et praeceptum quod dedit eis.
[8] Dñe, Deus noster, tu exaudisti eos,
Deus indulgens fuisti eis,
ultor vero pro facinoribus eorum.[f]
[9] Exaltate Dñum, Deum nostrum,
et prosternite vos ad montem sanctum eius:
nam sanctus est Dñus, Deus noster.

Argumentum. *Hic in sanctuario montis Sion adorate Deum. Nam* A) *hic ipse residet, Iahve, Deus noster sanctissimus ac Rex noster iustissimus;* B) *ante hanc arcam foederis olim Moses, Aaron, Samuel, sacerdotes sancti, omnes denique maiores nostri Deum coluerunt; ex hac arca foederis eos Deus allocutus est, legibus gubernavit, precantes exaudivit, eos clementer sustinuit, nonnunquam etiam peccantes punivit. Quot quantique stimuli ad Deum hic devote adorandum!* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] *Qui sedet super cherubim:* cognomen Dei Israëlitis familiare: 1 Sam. 4, 4. 2 Sam. 6, 2. Ps. 80, 2 al. Ad hoc subiectum mente supple idem verbum *regnat.*

[b] Sunt qui vertant: *confite(a)ntur nomen tuum magnum ac timendum: sanctus est.*

[c] Explicari potest: "robur vel virtus vel *laus* (*'òz*) cuiusvis boni *regis* est, quod *iustitiam diligit*„; hanc boni regis laudem Deo convenire, sequentibus stichis enuntiatur. Melius frt.: *Et* (laudant) *virtutem Regis qui iustitiam diligit:* etc.

[d] I. e. ante arcam foederis.

[e] Mente psalmistae obversantur Moses et Aaron "*in*„ i. e. *circumdati ab, una cum* ingenti numero sacerdotum, qui tunc et deinde per saecula ante hanc arcam suo munere functi sunt; item Samuel *una cum* omnibus piis, qui coram hac arca precati et a Deo exauditi sunt. Moses merito cum sacerdotibus nominatur: is enim, antequam Aaron sacerdotio initiatus esset, sacerdotali munere fungebatur, mediatoris inter Deum plebemque vices agens, populum aspersione expians, primos sacerdotes consecrans.

[f] Pronomina huius versus (*eos, eis, eorum*) ad universos Israëlitas refer: Deus, cum arca foederis inter eos habitans, multa eis beneficia contulit, nonnunquam etiam delinquentibus poenas inflixit.

Ps. 100 (Vg. 99). Invitatio ad Dei laudem.

[1] PSALMUS. AD GRATIARUM ACTIONEM.

A Iubilate Dño, universa terra,
[2] servite Dño cum laetitia,
venite in conspectum eius cum exsultatione.
[3] Scitote quod Dñus est * Deus, [a]
ipse fecit nos et ipsius sumus, [b]
populus eius et grex pascuae eius.

B [4] Intrate per portas eius cum gratiarum actione,
in atria eius cum laude,
gratias ei agite, benedicite nomini eius.
[5] Nam bonus est Dñus,
aeterna est pietas eius
et in perpetuas aetates fidelitas eius.

Argumentum. A) *Omnes invitantur, ut in templo Iahve, unum verum Deum, populi Israèl conditorem et pastorem, venerentur,* B) *eique gratias agant pro eius bonitate, pietate, fide.* — (2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Complurium codicum lectio *Iahwè hû' hā'ĕlōhîm* suffragio codicis vaticani (Κύριος αὐτὸς ἐστιν ὁ Θεός) et metro commendatur, ac singulare pondus huic loco tribuit. Est enim haec usitata formula fidei in unum verum Deum (Dt. 4, 35; 7, 9. Ios. 22, 34. 3 Reg. 18, 39).

[b] Item lectio qerê *lô* (*ipsi* seu *ipsius sumus*), quam Hieronymus et Targum attestantur, propter profundiorem sensum omnino praeferenda est alteri, *lô'* (*non nos ipsi* fecimus nos), quam LXX–Vg. ketîb habent. Illa lectio etiam ideo asciscenda videtur, ne praedicata sequentia (*populus eius* etc.) subiecto careant.

Ps. 101 (Vg. 100). Principis probi norma vitae.

[1] DAVIDIS. PSALMUS.

A Pietatem et iustitiam canere volo,
tibi, Dñe, psallere,
[2] considerare [a] viam integritatis.

B Quando*cunque* Venies ad me, [b]
ambulabo in integritate cordis in domo mea.
[3] Non ponam mihi ante oculos rem nefariam,
committere illicita odi: non mihi id inhaerebit.
[4] Cor perversum procul aberit a me,
quidquid est malum ignorabo.

C [5] Qui clam obtrectat proximo suo, eum ad silentium redigam,
elatis oculis et * laxiore corde [c] *virum* non tolerabo.
[6] Oculos meos *intendam* ad fideles terrae, ut habitent mecum,
qui ambulat in via integritatis, is mihi ministrabit.
[7] Non manebit domi meae qui committit fraudem,
qui loquitur mendacia, non subsistet coram me.

D [8] In matutinis [d] interimam omnes impios terrae,
exterminans de civitate Dñi omnes malefactores.

Argumentum. A) *Exordium: de pietate et iustitia mihi observanda canam*; B) *domi meae semper, memor Dei praesentis, ego ipse in omni modo agendi et sentiendi inculpatum me servabo,* C) *nec improbos homines ad familiaritatem meam admittam*; D) *neque in urbe, utpote civitate Dñi, impios malefactores vivere sinam.* — (1, 3, 3, 1 versus).

Adnotanda. [a] *aśkîla bĕ* significare potest 'considerare volo' aut 'prospere (alacriter) procedere volo' in via integritatis. An verbum hic, in parallelismo

cum duobus verbis canendi, verti potest 'hymnum canam' de via integritatis? cfr. 2 Chr. 30, 22, ubi *hiśkîl* a nonnullis hoc sensu explicatur, et nomen *maśkîl* 'hymnus didacticus.'

b Ex adventu Domini in urbem seu in montem Sion, i. e. ex translatione arcae foederis mox futura, David nova incitamenta haurit ad sancte vivendum. Quaestio *quando venies ad me?* (TM) aequivalet sententiae relativae universali *quandocunque venies ad me* (cf. 25, 12; 34, 13 *quis?* = quicunque). Forma interrogativa simul desiderium adventus Dei connotat.

c Hebr. *lato corde*, quod, significatione vocabulorum bene perpensa (cf. Power, Biblica 1 [1920] 64. 84 s.), indicare videtur parum timoratae mentis, laxioris conscientiae. Facilior esset lectio *r.háb lebáb* 'superbo corde.'

d *In matutinis*: cotidie mane (intellige *matutinum* substantive, Morgen, matin). Iudicia in horis matutinis fieri solebant.

Ps. 102 (Vg. 101). Pii exsulis pro restauratione Urbis oratio.

[1] ORATIO MISERI, QUANDO ANXIATUR ET CORAM DNO EFFUNDIT QUERIMONIAM SUAM.

A [2] Dñe, audi orationem meam,
et clamor meus ad te perveniat.
[3] Ne abscondas faciem tuam a me, dum angor,
inclina ad me aurem tuam, quando *te* invoco.
Festina, exaudi me!
[4] iam enim deficiunt * velut fumus dies mei
et ossa mea velut in fornace torrentur.
[5] Perustum est, sicut fenum, et aruit cor meum,
quia obliviscor comedere panem meum. [a]
[6] Ob vehementiam gemitus mei
adhaerent ossa mea cuti meae. [b]
[7] Similis evasi pelicano deserti,
factus sum sicut noctua ruinarum.
[8] Insomnis sum et singulto, [c]
sicut passer solitarius in tecto.
[9] Assidue ludificantur me inimici mei,
contra me furentes, exsecrantur me, [d]
[10] Quia cinerem tamquam panem comedi,
et potiones meas cum fletu miscui, [e]
[11] Propter indignationem atque iram tuam,
quoniam elevasti ac deiecisti me,
[12] Dies mei sunt velut umbra longe protensa
et ego sicut herba exarui.

B [13] Tu autem, Dñe, *qui* in aeternum permanes
et cuius memoriale est in generationem et generationem: [g]
[14] Tu surges *et* misereberis Sionis,
quia tempus est ut ei repropitieris,
quoniam advenit opportunum tempus.
[15] Etenim placet servis tuis *restaurare* lapides eius,
et pulveris eius eos miseret, [h]
[16] Ut revereantur gentes nomen Dñi
et omnes reges terrae gloriam tuam.
[17] Cum reaedificaverit Dñus Sion,
apparuerit in gloria sua,
[18] Se converterit ad orationem exspoliatorum
nec repudiaverit orationem eorum;
[19] Scribetur hoc a generatione postera,
et populus *denuo* creatus laudabit Dñum:
[20] Quod " respexit de celsa sede sua sancta Dñus,
de caelis terram est intuitus.
[21] Ut audiret suspiria captivorum,
ut liberaret destinatos ad mortem,
[22] Ut narretur in Sion nomen Dñi
et laus eius in Ierusalem,
[23] Quando *eo* conveniunt populi in unum
et regna ad colendum Dñum „.

(Epilogus)

[24] Contrivit in via robur meum,
Abbreviavit dies meos. [i]
[25] Oro: mi Deus!
ne me abstrahas in dimidio dierum meorum.
tu cuius anni sunt in generationem et generationem. [k]
[26] Pridem terram fundasti,
et opus manuum tuarum est caelum.
[27] Ista peribunt, dum tu permanebis,
et universa, velut vestis, veterascent.
Ut amictum mutabis ea et transibunt,
[28] tu vero idem *manebis* et anni tui finem non habebunt.
[29] Filii servorum tuorum *illic* inhabitent,
et posteritas eorum coram te perseveret.

Argumentum. *Pius Israelita, in exsilio vivens et restaurationem Sionis praedictam frustra adhuc se vivente fore exspectans,* A) *tristia animi sui sensa*

libere coram Deo effundit, B) *simul tamen firmam fidem suam profitetur, illam restaurationem suo tempore futuram esse, et* [in epilogo] *Deum rogat ne se praemature e vivis eripiat et ut saltem filiis praesentis generationis concedat, ut beatam illam aeram videant.* — (4, 3, 4 : 4, 3, 4 versus, cum epilogo 1, 4, 1 versuum).

Adnotanda. [a] Tristes prae moerore comedere nolunt; ne cogitant quidem de cibo capiendo.

[b] Hebr. 'Ob *vocem* gemitus mei.' Tota sua misera condicione ita maceratur, ut tantum ex carne et ossibus constare videatur.

[c] Pro simplici verbo *sum (sicut passer in tecto)* verbum aliquod gemendi ponendum videtur, sive una consonanti mutata (substituendo formam verbi *hagáh* vel *hamáh*), sive supponendo aliquod verbum *hajáh* denominativum cum tali significatione (ab *hî* 'singultus, lamentum' Ez. 2, 10, vel ab *hôj* 'vae!'; cf. Zts. f. alttest. Wiss. 18, 293).

[d] Hebr. *per me iurant*, sc. meo utentes nomine.

[e] Lugenti, more orientali in cinere sedenti vel caput cinere conspergenti ac lacrimas fundenti, facile accidit, ut cineris aliquid in cibum vel lacrima in potum cadat.

[f] *Umbra longe protensa*, vespertina, ingruentem caliginem et lucis finem indicat.

[g] Psaltes mox, fortasse ante finem exsilii, moriturus est; at Deus non morietur: haec cogitatio spem eius erigit.

[h] Exsules, viso pulvere ruinarum sacrae urbis, eam reaedificare satagent.

[i] A contemplatione felicis aerae, cuius initium nondum videt, psaltes ad triste tempus praesens revertitur.

[k] Psaltes, ut in ps. 90 Moses, Deum aeternum rogat, ne se mortalem, tam breviter viventem, praemature abripiat.

Ps. 103 (Vg. 102). Laus misericordiae divinae.

[1] DAVIDIS.

A Benedic, anima mea, Dño,
et omnia intima mea nomini sancto eius.
[2] Benedic, anima mea, Dño,
et noli oblivisci tot beneficia eius:
[3] Qui condonavit omne delictum tuum,
qui sanavit omnes infirmitates tuas,
[4] qui redemit ab interitu vitam tuam:
Qui te coronat pietate et misericordia,
[5] qui satiat bonis desiderium tuum, [a]
ut se renovet, velut aquilae, iuventus tua. [b]

B [6] Beneficia tribuit Dñus
et tutelam omnibus oppressis.

[7] Manifestavit vias suas Mosi,
filiis Israël grandia opera sua.
[8] Misericors et clemens est Dñus,
longanimis et multae pietatis :
[9] non perpetuo litigat aut in aeternum succenset.
[10] Non ut *meruerant* peccata nostra fecit nobit,
nec condigna culpis nostris retribuit nobis.

C [11] Nam quam alte eminet caelum super terram,
tantopere praevaluit pietas eius super timentes eum.
[12] Quam procul distat Oriens ab Occidente,
tam procul removit a nobis delicta nostra.
[13] Quomodo miseretur pater filiorum,
miseretur Dñus timentium Se.
[14] Ipse enim scit, 'qualis figmenti simus,' [c]
recordans, nos esse pulverem.

D [15] Hominis dies sunt *pauci* sicut graminis,
sicut flos campi, ita floret.
[16] Si aura perstringit eum, esse desinit,
nec eum cognoscit amplius locus eius. [d]
[17] Verum pietas Dñi ab aeterno in aeternum est super timentes [eum,
et iustitia eius in filios filiorum
[18] Pro iis qui observant *initum* cum eo foedus
et memores sunt praeceptorum eius, ut ea faciant.

E [19] Dñus in caelis statuit thronum suum
et regia maiestas eius universorum dominatur.
[20] Benedicite Dño, angeli eius,
heroes fortes, qui exsequimini verbum eius,
oboedientes edicto eius.
[21] Benedicite Dño, omne exercitus eius,
ministri eius, qui peragitis placita eius.
[22] Benedicite Dño, omnes creaturae eius [e]
in omnibus locis imperii eius !
benedic, anima mea, Dño !

Argumentum. A) *Benedico Deo, qui me a multis malis eripuit ac praeservavit, et multis beneficiis cumulavit ;* B) *nec solum mihi, sed multis, sed toti populo Israël optime providit et misericorditer pepercit ;* C) *ita miseretur nostri, memor humilis et infirmae naturae nostrae ;* D) *quam nos sumus fragiles et caduci, tam pietas Dei est firma et indefectibilis ;* E) *huic igitur Deo,*

in caelis gloriose regnanti, sed toti mundo pie providenti, omnes benedicite: caelites, creaturae omnes, anima mea! — (4, 4, 4, 4, 4 versus)

Adnotanda. [a] De vi vocabuli *'ădî* non certo constat; LXX *desiderium tuum*, Syr. *corpus tuum*, Hier. *ornamentum tuum.*

[b] Eadem imago renovati vigoris iuvenilis habetur Is. 40, 39.

[c] Hebr. *novit figmentum nostrum*, ex quam vili fragilique materia facti simus.

[d] Mox nemo iam sciet, ubi steterit, ubi vixerit.

[e] Hebr. *facturae eius:* iis quos, et ea quae fecit Deus.

Ps. 104 (Vg. 103). Laudatur Deus in opere creationis.

A [1] Benedic, anima mea, Dño!
Dñe, mi Deus, magnus es valde!
Maiestate et decore indutus es,
[2] amictus luce tamquam pallio:
Qui expandisti caelum velut aulaeum,
[3] qui construxisti super aquam supernas cameras tuas;[a]
Qui facis nubes currum tuum,
qui ambulas super alas venti;
[4] Qui uteris ut[b] nuntiis tuis ventis,
ut ministris tuis flammis ignis.

B [5] Qui fundasti tellurem super bases suas,
ita ut immobilis stet in aeterna saecula.
[6] Oceano velut amictu eam contexeras,
supra montes stabant aquae.
[7] A comminatione tua refugiebant,
a voce tonitrui tui reformidabant,
[8] Ascendebant montes *et* descendebant valles,
ad locum quem assignaveras illis.[c]
[9] Limitem statuisti quem non transgrediantur,
ut non iterum obtegant terram.
[10] Mittis fontes per valles,
qui inter montes fluant,
[11] *Ut* potum praebeant omnibus feris campi,
ut restinguant onagri sitim suam.
[12] Iuxta illos volucres caeli habitant,
inter ramos cantillant.

C [13] Qui irrigas montes ex supernis cameris tuis,
ut fructibus creaturarum tuarum se satiet terra.
[14] Qui progerminas gramina pecori
et herbas servituti hominum, [d]
ad producenda cibaria de terra :
[15] Et vinum, quod laetificet cor hominis,
ad nitefaciendos vultûs * olea,
et panem, *qui* cor hominis corroboret. [e]
[16] Saturantur arbores Dñi,
cedri Libani, quas plantavit,
[17] ubi aves nidificant :
Ardea*rum* cypressi sunt domicilium,
[18] montes excelsi ibicibus,
rupes suffugium sunt hyracibus. [f]

D [19] Qui fecisti lunam ad *designanda* tempora,
soli * assignasti occasum suum. [g]
[20] *Cum* inducis tenebras et fit nox,
tum prorepunt omnes ferae silvae.
[21] Leunculi rugiunt, praedaturi,
et quaesituri a Deo cibum suum.
[22] *Cum* * oriri facis solem, se recipiunt
et ad antra sua cubitum eunt.
[23] Egreditur homo ad opus suum
et ad laborem suum usque ad vesperam.

E [24] Quam multifaria sunt opera tua, Dñe !
universa cum sapientia fecisti.
Plena est terra creaturarum tuarum,
[25] item mare magnum et late patens :
Illic reptilia sunt absque numero,
animantia parva cum magnis ;
[26] Ibi * naves commeant, [h]
leviathan iste quem formasti ut ludat in eo.
[27] Omnia ista te exspectant,
ut des illis cibum suum tempore suo.
[28] *Si* tribuis eis, colligunt,
si aperis manum tuam, satiantur bonis.
[29] *Sin* occultas faciem tuam, perturbantur,
si subtrahis spiritum tuum, moriuntur
et in pulverem suum revertuntur.

30 *Si* mittis spiritum tuum, creantur,
et renovas faciem terrae.

F 31 Sit gloria Dñi in aeternum,
laetetur Dñus de facturis suis:
32 Qui *si* aspicit terram, *ea* contremiscit,
si tangit montes, fumigant.
33 Cantare mihi liceat Dño, dum vivam,
psallere Deo meo, quamdiu subsistam.
34 Grata sit ei meditatio mea;
equidem laetabor in Dño!
35 Deficiant peccatores a terra
et impii *ibi* amplius ne sint![i]
BENEDIC, ANIMA MEA, DNO. ALLELUIA.

Argumentum. A) *Benedico Deo, qui in principio creationis fecit lucem et firmamentum,* B) *divisoque mari et continente, aquis terrestribus aquisque caelitus missis terram irrigavit;* C) *qui plantas germinare iussit pro usu hominum et pastu animalium*; D) *qui siderum ortu et occasu vitam animalium hominumque ordinat;* E) *qui in terra et mari multifaria animantia produxit, alit, vivificat*; F) *habeat Deus ex omnibus creaturis suis, etiam ex me meoque carmine, gloriam et gaudium, peccatores vero in terra esse desinant!* — (5, 8, 5, 5, 8, 5 versus).

Adnotanda. a I. e. supra nubes fecisti caelum.

b Hebr. *faciens nuntios tuos* [praedicatum] *ventos* [obiectum], *ministros tuos ignem flammantem* (fulgur). Ita plerique recentes verba exponenda censent, ut Fillion, Crampon, Mari, Zenner, Thalhofer, Knabenbauer, alii. Ad Hebr. 1, 7 cf. Knabenbaner in h. ps.

c Targum explicat: aquae aliae ascendebant in montes, aliae descendebant in valles, singulae ad locum sibi destinatum. Secundum alios tunc montes ascendebant (emergebant, elevabantur), valles descendebant (in inferioribus regionibus fiebant).

d *Servituti hominum*, hic probabiliter = animalibus homini servientibus et ad labores agriculturae aliosque usus adhibitis. Tertius stichus indicare videtur, cui usui serviant pecora domestica, sc. ad agriculturam.

e Ad accusativos *vinum, olea, panem* supple ex v. 14 *progerminas*. Ad secundum stichum cf. Crisin textus.

f *ja'él* ibex, rupicapra (Steinbock, bouquetin, wild goat); *šafán* hyrax syriacus (Klippdachs, daman).

g Tempus et locum occasus soli assignavit.

h *Naves:* Deus in opere creationis, ut agriculturam, commercium vitae humanae, hominum varios labores (v. 14. 15. 23), ita etiam navigationem generi humano tam utilem praevidit. Nomine *leviathan* balaena indicari videtur. — Quia tamen commemoratio navium i n t e r animalia aliquid miri habet, sunt qui navium loco nomen animalis primitus scriptum fuisse suspicentur, ex. gr.

'ănafôt 'ardeae.' "*Ibi*, in maris litore, *ardeae ambulant*„; ita in v. 25 s. animalia continentis, aves litoris, pisces maris enumerarentur.

i Secundum Gen. 1, 31 Deus, opere creationis absoluto, laetari potuit: "vidit cuncta quae fecerat, et erant valde bona„. At homo deinde hunc pulcherrimum mundi ordinem turbavit et etiamnunc peccando commaculat. Unde psaltes optat, ut Deus adhuc sic laetari possit et ut peccatores ex terra evanescant.

Ps. 105 (Vg. 104). Dei cum patribus foedus fideliter impletum.

A [1] Gratias agite Dño, proclamate nomen eius,
notas facite in populis grandia opera eius.
[2] Cantate ei, psallite ei,
recolite omnia miracula eius.
[3] Gloriamini nomine sancto eius,
laetetur cor quaerentium Dñum.
[4] Quaerite Dñum et *corroboramini,
quaerite faciem eius semper. [a]
[5] Recordamini miracula eius, quae fecit,
prodigia eius et iudicia oris eius, [b]
[6] Posteri Abrahám, servi eius,
filii Iacób, electi eius!
[7] Ipse est Dñus, Deus noster,
in universa terra valent iudicia eius.

B [8] Fideliter servavit [c] in aeternum pactum suum,
promissum quod dare dignatus est ad mille generationes,
[9] Ea quae pactus erat cum Abraham,
et quae iurans promisit Isaàc,
[10] Et quod statuerat Iacòb ut firmum decretum,
Israèl ut foedus aeternum,
[11] Dicens: Tibi dabo terram Chanaan,
portionem hereditatis vestrae.

C [12] Cum essent numero exigui,
pauci et peregrini in ea *regione*,
[13] Et migrarent de gente ad gentem,
et ab uno regno ad populum alium,
[14] Non sivit quemquam eos opprimere,
et castigavit propter eos reges:
[15] Ne attigeritis mihi consecratos, [d]
et prophetis meis ne quid mali feceritis!

D [16] Tum vocavit famem super terram,
et omne baculum panis confregit. [e]
[17] Iam praemiserat illis virum,
in servitutem venumdatus erat Ioseph.
[18] Constrinxerant compedibus pedes eius,
ferro constrictus erat ipse, [f]
[19] Usque ad tempus quo evenit praedictio eius, [g]
eloquium Dñi [h] eum comprobavit.

E [20] Misit rex et solvit eum,
dominator populorum, et liberum dimisit eum.
[21] Constituit eum dominum domui suae
et principem toti possessioni suae.
[22] Ut * erudiret principes suo exemplo [i]
et senatores sapientiam doceret.
[23] Et venit Israël in Aegyptum,
Iacob accola venit in terram Cham. [k]

F [24] Et Multiplicavit populum suum valde,
et Effecit ut nimis validus fieret adversariis suis.
[25] Converso horum corde, ut odio haberent populum Eius,
ut dolose vexarent servos Eius,
[26] Misit Mosen, servum suum,
Aaron, a se electum.
[27] * Fecit per eos [l] prodigia sua
et portenta sua in terra Cham.
[[28] Misit tenebras et tenebrae factae sunt, [m]
sed * restiterunt [n] imperiis Eius.] (IX) [o]

G [29] Convertit aquas eorum in sanguinem,
et necavit pisces earum. (I)
[30] Scatuit terra eorum ranis
usque in penetralia regum eorum. (II)
[31] Edixit et venit muscarum agmen, (IV)
sciniphes per totum territorium eorum. (III)
[Unus versus hic deesse videtur.] (V) (VI)

H [32] Dedit iis pro imbribus grandinem,
ignem flammantem per terram eorum.
[33] Et afflixit vites ac ficulneas eorum;
et fregit arbores territorii eorum. (VII)

[34] Edixit, et venerunt locustae,
et bruchi innumerabiles: (VIII)
[35] Qui devoraverunt omnes herbas in terra eorum,
et comederunt fruges ruris eorum.

I *[Hic legatur versus 28.]* (IX)
[36] Tum percussit primogenitum quemque in terra eorum,
primitias genitalis roboris eorum. (X)
[37] Et eduxit eos cum argento et auro,
nec fuit in tribubus eorum invalidus.
[38] Laetati sunt Aegyptii de emigratione eorum:
ceciderat enim metus eorum super illos.

K [39] Expandit nubem in tegumentum,
et ignem, ad lucendum *eis noctu.
[40] Petierunt, et adduxit coturnices,
et pane caelesti eos saturavit.
[41] Aperuit petram, et profluxit aqua,
manavit in arida regione ceu fluvius.
[42] Recordatus enim promissionis suae sanctae
et Abrahám, servi sui,
[43] Eduxit populum suum cum gaudio,
cum iubilo electos suos,
[44] Deditque eis terras gentium,
et opibus nationum potiti sunt:
[45] Ut custodiant statuta Eius.
et leges Eius observent. ALLELUIA.

Argumentum. A) *Grati recolite historiam priscam populi Israël, quomodo* B) *Deus promissa patriarchis fideliter impleverit; etenim* C) *eos circummigrantes potenter protexit,* D) *tempore famis eis servatorem providit* E) *et principem Aegypti constituit, et Iacob eodem vocavit*; F) *cum populus multiplicatus ab Aegyptiis supprimeretur, ei Mosen et Aaron misit,* G) *qui sex primis plagis,* H) *aliisque duabus* I) *et tandem postremis duabus plagis Aegypto inflictis obtinuere, ut ab Aegyptiis dimitterentur*; K) *quos Deus deinde miraculoso itinere in terram promissam induxit.* — (7, 4, 4, 4, 4, 4, 4, 4, 7 versus. — Unus versus deest, unus transponitur).

Adnotanda. [a] *Quaerite faciem eius:* in omni necessitate ad eum venite.
[b] *Iudicia oris eius,* iudicia ab eo pronunciata, ex. gr. plagas aegyptiacas.
[c] Hebr. *meminit.*
[d] Hebr. *unctos meos;* in sticho proximo *prophetae* vocantur, quia iis apparere et loqui, sicut prophetis, Deus dignatus est.

e Quod baculum est infirmo, hoc cibus mortalibus: robur sustentat (cf. Lev. 26, 26).

f Hebr. *in ferrum venerat anima eius.*

g Sc. id quod somnia ab eo narrata praesignificabant (Gen. 37, 6 ss.).

h Explicatio somniorum ei divinitus inspirata (Gen. 40, 41) fuit quoddam eloquium Dei.

i Hebr. *ut* [Ioseph] *erudiret principes in anima sua*, in persona sua: suo enim ipsius exemplo illos docebat, quomodo in tam desperata rerum condicione populus servari posset.

k *Cham*, nomen poëticum Aegypti.

l Hebr. *posuit in iis;* i. e. vel = fecit per eos, vel = commisit illis, imposuit illis (exsequenda). Hebr. *verba* (vel *res*) *prodigiorum suorum*; nomen *daôar* saepe solum circumscriptioni nominis simplicis inservit.

m In vv. 28–36 enumerantur ex ordine decem plagae, nisi quod nona primo loco ponitur et quinta ac sexta [pestis animalium et ulcera turpia hominum] omittitur. Si haec in suo loco restaurantur, etiam ordini strophico et schemati metrico B psalmi bene providetur. Inter v. 31 et 32 pro versu omisso poni posset versus 78, 50 *b.c:* " *Non praeservavit a lue ipsos, et animalia eorum pesti tradidit* „; vel aliquid simile.

n Cum LXX. Syr. Sexta negationem " *non* „ omittimus. Sic sensus est: Aegyptii, tot tantisque plagis spretis, Deo inoboedientes obstiterunt (ideo iis tandem inflixit plagam decimam). TM " *et non obstiterunt* „ explicandus esset: *et* [Moses et Aaron] *has plagas Aegyptiis annuntiare et infligere non recusarunt.*

o Numeri romani in his versibus ordinem chronologicum plagarum indicant. Scilicet I. Ex. 7, 14 ss., II. Ex. 7, 26 ss., III. Ex. 8, 12 ss., IV. Ex. 8, 16 ss., V. Ex. 9, 1 ss., VI. Ex. 9, 8 ss., VII. Ex. 9, 13 ss., VIII. Ex. 10, 1 ss., IX. Ex. 10, 21 ss., X. Ex. 11, 1 ss.

Ps. 106 (Vg. 105). Confessio peccatorum populi Israël.

A [1] Alleluia! — Gratias agite Dño, nam bonus est,
nam aeterna est pietas eius.
[2] Quis eloqui poterit potenter facta a Dño,
praedicare universam laudem eius?
[3] Beati qui observant ius,
qui faciunt iustitiam omni tempore!
[4] Recordare mei, Dñe, pro *tua* in populum tuum benevolentia,
visita me salutari auxilio tuo,
[5] Ut laete videam bonam sortem electorum tuorum,
ut gaudeam gaudio gentis tuae,
ut glorier cum plebe tua.

B [6] Peccavimus cum patribus nostris,
deliquimus, impie egimus.
[7] Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua,
obliti sunt multitudinem gratiarum tuarum,
et rebellarunt contra * Altissimum [a] ad Mare rubrum.
[8] Et *tamen* salvavit eos propter nomen suum,
ut manifestaret potentiam suam.
[9] Et comminatus est Mari rubro, et exsiccatum est,
et duxit eos per pelagus velut per campestria.
[10] Et salvavit eos ex manu odientis
et liberavit eos de manu inimici.
[11] Et operuit aqua adversarios eorum,
nullus ex eis superfuit.
[12] Et crediderunt verbis eius,
cantabant laudem eius.

C [13] Cito obliti sunt opera eius,
non exspectarunt consilium eius.[b]
[14] Et indulserunt concupiscentiae in deserto,
et tentaverunt Deum in eremo,
[15] Et dedit illis, quod flagitabant,
sed immisit tabem in intestina [c] eorum.

D [16] Et aemulati sunt Mosi in castris,
et Aaròn, sancto Dñi.
[17] Aperuit terra *os* et degluttivit Dathan,
et operuit coetum Abirám.
[18] Et incendit ignis coetum illorum,
flamma ustulavit impios.

E [19] Fecerunt vitulum in Horeb
et adoraverunt fusile simulacrum.
[20] Et commutaverunt Gloriam suam [d]
cum effigie bovis herbivori.
[21] Obliti sunt Dei salvatoris sui,
qui fecerat tam grandia in Aegypto,
[22] mirabilia in terra Cham, terrifica ad Mare rubrum.
[23] Et iam edixisset ut interimerentur,
si non Moses, electus eius, obstitisset ei in ruptura, [e]
ut averteret indignationem eius a delendo.

F [24] Et spreverunt terram desiderabilem,
[24 b] [non crediderunt verbo Eius,]
[25] et murmuraverunt in tabernaculis suis,
[25 b] [non oboedierunt Deo.]
[26] Et levavit manum suam *iurans* eis,
se eos prostraturum in deserto,
[27] * disiecturum eorum posteros inter gentes
ipsosque dispersurum per terras.

G [28] Et initiati sunt *deo* Beelphegor,
et comederunt sacrificia *deorum* mortuorum.
[29] Et provocaverunt Eum facinoribus suis,
irruitque super eos plaga.
[30] Et exstitit Phinees et iudicium exercuit,
et cohibita est plaga.
[31] Et imputatum est ei in meritum
a generatione in generatione in perpetuum.

H [32] Et iram excitaverunt apud Mê-meriba,
et male evenit Mosi propter eos,
[33] Quia exacerbaverant spiritum eius,
et inconsiderate locutus est labiis suis.
[Hic legatur 24 b et 25 b]

I [34] Non deleverunt populos,
quos indicaverat Dñus iis.
[35] Et commiscuerunt se cum gentilibus
et didicerunt opera eorum.
[36] Et coluerunt idola eorum
fueruntque *ista* iis scandalum.

K [37] Et immolaverunt filios suos
et filias suas daemonibus.
[38] Et effuderunt sanguinem innocentem,
sanguinem filiorum filiarumque suarum,
Quos sacrificabant idolis Chanaan
et polluta est terra sanguinibus.
[39] Inquinaverunt se igitur operibus suis
et foedifragi exstiterunt actibus suis.

40 Exarsitque ira Dñi adversus populum suum
et abominatus est plebem suam.
41 Et tradidit eos in manum gentilium,
et dominati sunt iis osores eorum.
42 Et vexati sunt ab inimicis suis
et subacti potestati eorum.

L 43 Saepenumero liberabat eos,
sed ipsi obnitebantur rebellione sua, [f]
et corruebant per iniquitates suas.
44 Sed respexit tribulationem eorum,
cum audiret lamentationem eorum.
45 Et recordatus est pro ipsis foederis sui
et ad miserendum flexus multa pietate sua.
46 Et effecit ut misericordiam obtinerent [g]
apud omnes qui eos captivos servabant.
47 Salva nos, Dñe, Deus noster, et congrega nos ex gentibus,
ut gratias agere possimus nomini sancto tuo,
gloriari laude tua.

* * *

48 BENEDICTUS DÑUS, DEUS ISRAEL, AB AETERNO IN AETERNUM.
ET DICAT TOTUS POPULUS: AMEN. ALLELUIA. [h]

Argumentum. A) *Exordium lyricum*; B) *multum peccaverunt patres nostri antiquitus, vix ex Aegypto salvati et per Mare rubrum ducti (Ex. 14, 11 ss.)*; C) *peccaverunt in deserto, pravae concupiscentiae indulgentes (Ex. 16*; *17*, 2. *Num. 11)*; D) *peccaverunt in castris, quando Dathan, Abiron atque socii Mosi et Aaroni aemulabantur (Num. 16)*; E) *peccaverunt ad montem Sinai, vitulo aureo adorato (Ex. 32)*; F) *peccaverunt in tabernaculis, de terra promissa iis danda murmurantes (Num. 14, 3 ss. Dt. 1, 26 s)*; G) *peccaverunt in Moab, impio cultu falsum deum colentes (Num. 25)*; H) *peccaverunt in Mê-Meriba, murmuratione sua etiam Mosen ad impatientiam, ad inconsideratum verbum ac fidei defectum lacessentes (Num. 20, 2–13)*; I) *peccaverunt in Palaestina, se cum gentilibus commiscentes (Dt. 7, 1–4*; *Iudic. 1, 28–2, 4)*, K) *et pessima Chanaanaeorum crimina imitantes (Iudic. 2, 12. 16. 19*; *3, 7)*; L) *nihilominus Deus erga populum tam infidelem semper fidelis mansit, eos misericorditer iterum iterumque salvans (cf. Iudic. 2, 16–18)*. — (5, 7, 3; 3, 4, 2, 4, 3; 3, 7, 5 versus ?)

N.B. In textu tradito mediae quinque strophae DEFGH habent 3, 4, 3, 4, 2 versus. Symmetria, quam ex analogia cum aliis psalmis exspectamus, restituitur, si ex stropha media F 2 stichi = 1 versus ad stropham H transferuntur. Eligimus et transferimus per modum coniecturae stichos 24b et 25b, quorum

sensus omnino aptus est ad peccatum Mosis et Aaronis enuntiandum. Potuit de textu aliquid omitti, margini inscribi, dein alio in loco inseri.

Adnotanda. [a] Collato 78, 17. 40. 56 pene certum est pro *ad mare* (*'al-jám* legendum esse *Altissimum* (*'Eljôn*).

[b] Aliqua necessitate oriente, non, uti oportebat, patienter cum fiducia exspectabant, quo consilio et qua providentia Deus eos eripere vellet, sed, morae impatientes, suis concupiscentiis ut satisfieret, exigebant.

[c] Hebraice *in animam eorum*; cf. notam [f] in psalmo 35. Psaltes respicere videtur plagam Num. 11, 33–35 narratam.

[d] Nempe Iahve, gloriosum Deum suum.

[e] Ad litteram: *si non Moses ... stetisset in muri ruptura ante faciem eius.* Milites, ne hostes in urbem ingrediantur, in muri ruptura stant, et pro viribus aggressores arcent ac repellunt; sic Moses ausus est ipsi Deo, iamiam populum deleturo, precando obsistere.

[f] Nomen, quod alias *consilium* verti solet, hic potius a radice *'ṣj* = arab. et syr. *'aṣá* (inoboediens fuit, rebellavit) derivandum esse et *rebellionem* significare videtur.

[g] Ad litteram: *dedit eos misericordiae.*

[h] Versus 48 est doxologia finalis quarti libri psalmorum.

LIBER QUINTUS (Ps. 107-150).

Ps. 107 (Vg. 106). Deus salvator omnium.

A [1] " Gratias agite Dño, nam bonus est,
nam aeterna est pietas eius ! „
[2] dicant liberati a Dño,
Quando eos liberavit ex angustia
[3] et ex terris collegit,
ex Oriente, Occidente, Aquilone et * Austro.

B [4] *Sunt qui* erraverunt per desertum,
in eremo viam ad urbem habitatam non invenerunt.
[5] Famelici *erant* et sitibundi,
animi vigor in iis elanguescebat.
[6] Et clamaverunt ad Dñum in periculo suo,
ex angustiis*que* suis eos eripuit.
[7] Et duxit eos in viam rectam,
ut ire possent ad urbem habitatam.
[8] Gratias agant Dño pro pietate eius,
et pro mirabilibus gratiis eius erga filios
[9] Quod satiavit animam vacuam, [hominum:
et animam famelicam implevit bonis.

C [10] *Sunt qui* sedebant in tenebris et umbra mortis,
captivi *in* miseria et ferro,
[11] Quia contumaces fuerant adversus eloquia Dei
et consilium Altissimi spreverant,
[12] Et curvaverat aerumnis cor eorum,
collapsi erant, nec erat qui subveniret.
[13] Et clamaverunt ad Dñum in periculo suo,
ex angustiis*que* suis eos salvavit.
[14] Et eduxit eos ex tenebris et umbra mortis,
et vincula eorum dirupit.
[15] Gratias agant Dño pro pietate eius
et pro mirabilibus gratiis eius erga filios
[16] Quod fregit valvas aheneas [hominum:
et seras ferreas contrivit.

D [17] *Sunt* vesani per viam suam sceleratam
et *qui* delictis suis se miseros reddiderunt.
[18] Omnem cibum fastidiebat anima eorum,
et iam appropinquabant ad portas mortis.
[19] Et clamaverunt ad Dñum in periculo suo,
ex angustiisque suis eos salvavit.
[20] Misit verbum suum et sanavit eos
et eripuit *eos* ex pernicie eorum.
[21] Gratias agant Dño pro pietate eius
et pro mirabilibus gratiis eius erga filios [hominum.
[22] Et immolent * sacrificium laudis
et narrent opera eius cum iubilo.

E [23] *Sunt* qui conscenderunt mare navibus,
obierunt negotia in aquis immensis.
[24] Hi viderunt opera Dñi
et mirabilia eius in pelago.
[25] Edixit autem et suscitavit ventum procellae,
et alte agebantur undae illius:
[26] Ascendebant ad caelum, descendebant in abyssos,
anima eorum in malis fluitabat.
[27] Circumagebantur et vacillabant ut ebrius,
et tota eorum sapientia absumpta erat.
[28] Et clamaverunt ad Dñum in periculo suo,
et ex angustiis suis eos eduxit.
[29] Sedavit procellam in zephyrum,
et conticuerunt undae * maris.
[30] Et laetati sunt quod silerent,
et bene duxit eos ad portum desideratum.
[31] Gratias agant Dño pro pietate eius
et pro mirabilibus gratiis eius erga filios [hominum.
[32] Et exaltent eum in conventu populi,
et in consessu seniorum laudent eum.

F [33] Mutat fluviosam regionem in desertum
et fontium plenam in aridam,
[34] Terram frugiferam in salsuginem
propter malitiam habitantium in ea.
[35] Mutat desertum in lacum aquarum
et regionem siccam in abundantem fontibus.

[36] Collocat ibi esurientes,
et condunt urbem habitationis.
[37] Et conserunt agros plantantque vineas,
quae proferunt frugum proventum.
[38] Et benedicit eis et multiplicantur valde,
et pecora iis haud pauca tribuit.
[39] Et *quando* pauci facti sunt ac deiecti
a pressura infortuniorum et aerumnarum,
[40] Is qui effundere valet contemptum super principes
eosque errare sinit per avia et devia,
[41] Salvat pauperes ex miseria
et numerosas facit, ceu ovium greges, familias.

G [42] Vident haec probi et laetantur,
omnis vero nequitia obturare debet os suum.
[43] Quisquis est sapiens, observet haec
et consideret gratias Dñi.

Argumentum. A) Prologus: *Gratias Deo agant omnes qui eius pietatem, periculis erepti, experti sunt!* B) *qui, per deserta errantes, rectam viam invenerunt*; C) *qui, in carceres inclusi, liberati sunt;* D) *qui a morbis sanati sunt*; E) *qui post procellas et pericula maris salvi in portum venerunt;* F) *denique filii Israël, quos Deus in regione fertili collocavit in eaque iis benedicit, eos multiplicat ac ditat, atque humiliari quidem et affligi interdum permittit, sed tandem iterum benigne restaurat.* G) Epilogus: *Laete omnes haec Dei beneficia meditentur. — Probabiliter primae partes (B–E) sunt totidem symbolicae descriptiones liberationis populi ex exsilio.* — (2, [19 = 6, 7, 6], [19 = 10, 9], 2 versus).

Adnotandum. Cum plerisque interpretibus psalmum fere totum in forma temporis praeteriti posuimus, ut facta historiae praeteritae narrari videantur. Animadversione vero dignum est, in textu hebraico pleraque et potissima verba enuntiari in forma "imperfecti„ ("futuri„, ut alii loquuntur). Unde mentem psalmistae fortasse melius exprimeret latinum tempus praesens: Homines saepe in talia pericula *incidunt:* tum Deum *invocant*, et his eos clementer *eripit* et eis prosperitatem *tribuit*; quare omnes sic salvati Deo *gratias agant!*

Ps. 108 (Vg. 107). Auxilii divini petitio.

[1]

CANTICUM. PSALMUS DAVID.

(Prologus)

[2] Paratum est cor meum, Déus:
cantare volo et psallere:
parata etiam mens mea.

[3] Eia evigila, nablium et cithara!
excitem*us* auroram! —
[4] Gratias tibi agere velim in populis, Dñe,
et psallere tibi in nationibus,
[5] Quod magna est super caelos pietas tua
et usque ad summum aethera *alta* fides tua. —
[6] Exaltare super caelos, Déus!
et super universam terram *splendeat* gloria tua!

(Carmen)

A [7] Ut eripiantur dilecti tui,
eia subsidium praesta dexterâ tuâ et exaudi me.

B [8] Déus locutus est in sanctuario suo: " Triumphare volo,
partiri Sichimam et vallem Succoth dimetiri.
[9] Mea est *regio* Galaad, mea Manasse,
et Ephraim tegimen capitis mei,
Iudaea sceptrum meum.
[10] Moàb pelvim lotionis meae,
Edòm committo calceamentum meum,
de Philisthaea iubilo „. —

C [11] Quis me perferet ad urbem munitam?
quis me perducet usque in Idumaeam?
[12] Nonne, Déus, reppulisti nos
neque egrederis, Deus, cum exercitibus nostris?
[13] O praesta nobis auxilium contra adversarium,
quoniam inanis est opitulatio hominum. —

D [14] Déo freti agamus fortiter!
et ipse conteret adversarios nostros.

Argumentum. *Praeparato animo ad laudem Dei canendam et ad desiderium amplioris laudis pro novis auxiliis concessis, psaltes* A) *summatim suam precem proponit;* B) *oraculum priscum, quo spes exauditionis excitatur, recolit;* C) *denuo amplius, quid cupiat, eloquitur;* D) *erecto animo firmaque cum fiducia carmen absolvit.* — (Prologus et carmen 1, 3, 3, 1 versuum).

Ceterum confer Ps. 57, 8–12 et 60, 8–14. Ex his enim locis hic psalmus compilatus est.

Ps. 109 (Vg. 108). Servi Dei ab inimicis infestati oratio.

[1] CHORI MAGISTRO. DAVIDIS. PSALMUS.

A * Deus laudis meae ! [a]
noli silere ! [b]
[2] Nam os impium ac dolosum contra me aperuerunt,
locuti sunt mecum linguâ perfidâ.
[3] Et sermonibus odii me circumdederunt,
et impugnaverunt me sine ratione.
[4] Pro amore meo infestant me,
dum ego preces *fundo*. [c]
[5] Et inferunt mihi malum pro bono,
et odium pro dilectione mea.

B [6] " Fac exsistat contra eum impius [d]
et adversarius stet a dextera eius. [e]
[7] Quando iudicatur, exeat condemnatus,
et deprecatio eius sit ' inefficax.' [f]
[8] Fiant dies eius pauci, [g]
munus eius accipiat alius.
[9] Fiant filii eius orphani,
et uxor eius vidua.
[10] Instabiles vagentur filii eius et mendicent,
et quaerant [h] ex vastata domo sua.

C [11] Surripiat creditor omnia quae habet,
et praedentur alieni quae sibi labore comparavit.
[12] Ne habeat aliquem diutius sibi faventem,
neve sit qui se clementem praebeat orphanis eius.
[13] Sit posteritas eius exterminio *devota*,
in generatione * una deleatur nomen * eius.
[14] In memoria sit culpa patrum eius apud Dñum,
et peccatum matris eius ne sit oblitteratum.
[15] Sint ea praesentia Dño semper,
et exstirpet de terra memoriam * eius.

D [16] Pro eo quod non fuit memor faciendae pietatis,
sed persecutus est virum miserum et pauperem,
et afflictum animo, ut *eum* in mortem ageret,

17 Et dilexit maledictionem, vênit ei, [i]
et noluit benedictionem, et recessit ab eo.
18 Et induit maledictionem tamquam amictum suum,
et penetravit velut aqua in viscera eius
et velut oleum in ossa eius.
19 Sit ipsi tamquam vestis qua induatur,
et zona qua se semper cingat „.
20 Hoc est opus infestantium me permissu Dñi, [k] *)
et loquentium mala contra animam meam.

E 21 Tu autem Dñe Domine,
age pro me propter nomen tuum,
* secundum bonitatem pietatis tuae eripe me.
22 Nam miser et pauper sum,
et cor meum vulneratum est in pectore meo.
23 Sicut umbra iam longius extensa abire cogor,
iam excutior ut locusta. [l]
24 Genua mea labant ab inedia,
et caro mea contabescit ‘ emaciata.’ [m]
25 Et ego factus sum ludibrium illis,
me vident et agitant caput suum. [n]

F 26 Auxiliare mihi: Dñe, mi Deus,
salva me pro pietate tua, [fecisse.
27 ut cognoscant tuam manum *in* hoc esse, te Dñe id
28 Maledicunt illi: sed tu benedices,
* insurrexerunt et confusi sunt [o]: sed servus tuus laeta-
29 Induentur ii, qui me infestant, ignominiâ, [bitur.
et amicientur, velut pallio, confusione sua.
30 Gratias agam Dño maximas ore meo,
et in medio multorum eum laudabo:
31 Quod assistat a dextera pauperis,
salvando *eum* a iudicantibus de anima eius.

*) *Vel:* Haec est merces infestantium me, a Dño...

Argumentum. I. Secundum interpretationem communiorem:
A) *Messias in Passione ab ingratis hominibus odio implacabili infestatus, [vel, sensu typice messiano: David, inimicorum implacabile odium sustinens et in hac sua condicione typus Messiae similia passuri], ad Deum preces fundit et de tanto illorum in se odio conqueritur.* — BCD) *Idem Messias uni ex inimicis, Iudae proditori (et complicibus eius Iudaeis, quidam addunt)*

poenas meritas indicit [vel: David perfido proditori, Doëg vel Achitophel, poenas indicit, aut, ut quidam dicunt, imprecatur] : nempe ait fore, ut proditor ille B) *a iudice damnetur, munere suo excidat, praematuré moriatur,* C) *cum eo miseri fiant eius propinqui,* D) *maledictum portet suae malitiae condignum.* — E) *Deinde Messias [vel David] se enixe Deo commendat, atque* F) *ut Deus, Servo suo salvato inimicisque confusis, glorificetur, confidenter precatus, gratiarum actionem sollemnem promittit.*

II. Secundum interpretationem nonnullorum recentium :

A) *Messias [vel David, ut supra] de impiorum in se odio queritur.* — BCD) *Deinde hoc illorum odium ita describit, ut ipsos inimicos loquentes inducat et pessima quaeque sibi optantes describat in vv. 6-19.* — E) *Se Deo commendat, atque* F) *ut sese salvato, inimicis confusis, Deus glorificetur, cum fiducia precatus, gratiarum actionem sollemnem promittit.* — Cfr. de hac interpretatione Notam infra positam. — (5, 5, 5, 5, 5, 5 versus).

Adnotanda. [a] I. e. Deus, quem assidue laudavi et porro (cf. v. 30 s.) laudare desidero.

[b] Hebraeis 'respondere' idem valet quod 'exaudire,' et contra 'silere' idem quod 'inexauditum dimittere.' Idem verbum hebr. etiam verti posset: *ne te praebeas surdum* ad preces meas.

[c] Hebraice cum emphatica brevitate: *ego oratio:* totus sum in orando, nihil aliud habeo quo me defendam, nisi orationem. *Dum ... :* cogita, quid, d u m Christus in oliveto orabat, inimici eius fecerint. Patres hoc plerumque de Christi pro inimicis suis oratione explicabant (*Pater, dimitte illis etc.*); stichi vicini, quibus servus Dei "amorem suum„ in illos bis tantopere effert, hanc explicationem commendant.

[d] *Impius:* inclemens, immisericors. Unus alterve, ne iniustus iudex postulari videatur, legendum censet: *immitte super eum* (puni in eo) *impietatem eius* (*riš'ô*).

[e] *A dextera* accusati stat is qui eum sibi vindicat: nempe a dextera condemnandi stat accusator vel lictor, a dextera innocentis defensor (v. 31).

[f] Ad litteram sonat: *oratio eius fiat peccatum;* id quod saepe explicant: eius sui defensio vel poenarum deprecatio ei pro crimine imputetur. At quia verbum *ḥaṭá'* (peccavit), ut graecum ἁμαρτάνειν, primitus significat 'ab intento scopo aberravit, rem optatam non est consecutus' (cfr. Prv. 8, 36; 19, 2), recte, opinor, cum Nicephoro et Euthymio Zigabeno explicare possumus 'eius oratio sit inefficax' (eine Fehlbitte).

[g] Mox moriatur, sententiâ iudicis exsecutioni mandatâ. Sequentes stichi et versus sequelas naturales talis mortis infamis, quales esse solent, describunt. — Quaecunque interpretatio adoptatur, in commentandis versibus 8 ss. singula non nimis premenda sunt nec minutatim videndum, quomodo singula proditori aut (in interpretatione II) Servo Dei applicanda sint vel in eo verificata. Praestat totum complexum horum versuum considerare ut amplificationem poëticam unius ideae: 'ille moriatur!' Innuitur mors infamis rei condemnati cum iis quae huiusmodi mortem etiam pro propinquis comitari solent. (In interpretatione II hi versus sunt generalis descriptio odii inimicorum, ei quem oderunt pessima optantium).

[h] *Quaerant,* sine obiecto: scil. aliquid, quodcunque demum ibi invenire possint. Est descriptio extremae egestatis, aliquid inter ruinas quaerere. Alii cum LXX malunt legere: *expellantur ex...* (*jiggar.šû*).

i Ita secundum TM. Syr. Aliis praeplacet cum LXX optative legere ***veniat ei, recedat ab eo, induat, penetret.***

k In interpretatione I v. 20 vertendus est: *Haec est merces infestantium me* quam accipient *a Dño.* In altera, II: *Hoc est opus eorum qui me infestant* (a Dño =) *permittente Dño.* David enim inimicorum odia et hostiles actus *a Dño* esse iussa vel permissa censebat (cf. v. 27 et 2 Sam. 16, 10).

l Ut locusta vesti insidens cum contemptu abigitur; vel: ut locustarum agmen vento expellitur.

m Hebr. *sine oleo* vel *sine pinguedine.*

n Cf. Ps 22, 8.

o Ita secundum TM (metrum huic lectioni favet); multi cum LXX legere malunt *qui insurrexerunt contra me, confundantur.*

Nota de varia interpretatione psalmi 109.

1) Ex supra dictis de Argumento psalmi diversa, quae apud commentatores invenitur, ratio interpretandi hoc carmen satis iam patet. Sunt etiam qui psalmum duntaxat ut Davidis contra inimicos orationem vel imprecationem proponant et de sensu typico seu messiano sileant; quae sententia vix sufficit; de aliqua enim messianitate ex Act. 1, 20 constare videtur.

2) Utrum quis psalmum supponat esse directe messianum, esse igitur orationem Messiae patientis a psalmista inspirato quodammodo praevisam (fere ut Ps. 16 et 22; ita Patres et plerique veteres interpretes), an dicat esse directe quidem carmen davidicum, i. e. Davidis pro sese orationem, indirecte autem messianum, quatenus David sit typus Christi similia passuri et similiter precaturi (ita multi recentes), vix quidquam interest. Hoc posteriore sensu supposito nonnulli versus frt. facilius explicantur.

Valde diversam vero indolem hic psalmus nanciscitur, prout quis interpretationem I aut II supra descriptam sequitur, et in I, prout quis poenarum imprecationes aut dumtaxat praedictiones supponit.

Imprecationes Christi contra hostes hoc carmine contineri, Patres et veteres unanimiter negabant, quia Christus patiens, in cuius ore illi omnes psalmum ponebant, fuerit et iam in VT descriptus sit Agnus mansuetus, qui ad victimam ductus non aperiat os suum (Is. 53, 7). Quare illi his versibus vaticinia contineri (in forma imprecationum enuntiata, ut quidam addunt) de sorte futura Iudae vel Iudaeorum docebant (cfr. Verbum Dni. I [1921] 170). — Ex iis quoque qui psalmum a Davide adversus suos inimicos dictum esse censent, aliqui merito veras maledictiones non agnoscunt et solum poenarum indictionem vel comminationem admittunt, quandoquidem psalmus est secundum ipsos typus orationis Christi patientis, suis adversariis non maledicentis, et quia David revera in iis occasionibus, ubi Messiae patientis typum agebat, mansuetum et mitem se erga inimicos praebebat (cf. 1 Sam. 24, 10–20; 26, 8 ss.; 2 Sam. 16, 5–12). Sunt tamen inter recentes, qui tales imprecationes, " iuxta indolem VT „ Davidi tribuant easque modo consueto explicent aut iustificent.

3) Alio modo, iisdem rationibus nitentes, recentiores quidam maledictiones ex psalmo excludunt, scil. per interpretationem supra sub II descriptam. Versibus 6–19 aiunt non contineri verba ex psaltae vel Messiae mente dicta, sed

verba inimicorum a psalte vel Messia orante allata ad describendum illorum in se odium, illos versus esse " sermones odii „ quibus adversarii servum Dei circumdederint (v. 3); quasi in v. 6 scriptum sit " *Fac, inquiunt, ut exsistat contra eum impius* etc. „.

Rationes, quibus hanc sententiam fulciunt, sunt ferme hae: *a*) Verba psalmi, aiunt, possunt ita explicari; etenim alibi quoque in psalterio verbis psaltae sermones aliorum intermiscentur (35, 20; 71, 11 al.), nonnunquam sine formula introductionis (2, 3. 5; 91, 14; 104, 15 al.), ita ut ex contextu solum cognosci possit, quis loquatur. — *b*) Ipsa psalmi verba ad hunc interpretandi modum invitant. Etenim α) si versus 6–19 ut poenarum indictio considerantur, indoles psalmi mansuetissime incepti et finiti in medio mutatur in contrarium: precibus mitissimis ex abrupto comminatio vel iudicialis sententia severissima intermiscetur; ita vero unitas psychologica et poëtica carminis valde laeditur. β) Ipse tenor et color versuum 6–19 est talis, ut facilius explicentur velut verba inimicorum, quam ut verba servi Dei iudicium pronuntiantis. γ) In v. 3 et 28 querela fit de " sermonibus odii „ et de maledictionibus inimicorum; id quod in hac interpretatione II facile patet, difficilius in altera, ubi servus Dei ipse versus 6–19 pronuntiat ut verba sua, inimici vero loquentes non fiunt. δ) Verba v. 21 " *tu autem, Dñe, age pro me* etc. „ sic bene intelleguntur post v. 20 ubi de aliis sermo erat, qui haud ita cum eo agunt. ε) In hac explicatione statim patet, cur, cum vv. 1–5 multi adversarii supponantur, deinde 6–19 tamen uni soli maledicatur (nempe inimici servo Dei imprecantur); in altera sententia nos latet, cui uni poenae indicantur; saltem exspectaremus, illum unum ceteris magis reum eiusque crimen indicari, ut alibi fit (41, 10; 55, 14). ζ) Hoc sensu lectus, psalmus cum aliis, Messiae patienti attributis (Ps. 16. 22), multo magis congruit. Fit pulcherrima Servi Dei patientis oratio, quam cum eo et cum Ecclesia iucundum est recitare. Nullum iam verbum occurrit, quod audire vel ex animo pronuntiare ingratum sit. η) Si observatur, quod in Adnotandis sub g monuimus, in explicatione singula non nimis premenda esse, expositio non est adeo difficilis. Quodsi animadvertitur, odium inimicorum Christi continuari eoque eius Sponsam Ecclesiam, huiusque filios, fideles, infestari, etiam versus 9 s. suo significatu non carent. Si aliqui ex his versibus pro inimicis impiis nimis pie sonant, hoc hypocritis (*os dolosum*, v. 2) congruit. Et in vita Davidis facile aliquid accidere potuit, ut inimici sibi etsi iniuste viderentur dicere posse v. 16. — *c*) Neque obstat huic sententiae Act. 1, 20 ubi, ut videri potest, Petrus versum 8 *b* de Iuda praedictum supponit. Neque enim ex brevissima epitome sermonis Petri clare elucet, quomodo apostolus locos citatos in argumentatione adhibuerit. Potuit enim v. gr. dicere: " Oportuit (ἔδει graece, v. 16) impleri in Christo omnia de eo praedicta in Psalmis, praesertim praedicta de eius Passione; ergo necesse fuit, ut fieret obiectum odii ingratorum hominum, qui ei (ut David in Ps. 109 vaticinatur) pessima quaeque imprecantur et inferrent. Sed non minus oportuit impleri, quae in psalmis de Messiae gloria scripta sunt. Maledicta inimicorum Servi Dei in ipsos recidere oportuit (Gen. 12, 3. Ps. 7, 17; 37, 22 al.); in ipso psalmo 109 Servus Dei spem exprimit fore, ut inimici ignominia induantur (v. 28 s.): id quod iam in Iuda impletum videmus etc. „ — Neve dicas sic in v. 29 etiam Servum Dei maledicere. Si enim verba 18 s. et 28 s. bene comparentur, vides, dum inimici optant ut Servus Dei maledicto velut

veste induatur, hunc (vitato maledicti vocabulo) solum exspectare fore, ut illi ignominia et confusione induantur, i. e. eorum conatus irritentur.

Omnes hae rationes simul sumptae quoddam momentum habent ad interpretationem II considerationi commentatorum commendandam. Eam inde a duobus saeculis fere triginta interpretes proposuerunt, ex catholicis M. Marino, X. Mattei, P. Bonsi, L. Pezzoli, Bertrand, F. Viguier, M. Wirth, Hammond, A. Messio, auctor huiusce opusculi (Z. f. kath. Theol. 37 [1913] 413 ss.), P. Boylan, P. Riessler, F. Stummer, Th. Paffrath (qui tamen vv. 16-19 servo Dei tribuit maledicta inimicorum regerenti); ex acatholicis inter alios Lowth, Kennicott, Michaelis, Graetz, Westcott; apud Iudaeos haec interpretandi ratio a compluribus dicitur esse sat communis. — Altera vero interpretatio huic et numero auctoritate defensorum praevalet.

Ps. 110 (Vg. 109). Christus rex sacerdos.

[1] DAVIDIS. PSALMUS.

A Dixit Dñus domino meo: [a]
" sede a dextris meis,
Donec ponam inimicos tuos
scabellum pedum tuorum „. [b]
[2] Sceptrum potestatis tuae protendet Dñus ex Sion:
dominare in medio inimicorum tuorum. [c]

B [3] Populus tuus sponte se tibi offert die virtutis tuae in or- [natu sacro,
ex utero aurorae tibi est ros iuventae tuae. [d]

C [4] Iuravit Dñus et non paenitebit eum: [chisedech „. [e]
" tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Mel-

D [5] Dominus a dextris tuis est:
confringit die irae suae reges.
[6] Iudicat in nationibus, scatet *regio* cadaveribus,
confringit capita in terra 'longe lateque.' [f]
[7] " De torrente in itinere bibet,
propterea exaltabit caput „. [g]

Argumentum. *In psalmo 16 David praedixit Christi passionem, mortem, resurrectionem assumptionemque in gloriam ad dexteram Patris. In psalmo 2 Deus Pater Filio suo tamquam regum regi omnes principes populosque terrae subdit ac rebellibus obstinatis iudicium irae et interitum minatur. In hoc*

psalmo 110 rex-propheta nobis vaticinari videtur de tempore medio inter Christi ascensionem et iudicium extremum. Etenim A) *hoc tempore Christus sedet gloriosus ad dexteram Patris, dum interea regnum Dei ab eo fundatum " in medio inimicorum „ subsistit et crescit, ita autem ut nunquam plane desint ex parte mundi et inferni infestationes et persecutiones;* B) *simul tamen in hac periodo plurimi fideles se Christo voluntarie totos offerunt, pro Dei regno ac causa Christi pugnaturi [secundum LXX - Vg vero: hic Christi principatus ei, utpote Filio Dei unigenito, iure competit];* C) *interim Christus, quemadmodum olim Melchisedech rex, etiam sacerdotali munere fungitur, i. e. pro hominibus apud Deum intercedit, placabile sacrificium offert, populum expiat ac sanctificat;* D) *tandem suo tempore veniet dies illa in v. 1* (donec ponam *etc.*) *promissa, qua Christi inimici subicientur, omnes iudicabuntur, Christus plene triumphabit.* — (3, 1, 1, 3 versus).

Adnotanda. [a] Hebraei virum honoratiorem, praesertim regem, alloquuntur voce " dominus meus „ ; in tali allocutione " *dominus meus* „ est idem ac *tu, mi domine*, dativus " *domino meo* „ = *tibi, mi domine* etc. (cf. Gen. 32, 6; 33, 13-15. 1 Sam. 25, 25 ss. 2 Sam. 1, 10 al.). Quia igitur psaltes Messiam alloquitur, ut ex v. 2 patet, verba carminis prima ita circumscribenda sunt: " *sic dicit Iahve tibi, mi domine* „. Et quoniam nullus pater sine speciali ratione filium suum ita alloquitur, ut eum dominum suum appellet, merito Christus Pharisaeos ex his verbis psalmi ratiocinari iussit, Messiam esse aliquid altius et dignius quam dumtaxat Davidis filium.

[b] Bis binis homoeoteleutis (*ladonî, liminî*; *oj.bêka, l.raglêka*) v. 1 clare et audibiliter in 4 stichos seu 2 versus divisus est.

[c] Dum Christus ad Patris dextram sedet, eius in terra regnum exsistit et extenditur, semper quidem ab inimicis circumdatum, sed item semper a Deo protectum, cuius tutelae divinae symbolum est sceptrum divinum a Patre protensum: " portae inferi non praevalebunt „.

[d] De versu tertio cf. notam infra positam.

[e] *Secundum ordinem* (modum, ritum) *Melchisedech:* ut enim hic regiam et sacerdotalem dignitatem in se coniungebat, ita Christus in suo regno erit populi sui rex ac sacerdos: postquam crucis sacrificio nos redemit, in caelis " semper vivens ad interpellandum pro nobis „ (Hebr. 7, 25), in terra per Missae iuge sacrificium ac sacramenta et per ministerium eorum, qui eius nomine sacerdotio funguntur, plebem sanctificans.

[f] Evidenter in ultima stropha illa subiectio inimicorum versu 1 promissa, illa " dies irae „ et iudicii (v. 5; cf. 2, 12) describitur. Quia Deus v. 1 Messiae dixit *sese* inimicos subiecturum, verba in v. 5 s. ita interpretanda sunt, ut Deus tamquam is cogitetur qui hostes confringat, nationes iudicet. — *A dextris tuis est*, te defendens, ad victoriam ducens. — Quod hoc iudicium describitur tam severum, cruentum multisque perniciosum, est tristissima generis humani ipsius culpa. Ita psaltes inspiratus scribere debuit, quia — ut historia docet — revera futurum erat, ut multi populi et principes Christum non agnoscerent dominum, quin etiam ut alii, postquam ei aliquamdiu servierunt, rursus ab eo, atque a Deo ipso, deficerent dicerentque: " dirumpamus vincula eorum, et proiciamus a nobis iugum ipsorum „ (Ps. 2, 3).

[g] Ultimum versum omnes, quod sciam, quamquam novum subiectum non nominatur, ad Messiam referunt, non uno tamen modo explicant. Nonnulli di-

cunt: in regionibus torridis Orientis viatori quivis haustus aquae, etiam ex torrente in via, est maxime optabilis, dat enim viatori vel militi novum robur; unde eo quod Messias hic dicitur ex torrente in via bibiturus, promittitur sub hac imagine, ei robur auxiliumque divinum numquam defuturum, donec victoriâ obtentâ erigat caput. Aliis rex et militum dux in via ut quilibet militum suorum ex torrente bibens videtur esse imago Christi nobis similis facti, pro nobis humiliati, sed pro hac humiliatione deinde a Patre exaltati. Chrysostomus " Hinc ostendit, inquit, humilem ac vilem eius [sc. Christi] vivendi rationem, quod sine fastu fuit, tenuem victum ducens atque adeo tenuem, ut ex torrente biberet: deinde ostendens quod sit huius humilis vitae praemium, subiecit: *propterea exaltabit caput:* ad ineffabile eum humilitas et austera vita evexit praemium „. Magis de ipsa passione et morte Christi torrentem explanat S. Hieronymus et multi post eum, quia torrens habeat suas aquas " de tempestatibus, de pluviis, de procellis „. — Nobis psalmus aptissime ita absolvi videtur, ut ultimus versus rursus ut effatum Dei ponatur. Est vox Dei Patris in fine iudicii finalis Christum (et Christi fideles) pro humiliatione et labore certaminis ad gloriam et praemium vocantis: Christus *de torrente in via bibebat, propterea nunc exaltabit caput.*

De versu tertio nota.

Versus tertii textus critice certus non habetur, sed iam antiquitus versiones et lectiones satis variantes. Quarum praecipuas apposuisse sufficiat.

a) Textus massoreticus habet: ***Populus tuus sponte se tibi offert*** (ad litteram: est dona spontanea) ***die virtutis tuae in ornatu sacro: ex utero aurorae tibi est ros iuventae tuae.***

b) S. Hieronymus eundem textum ita vertit: ***Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuae in montibus sanctis*** (legit igitur *b.har.rê qódeš*): ***quasi de vulva orietur tibi ros adulescentiae tuae*** (*mšḥr* videtur habuisse pro participio verbi a *šàḥar* 'aurora' derivati; probabiliter *m.šaḥér* 'mane oriens').

Sensus talis lectionis est fere hic: Quia Christus inimicos habet nondum subiectos (v. 1. 2), donec hi subicientur, semper certamen erit contra Christum et pro Christo: ad hoc certamen pro Christo, ad hunc 'diem virtutis,' se innumerabiles (roris guttis numero comparabiles) iuvenes generosi sponte offerent. Idea sane pulchra, contextui apta, vera, a Doctore Maximo in sua psalmorum versione, quam usui ecclesiae romanae destinaverat, adoptata et approbata: omni igitur consideratione digna.

c) LXX omnesque versiones ecclesiasticae ab illis dependentes, inter quas Vulgata latina: ***Tecum principium*** (i. e. ἡ ἀρχή, principatus) ***in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum*** (v. l. add. *tuorum*): ***ex utero ante luciferum genui te.*** Sensus est Christo prorsus conveniens: ipsi principatus et imperium, potissime olim die gloriae eius manifestandum, convenit utpote Filio Dei naturali ex Patre genito. Hic textus ex LXX petitus et in tota Ecclesia christiana, occidentali et orientali (sola ecclesia Syrorum excepta), propagatus atque a Doctoribus et commentatoribus profundius est penetratus et explicatus. (***Difficultates*** huius versionis: potestne *ndbt [n.dîbût ?]* significare principatum? *rèḥem* (alias: uterus maternus) dici de Deo Patre? praepositio *mín* 'ab, ex, magis quam'

verti per πρό, *ante*?) Hoc — ut videtur, splendido — textu pro demonstranda divina natura Christi auctores NTi nunquam sunt usi, sine dubio ideo, quia in libro psalmorum hebraico non ita legebatur ac propterea fundamentum argumenti, quod Iudaeis persuaderet, esse non poterat.

d) Versio syriaca: *Populus tuus laudabilis in die virtutis: in splendoribus sanctitatis ex utero ab antiquo te puerum genui.*

Ps. 111 (Vg. 110). Magna sunt opera Domini.

A

א [1] ALLELUIA! Celebrare volo Dñum toto corde,
ב in conventu proborum et congregatione.[a]

B

ג [2] Magna sunt opera Dñi,
ד studio digna omnium qui iis delectantur.
ה [3] Gloriâ et magnificentiâ *splendet* opus eius,
ו et beneficentia eius permanet in saecula.
ז [4] Memoriam fecit mirabilium suorum,[b]
ח misericors et clemens est Dñus.

C

ט [5] Escam dedit timentibus se,
י recordans perpetuo foederis sui.
כ [6] Potentiam operum suorum manifestavit populo suo,
ל donando ei possessionem gentilium.

D

מ [7] Opera manuum eius[c] sunt fides et iustitia,
נ firma sunt omnia praecepta eius,
ס [8] Stabilita in saecula, in aeternum,
ע facta cum fide et probitate.
פ [9] Redemptionem misit populo suo,
צ sanxit in aeternum foedus suum,
ק sanctum et venerabile est nomen eius.

E

ר [10] Principium sapientiae est timere Dñum,
ש intellegentiam bonam habent quicunque *id faciunt;[d]
ת laus Eius permanet in saecula.

Argumentum. A) *In coetu piorum laudabo Deum:* B) *magna enim sunt opera eius,* C) *praesertim populi mirabile iter per desertum et introitus in*

Terram ei donatam, D) *ac legislatio sacra foedere firmata ;* E) *hunc Deum timeamus, ei oboediamus, eum laudemus !* — (1, 3, 2, 3, 1 versus).

Adnotanda. [a] *j.šarîm* (probi) in poësi saepe vices gerit nominis Israël, propter etymologiam, ut videtur popularem : Jiśra'él = *jišrê-EL* ' probi Dei.' In conventu privato (*sôd*) et publico (*'edáh*) laudare vult Deum.

[b] Opera fecit immortali memoriâ digna ; secundum alios : festa instituit, in quibus mirabilium Dei operum memoria recolitur.

[c] Res a Deo gestae pro populo suo.

[d] Hebr. *omnes eum,* sc. timorem Dei, *facientes,* eum in agendo prae oculis habentes. — Hi *intellegentiam bonam habent,* i. e. se vere sapientes esse ostendunt.

Ps. 112 (Vg. 111). Beatitudo viri iusti.

A

א [1] ALLELUIA. Beatus vir, qui timet Dñum,
ב *qui* mandatis eius delectatur valde ! —

B

ג [2] Potens in terra erit posteritas eius,
ד generationi proborum benedicitur.
ה [3] Opes et divitiae sunt in domo eius,
ו et beneficentia eius [a] manet in saeculum.
ז [4] Exoritur in tenebris [b] *ut* lumen probis,
ח *vir* misericors et clemens et iustus.
ט [5] Bene est viro qui clementer tribuit et commodat,
י *qui* sustinet res suas per iustitiam. —

C

כ [6] Profecto in aeternum non corruet,
ל in memoria aeterna erit iustus.
מ [7] A nuntio malo non timet, [c]
נ firmum est cor eius, confisum in Dño.
ס [8] Constans est cor eius, impavidum,
ע donec *tandem victos* videbit adversarios suos.
פ [9] Distribuit, donat pauperibus,
צ beneficentia eius manet in saeculum,
ק cornu eius exaltatur gloriose. [d] —

D

ר [10] Impius id videt et succenset,
ש dentibus suis frendit et tabescit:
ת desiderium impiorum peribit.

Argumentum. A) *Beatus est vir timens Deum:* B) *nam (positive) potens, dives, felix est,* C) *et (negative) infortunia et hostium impetus non est cur timeat, immo aliis benefacere potest*; D) *haud ita impius.* — (1, 4, 4, 1 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *iustitia eius:* hic et in v. 9 parallelismo stichorum patet, hoc vocabulo includi et significari *beneficentiam*, facultatem et promptitudinem ad beneficia aliis praestanda (de hoc sensu nominis cf. Sir. hebr. 3, 30 [Vg. 33]; 7, 10 al.).

[b] I. e. iustus in aerumnis, periculis, infortuniis aliis est consolator et auxiliator. Secundum alios iustis se, ut lumen beatificans, manifestat Deus misericors et clemens et iustus.

[c] Infortunia vel nulla ei nuntiantur vel, si nuntiantur, bene scit nihil fieri nisi volente vel permittente Deo.

[d] Cornu, quod multorum animalium est ornamentum simul et tutamentum, poëtis Hebraeorum est imago usitata prosperitatis, gloriae, potentiae. Ceterum *qèren* etiam 'frontem' hominis denotat, ita ut verti possit: *frons eius se erigit gloriose*, numquam pudefactus erubescit.

Ps. 113 (Vg. 112). Laus Altissimi erga humillimos tam benigni.

A [1] ALLELUIA. Laudate, servi Dñi,
laudate nomen Dñi.
[2] Sit nomen Dñi benedictum amodo et usque in aeternum,
[3] ab ortu solis usque ad occasum laudatum nomen Dñi.

B [4] Excelsus est super omnes gentes Dñus,
super*at* caelos gloria eius: [a]
[5] quis est par Dño, Deo nostro?
Qui tam alte sedet,
[6] qui ad humilia despicit [b]
in caelis et in terra!

C [7] Qui erigit ex pulvere inopem,
ex stercore elevat pauperem, [c] [populi sui:
[8] sedem ei conferens cum principibus, cum principibus

9 Qui facit sterilem familiâ carentem [d]
sedere matrem filiorum laetam. [*]

Argumentum. A) *Laus sit Deo perpetua;* B) *qui cum ipse sit infinitae celsitudinis, humilia respicere dignatur,* C) *quin etiam infimos erigit, tristissimos reddit laetos.* — (2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Deus est excelsior, excellentior omnibus qui et quae in terra et in caelo inveniuntur.

[b] Ad litteram: *humiliter* seu profunde *respicit.* Quia infinito Deo non solum terricolae humiles sunt, sed vel summi caeli incolae, rectissime ad humilia despicere dicitur *in caelis et in terra.*

[c] Pulvis et stercus sunt imago infimae et abiectissimae condicionis.

[d] Hebr. *infecundam domûs:* probabiliter = eam quae, cum sterilitate laboret, domum, i. e. liberos, non habet.

Ps. 114. 115 (Vg. 113 A. B.). Israël merito in Iahve, uno vero Deo, confidit.

114, 1 * ALLELUIA !

A Cum emigrasset Israël ex Aegypto,
domus Iacob ex populo barbaro,
2 Facta est Iuda sanctuarium eius,
Israël imperium eius. [a]
3 Mare id vidit et fugit,
Iordanes versus est retrorsum.
4 Montes subsilierunt velut arietes,
colles velut agnelli.
5 Quid est tibi, mare, quod fugis,
Iordanes, *quod* te vertis retrorsum,
6 Montes, *quod* subsilitis velut arietes,
colles, velut agnelli?
7 Adveniente Domino contremisce, terra,
adveniente Deo Iacób,
8 Qui convertere valet petram in lacum aquae,
silicem in fontem aquae. [b] —

115

B 1 Non nobis, Dñe, non nobis,
sed nomini tuo da gloriam
per pietatem tuam, per fidem tuam. [c]

[2] Cur dicant gentiles :
" ubinam est Deus eorum ? „,
[3] Deus noster in caelo est,
qui omnia quae vult facere valet ? —

C [4] Illorum idola sunt argentum et aurum,
opificia manuum hominum :
[5] Os habent, et non loquuntur,
oculos habent, et non vident,
[6] aures habent, et non audiunt ;
Nasum habent, et non odorantur,
[7] manus eorum non palpant, pedes eorum non ambulant,
non mussitant gutture suo.
[8] Similes illis sint [d] qui ea fecerunt,
omnis, qui confidit illis ! —

D [9] * Domus Israël * confidit in Dño :
adiutor ac defensor eorum est. [e]
[10] Domus Aaron * confidit in Dño :
adutor ac defensor eorum est.
[11] Qui timent Dñum [f] * confidunt in Dño :
adiutor ac defensor eorum est. —

E [12] Dñus memor est nostri,
* et benedicit nobis.
Benedicet domui Israël,
benedicet domui Aaron,
[13] Benedicet timentibus Dñum,
tam pusillis quam magnis.
[14] Augeat Dñus vos,
vos ipsos ac filios vestros.
[15] Benedicti sitis a Dño,
qui fecit caelum et terram !
[16] Caeli sunt caeli Dño,
terram vero dedit filiis hominum.
[17] Non mortui laudant Dñum, [g]
nec omnes qui descenderunt in Silentium. [h]
[18] Nos vero benedicimus Dño
amodo usque in aeternum. [*]

Argumentum. *In aliquo periculo ex parte gentilium imminente psaltes Israëlitas facit orantes :* A) *Gloriosi illis temporis prisci recordemur, quo nostri*

maiores, Deo comitante magnaque patrante miracula, terra promissa potiti sunt; B) *utinam Deus nunc similiter se glorificet nec suum populum a gentilibus irrideri patiatur;* C) *quam inanes sunt dii gentilium, tam impotentes ad nocendum sint gentiles!* D) *omnis vero spes nostra et securitas est reposita in Domino*; E) *hic Deus, ut hucusque nobis benedixit, benedicere pergat, ut grati eum laudare possimus.* — (8, 3, 4, 3, 8 versus).

Adnotanda. [a] Terra promissa, regio Iuda et Israel tota, facta est populi electi territorium sacrum (ubi solus Iahve, verus Deus, omni idololatria deleta et exclusa, colendus erat), huiusque populi proprium dominium.

[b] I. e. qui facillime efficere potest, ut, ubi antea non fuerant nisi petrae aridae et lapides, nunc exsistat regio aquosa ac fertilis.

[c] Hebr. ... *da gloriam* [fundatam] *super pietatem, super fidem tuam.* I. e. fac ut pro exhibita nobis pietate ac fidelitate tibi gratias agere ac nomen tuum glorificare possimus.

[d] Sint (vel: erunt) aeque incapaces atque idola, quae colunt, ad nobis nocendum.

[e] Pronomen "*eorum*„ suadet, in vv. 9–11 etiam priorem stichum legendum esse "in 3ª persona„, ergo assertive, non imperative.

[f] *Timentes Dñum*, quoniam in v. 9 s. iam omnes Israëlitae commemorati sunt, videntur esse proselyti, qui cum Israelitis unum verum Deum colebant (cf. Act. 16, 14; 18, 7 al.; 3 Reg. 8, 41 ss.).

[g] Cfr. ad 6, 6.

[h] *In Silentium:* in sepulcrum, in orcum.

Ps. 116 (Vg. 114. 115). Hominis a morte praeservati gratiarum actio.

A [1] * ALLELUIA. Diligo: nam audit Dñus vocem precum mearum,
[2] nam inclinavit aurem suam mihi, * quando *eum* invo- [cabam.
[3] Circumplexi me erant funes Mortis,
et laquei Orci me attigerant,
in angores et aerumnas incideram.
[4] et nomen Dñi invocabam:
"eia! Dñe! eripe animam meam!„
[5] Clemens est Dñus et iustus,
et Deus noster ad miserendum pronus.
[6] Servat simplices Dñus:
inops sum, et mihi salutem praestabit.
[7] Revertere, anima mea, ad tranquillitatem tuam,
nam Dñus providet tibi.

[8] Revera * eripuit animam meam e morte,
oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.
[9] Ambulabo coram Dño
in regionibus vitae.

B [10] Credo,[a] quando loqui debeo:
" ego miser factus sum valde „ ;
[11] Ego dixi in consternatione mea:
" omnis homo est fallax „.[b]
[12] Quid retribuam Dño
pro omnibus eius beneficiis erga me?
[13] Calicem salutis accipiam
et nomen Dñi proclamabo.[c]
*[[14] Vota mea Dño persolvam coram toto utinam populo eius.]
[15] Pretiosa *res* est in oculis Dño
mors sanctorum eius.[d]
[16] Eia, Dñe! quia sum servus tuus,
sum servus tuus filiusque ancillae tuae,[e]
cui solvisti vincula,[f]
[17] Tibi sacrificabo hostiam laudis
et nomen Dñi proclamabo.
[18] Vota mea Dño persolvam coram toto utinam populo eius,
in atriis domus Dñi, in medio tui, Ierusalem. [*]

Argumentum. *Psaltes, ex magno vitae periculo ereptus, se in amore ac fide erga Deum renovatum sentit et ex toto corde ei gratias agit.* A) *Diligo, i. e. Deum didici denuo diligere et in perpetuum diligam; nam in magno discrimine, cum eum fiducialiter invocassem, ab eo servatus sum vivus.* B) *Credo, i. e. denuo didici Deo soli credere et fidere; nam in illa miseria meam omniumque hominum imbecillitatem et fallaciam expertus sum, sed item expertus sum Dei erga pios bonitatem ac providentiam; proinde huic pio Deo ac Domino meo publice volo gratias agere votaque persolvere.* — (8, 8 versus).

Adnotanda. [a] Verbum *credendi* in S. Scr. ideas credendi et confidendi, fidem ac spem complectitur. *Credo*, i. e. iterum didici Deo credere ac fidere.

[b] In maxima miseria animique consternatione, cum neque ipse me salvare possem et hominum fallaciam, qui salvare nolebant aut nequibant, experirer, Deo soli fidere, hominibus diffidere coepi. Deo soli salutem meam adscribere debeo.

[c] Sors alicui divinitus assignata consideratur ut calix ei ad bibendum oblatus (cf. 11, 6; 16, 5. Mt. 26, 39 al.). Is cui ab aliquo poculum pretiosi liquoris offertur, non potest quidquam facere datori gratius, quam acceptare, bibere, donatoris bonitatem palam profiteri. Idem facere desiderat psaltes.

[d] Res in oculis Dei gravissima, res igitur peculiaris curae ac providentiae, est *mors (hammáwta) sanctis eius (laḥăsîdâw) immittenda.* Quando pii cultores

Dei in vitae periculo versantur, Deus veluti cum maiore solito providentia considerat, sitne eorum mors permittenda necne.

e Ancillae (servae) filius ex antiquo iure inde a primo vitae momento erat domini servus, et a matre docebatur herum timere, colere, se totum eius servitio mancipare. Ita psaltes, nationis a Deo electae filius, se sentit a primo vitae momento usque ad ultimum ad servitium Dei obligatum.

f Ut aliquando herus clemens alicuius servi vincula solvebat, ita Deus servi sui vincula (cf. v. 3) solvit eumque sibi sic novo beneficio obstrinxit.

Ps. 117 (Vg. 116). Omnes gentes Iahve, unum verum Deum, collaudent.

1 ALLELUIA. Laudate Dñum, omnes gentes,
collaudate eum, omnes nationes.
2 Nam [a] potenter se manifestat super nos pietas eius,
et fidelitas [b] Dñi manet in aeternum. [*]

Argumentum. *Pro pietate ac fide Dei populo Israël exhibita, cuius secundum promissiones divinas olim patriarchis factas (Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14) omnes gentes participes fieri debent, universae nationes ad laudandum unum verum Deum invitantur. Eodem sensu ac spiritu, quo olim Israëlitae, nunc nos, verae Ecclesiae filii, hoc carmen recitabimus pro omnibus in terra populis, quibus eae gratiae item destinatae sunt, quibus nos iam fruimur. Cfr. Rom. 15, 9-12.*

Adnotanda. a Pietas ac fides divina Israëlitis impensa tum tantum proponi possunt gentibus ut ratio impulsiva (*nam*) laudandi Dominum, si promissio patriarchis facta de benedictione omnium populorum per semen Abrahae clare prae oculis habetur: Deus suo populo insignes gratias confert, volens ut ceterae quoque gentes earum consortes fiant.

b Vis vocabuli hebraici *ĕmèt* una voce latina exhauriri non potest: correspondet vocibus latinis *veritas, veracitas, fides, fidelitas, benignitas.*

Ps. 118 (Vg. 117). Post victoriam sollemnis in templo gratiarum actio.

A 1 * ALLELUIA. Gratias agite Dño, nam bonus est,
profecto aeterna est pietas eius.
2 Dicat iam Israël:
profecto aeterna est pietas eius.
3 Dicat iam domus Aaron:
profecto aeterna est pietas eius.
4 Dicant iam timentes Dñum: [a]
profecto aeterna est pietas eius.

B [5] Ex angustia invocavi Dñum :
exaudivit me et expedivit Dñus.
[6] Dñus est pro me : non timeo ;
quid faciant mihi homines ?
[7] Dñus est pro me tamquam auxiliator meus :
ego igitur *victos* videbo osores meos.
[8] Melius est confugere ad Dñum quam fidere hominibus,
[9] melius confugere ad Dñum quam fidere principibus.

C [10] Omnes gentiles circumvenerunt me :
nomine Dñi fretus, io ! eos perimo !
[11] Circumdederunt ac circumvenerunt me :
nomine Dñi fretus, io ! eos perimo !
[12] Circumdederunt me velut apes,
'adusserunt' [b] ut ignis spinas :
nomine Dñi fretus, io ! eos perimo !

D [13] * Pulsus, impulsus sum ad cadendum,
sed Dñus auxiliatus est mihi.
[14] Fortitudo mea et psalmodia mea est Dñus,
et fuit pro me, ad victoriam.

E [15] En vox iubili et victoriae in tabernaculis iustorum :
" dextera Dñi fecit virtutem !
[16] Dextera Dñi excelse egit !
dextera Dñi fecit virtutem ! „

F [17] Non moriar, sed vivam,
ut narrare possim opera Dñi.
[18] Castigavit, castigavit me Dñus,
sed mori me non sivit.

G [19] Aperite mihi portas iustitiae, [c]
ingrediar per eas, gratias acturus Dño.
[20] Haec est porta Dñi :
iusti ingrediantur per eam !
[21] " Gratias tibi ago, * Dñe, quod exaudisti me
et fuisti pro me, ad victoriam „.

H [22] Lapis, quem reprobaverant aedificantes,
factus est lapis angularis. [d]

[23] A Dño factum est hoc ;
mirabile est in oculis nostris.

[24] Hic est dies, quem fecit Dñus:
exsultemus et laetemur de eo!
[25] Eia Dñe! victorias da, quaesumus![e]
eia Dñe! prosperitatem da, quaesumus!

I [26] Benedictus, qui*squis* intrat, in nomine Dñi!
benedicimus vobis ex domo Dñi.
[27] Deus est Dñus, et lucem praebuit nobis:[f]
ordinate pompam condenso agmine usque ad cornua [arae.[g]
[28] " Deus meus es tu, et tibi gratias ago,
Deus meus *es*: exalto te „.
[29] Gratias agite Dño, nam bonus est,
profecto aeterna est pietas eius.

Argumentum. *Post victoriam de hostibus reportatam (cf. vv. 10–16), vel, ut complures recentes autumant, in dedicatione secundi templi post superatos hostiles adversariorum conatus, populus cantat:* A) *Gratias agamus Deo,* B) *auxiliatori omnipotenti,* C) *cuius nomine freti adversarios undique prementes vicimus;* D) *incassum illi nos interimere conati sunt;* E) *quare resonat laete iubilus noster,* F) *qui castigati a Deo sumus, sed etiam salvati;* G) *quare in templum ingressi gratias Deo agamus;* H) *vere hic est dies triumphi a Domino factus;* I) *Ipsi proinde in templo festiva pompa debitas gratias agamus.* — (4, 4, 3, 2, 2, 2, 3, 4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Proselyti, ut 115, 11. 13.

[b] Verbum *dô'ăkû* nobis videtur adhuc describere active (Po'el!) conatus hostiles: *ut ignis spinas,* hostes populum Israël *adusserunt* (vel simile quid; LXX ἐξεκαύθησαν: cfr. arab. *dá'aka* trivit, *dâ'aka* conflixit cum aliquo). Alii verbum at Pu'al considerant et interpretantur: *exstincti sunt ut ignis spinarum.*

[c] Portae templi sunt *portae iustitiae,* quia Deus ingredientibus per eas iustitiam, sanctitatis gratiaeque suae dona, largiri vult. Solum *iusti* per eas intrent: cf. Ps. 15 et 24.

[d] Verba huius versus videntur esse locutio proverbialis, qua significabatur: is quem ceteri velut inutilem ac reprobum abiecerant et contempserant, primus omnium factus est. Populus Israël, a gentilibus abiectus, nunc fit, restaurata sacra aede et theocratia, lapis angularis regni Dei.

[e] Deus rogatur, ut continuet ac perficiat quod tam praeclare operari coepit.

[f] Post tenebras aetatis luctuosae Deus dedit lucem aerae felicioris. Alii explicant: *wajjâ'er lánu panîm* 'et serenam nobis praebuit faciem.'

[g] Verba hebr. " *ligate festum in funibus* (vel *frondibus*) *usque ad cornua arae* ab aliis aliter explicantur: 1) *ordinate festivam pompam condenso agmine usque ad cornua arae*; 2) *ligate festivas victimas funibus usque ad cornua arae:* qui ita interpretantur, cogitant de longa serie animalium Deo in hoc festo immolandorum, quae ex ordine funibus vincta (vel frondibus ornata) in templo stent usque ad ipsum altare; 3) *nectite festiva serta* (florum coronas ad templum ornandum) *ex frondibus usque ad cornua arae.*

Ps. 119 (Vg. 118). Amor legis divinae.

Praenotanda. 1) *Auctor huius psalmi ignoratur.* Psaltes, si omnia suo nomine, non nomine populi, dicit, fuisse videtur iuvenis (v. 141; cf. v. 9 s. 99 ss.), in lege doctus, ab impiis adversariis despectus, irrisus, vexatus, oppressus, ad illicita incitatus, et quidem sub principibus vel magistratibus pariter impiis, quin etiam vinctus et diu mortis periculo expositus (vv. 22. 25. 29. 39. 42. 46. 50 s. 53. 61. 67. 70. 78. 82–87, 95. 98. 107, 109, 113, 115, 126. 134. 136. 141. 143. 150. 153. 157. 161). Et magna quidem cum submissione et patientia omnia tolerat nec in sua erga Deum pietate aut fidelitate fluctuat; attamen ex hac diuturna vexatione ac quasi morte liberari et "vivere„, i. e. plena libertate ad serviendum Deo frui desiderat, unde novies clamat "*ḥajjéni!* vivifica me!„ Multa ex his egregie in Ieremiam prophetam quadrant; quare fuerunt qui ipsi hoc carmen attribuerent. Ex similibus rationibus ab aliis Danieli ascriptum est.

2) *Forma psalmi est huiusmodi: a*) Octoni versus ab eadem littera hebraica incipiunt, secundum ordinem alphabeti: 22 igitur huiusmodi ogdoadibus totus psalmus absolvitur. — *b*) In omnibus ac singulis versibus (excepto solo v. 122, in quo tamen vitium textus latere videtur) occurrit aliquod nomen, quo Dei lex seu revelatio appellatur; octo talia nomina fere de versu in versum libere variant. In singulis ogdoadibus fere haec octo nomina recurrunt, et probabiliter vitio traditionis tribuendum est, sicubi aliquod ex illis deest, aliud bis occurrit. (Cfr. Adnotanda, necnon Biblica 4 [1923] 375–80) — *c*) Sunt auctores qui in psalmo nonnulla vituperent. Dicere forsan liceat, formam a poëta electam, tam artificialem et per tot versus exsequendam, perfectioni carminis litterariae et enthusiasmo poëtico nonnihil obstitisse. At certe illa non obstitit inspirationi divinae neque in psalte fervori animi Legem divinam unice amantis. Immo vero psalmus hunc amorem Legis, seu voluntatis divinae in Lege propositae, non modo mirifice spirat in omnemque partem evolvit, sed etiam pie, attente devoteque precanti inspirat et, ut ita loquar, instillat. Ac pene totidem hic psalmus prioribus saeculis sibi nactus est laudatores, quot commentatores.

3) *Octo legis nomina* in psalmo iterata sunt haec: *a*) *'imráh* 'eloquium, i. e. effatum, dictum, in contextu subinde promissio, edictum; *b*) *dābár* 'verbum, sermo' eodem sensu; *c*) *ḥuqqîm, ḥuqqôt* 'statuta' Vg. (secundum graecum δικαιώματα) iustificationes; *d*) *miṣwáh* 'mandatum'; *e*) *mišpáṭ* iudicium, i. e. decretum, ius; *f*) *'ēdût* 'monitum, testimonium' (a verbo *hē'îd* 'testari, obtestari, monere); *g*) *piqqûdîm* 'praecepta'; *h*) *tôráh* 'doctrina, lex.' — Si in tribus strophis, ubi *dabár* deest, occurrit *dèrek* 'via' et *'èbed* 'servus' (v. 3. 37. 122), et semel, ubi *'imráh* abest, *'ĕmûnáh* invenitur (v. 90), haec sunt satis evidenter menda scribarum a nobis corrigenda. Quo melius attentio lectoris in his nominibus figatur, ea maiusculis initialibus distinximus.

4) *Argumentum psalmi* est Lex divina. Ipsam psaltes in singulis versibus prae oculis habet et nomine honorifico appellat, ac velut viam salutis ita indefesse praedicat, ut hisce laudibus velut preces iaculatorias inserat, quibus vel gratiam Legem observandi flagitet, vel suam ad hoc promptitudinem testetur, vel remotionem obstaculorum petat, vel alios similes affectus prodat.

א *Aleph.*

[1] Beati, quorum immaculata est via,
qui ambulant in Lege Dñi !
[2] Beati, qui observant Monita eius,
toto corde quaerunt eum.
[3] Item *qui*, nullam operati nequitiam,
in Viis eius ambulaverunt.
[4] Tu mandasti Praecepta tua,
custodienda diligenter.
[5] Utinam firmae sint viae meae
ad custodienda Statuta tua !
[6] Tunc non confundar,
cum respexero omnia Mandata tua.
[7] Te confitebor per rectitudinem cordis,
assuescendo Decretis tuis iustissimis.
[8] Statuta tua custodiam :
ne me derelinquas nimis.

ב *Beth.*

[9] Qua re mundam servat puer semitam suam ?
servando Verbum tuum.
[10] Toto corde quaesivi te :
ne siveris me aberrare a Mandatis tuis.
[11] In corde meo recondidi Eloquium tuum,
ut ne peccem in te.
[12] Benedictus es, Dñe !
doce me Statuta tua.
[13] Labiis meis enarravi [a]
omnia Decreta oris tui.
[14] De via Monitorum tuorum gavisus sum
* magis quam de universis divitiis.
[15] De praeceptis tuis meditari volo
et considerare semitas tuas.
[16] Statutis tuis delectabor,
non obliviscar Verbi tui.

Adnotanda. *In stropha* א bis occurrit *Statuta* (5. 8), deest *Eloquium*, pro *dabâr* (Verbum) adest *dèrek* Via (3).

In stropha ב bis occurrit *Verbum* (9. 16) et *Statuta* (12. 16), deest *Lex*. — Ad. v. 11. 13. 15 cf. Dt. 6, 6 s. : Erunt verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, *in corde tuo*, et *narrabis ea* filiis tuis, et *meditaberis in eis* „.

ג *Gimel.*

17 Tribue *hoc* servo tuo :
fac vivam et custodiam Verbum tuum.
18 Devela oculos meos,
ut intueri possim admirabilia ex Lege tua.
19 Peregrinus sum in terra :
ne celaveris me Mandata tua.
20 Consumitur anima mea,
desiderando Decreta tua omni tempore.
21 Increpasti superbos,
maledicti sunt qui deviant a Mandatis tuis.
22 * Devolve a me opprobrium et contemptum,
nam Monita tua observavi.
23 Etiam*si* consederunt principes, adversus me collocuti,
servus tuus meditabatur de Statutis tuis.
24 Etiam * Monitiones tuae sunt deliciae meae,
sunt consiliariae meae.

ד *Daleth.*

25 Adhaeret pulveri anima mea,
vivum me serva secundum Verbum tuum.
26 Vias meas narravi et exaudisti me,
doce me Statuta tua.
27 Viam Praeceptorum tuorum fac intellegam,
ut meditari queam de mirabilibus tuis.
28 Curvata incedit anima mea prae maerore,
erige me secundum Verbum tuum.
29 Viam erroris amove a me,
et Doctrinam tuam clementer mihi largire.
30 Viam veritatis elegi,
Decreta tua * ascivi.
31 Adhaereo Monitis tuis, Dñe :
ne sinas me confundi.
32 Viam Mandatorum curram,
si dilatabis cor meum.

In stropha ג bis adest *Mandata* (19. 21) et *Monita* (22. 24) ; deest *Eloquium. In stropha* ד bis adest *Verbum* (25. 28), deest *Eloquium.* — (25 *a*) Summopere afflictus ac velut interitui proximus sum ; cf. 44, 26. — (28) *dalàf* (LXX dormitavit, Syr. turbata est, Hier. destillavit) hic est frt. i. q. arab. *dálafa* (senex, magnum onus portans) 'lente, difficulter, brevibus passibus incedit,' ergo pene corruit. — (32 *b*) *Dilatare cor*, cor, mentem, ab obstaculis virtutis exercendae liberare.

ה *He.*

33 Instrue me, Dñe, de via Statutorum tuorum,
ut eam exhinc observem.
34 Da mihi intellegentiam, ut observem Legem tuam,
et eam custodiam toto corde.
35 Fac incedam in tramite Mandatorum tuorum,
nam ipso oblector.
36 Inclina cor meum in Monita tua,
non vero in avaritiam.
37 Deflecte oculos meos ab aspectu inanium,
in *Via tua fac vitam habeam.
38 Imple servo tuo Eloquium tuum,
quod *dedisti* timori tuo.
39 Averte opprobrium meum, quod timeo,
nam Decreta tua sunt bona.
40 Ecce concupivi Praecepta tua,
in iustitia tua vitam mihi serva.

ו *Vau.*

41 Veniat igitur ad me *pietas tua, Dñe,
salus tua secundum Eloquium tuum:
42 Ut responsum dare exprobrantibus mihi queam,
quod speravi in Verbum tuum.
43 Neve eripias ex ore meo verbum veritatis omnino,
nam Decreta tua exspecto.
44 Ac *fac* custodiam Legem tuam semper,
in omne saeculum:
45 Ut ambulem in latitudine,
quia Praecepta tua quaesivi.
46 Loquar igitur de Monitis tuis *vel* coram regibus,
neque me pudebit.
47 Et delectabor Mandatis tuis,
quae diligo.
48 Et admovebo manus meas ad Mandata tua, quae diligo,
et meditabor de Statutis tuis.

In strophe ה deest *dabár* (Verbum); eius vices gerit *dèrek* (*Via*, 37; cf. v. 3). — (33) Vox *éqeb* ab aliis aliter accipitur: pro *postea, abhinc, accurate, e vestigio, usque ad finem.* — (38) Timori Dei = timentibus Deum.

In stropha ו bis adest *Mandatum* (47. 48). — (43) Si Deus psalten desti tuit, hic non habet quod adversariis dicat. — (45) *In latitudine:* sine obstaculis, libere. — (48) Mandata Dei, mihi carissima, opere exsequi volo.

ז *Zain.*

49 Memento Verbi * tui servo tuo,
quandoquidem sperare me iussisti.
50 Hoc est solacium meum in afflictione mea,
quod Eloquium tuum vitam mihi tribuit.
51 Petulantes me deflectere enisi sunt vehementer,
a Lege tua non declinavi.
52 Recordatus sum Iudiciorum tuorum antiqui temporis,
Dñe, et me consolatus sum.
53 Aestus corripuit me,
propter impios qui deserunt Legem tuam.
54 Carmina fuerunt mihi Statuta tua
in domo hospitii mei.
55 Recordatus sum noctu nominis tui, Dñe,
et custodivi Legem tuam.
56 Hoc obtigit mihi,
quia Praecepta tua observavi.

ח *Ḥeth.*

57 Portio mea est, Dñe, dixi,
custodire Verbum tuum.
58 'Oro te atque obsecro' toto corde:
propitius mihi esto secundum Eloquium tuum.
59 Percogitavi vias meas,
et reduxi pedes meos ad Monita tua.
60 Festinavi, nec sum cunctatus,
custodire Mandata tua.
61 Funes impiorum me circumplexi sunt,
Legem tuam non sum oblitus.
62 Media nocte surgam
ad gratias tibi agendas pro Iudiciis iustitiae tuae.
63 Socius sum omnium qui timent te
et custodientium Praecepta tua.
64 Pietatis tuae, Dñe, plena est terra:
Statuta tua doce me.

In stropha ז ter occurrit *Lex* (51. 53. 55), desunt *Mandata* et *Monita*. — (51) *helîṣ* nobis videtur hic idem esse quod arabicum *'alâṣa* (radicis *ljṣ* 4a forma = 'a recto seu firmo situ rem deflexit, declinavit,' ergo: seducere me voluerunt. — (54) *Domus hospitii:* nobis est praesens vita brevis. — (56) *Hoc:* haec adversitas, infestatio; aut: haec Dei benedictio.

In stropha ח omnia octo Legis nomina rite occurrunt. — (58) Ad litteram: *demulceo faciem tuam toto corde meo*, instanter obsecro.

ט *Teth.*

65 Benigne egisti cum servo tuo,
Dñe, secundum Verbum tuum.
66 Beatitatem recte sapiendi ac sciendi doce me,
nam Mandatis tuis credo.
67 Priusquam humiliarer, ego exerrabam,
nunc vero Eloquium tuum custodio.
68 Bonus es et beneficus,
doce me Statuta tua.
69 Suggesserunt mihi falsa superbi,
ego toto corde meo observabo Praecepta tua.
70 Crassum est tamquam adeps, cor eorum,
ego Legem tuam in deliciis habeo.
71 Bonum mihi est, quod humiliatus sum,
ut discam Statuta tua.
72 Maius bonum mihi est Lex oris tui
quam milia auri et argenti.

י *Iod.*

73 Manus tuae fecerunt ac condiderunt me,
da mihi intellegentiam ad discenda Mandata tua.
74 Timentes te, *cum* me videbunt, laetentur,
quod in Verbum tuum speravi.
75 Cognovi, Dñe, quod iustissima sunt Iudicia tua,
et cum clementia me afflixisti.
76 *Ad*sit, quaeso, pietas tua, ut consoletur me,
secundum Eloquium tuum *datum* servo tuo.
77 Adveniat mihi misericordia tua, ut reviviscam,
nam Lex tua in deliciis mihi est.
78 Confundantur superbi, quod mendaciter deluserunt me;
* sed ego meditabor de Praeceptis tuis.
79 Revertantur ad me, qui timent te,
et qui noverunt Monita tua.
80 Sit cor meum integrum in Statutis tuis,
ut ne confundar.

In stropha ט bis occurrunt *Statuta* (68. 71) et *Lex* (70. 72), desunt *Iudicium* et *Monita*. — (69) *Suggesserunt* falsa: ad litteram *illeverunt, obleverunt*; i. e. me fallere seu seducere studuerunt. — (70 *a*) Cfr. 17, 20.

In stropha י omnia octo Legis nomina rite adhibita sunt. — (74) Fac ut probi, me viso, intellegant quam bonum sit, promissis Dei plene confidere.

כ *Caph.*

81 Conficitur desiderio subsidii tui anima mea,
Promissum tuum opperior.
82 Conficiuntur oculi mei desiderio Eloquii tui,
[* dicentes :] quando consolaberis me ?
83 Si factus sum velut uter in fumo,
Statuta tua *tamen* non obliviscor.
84 Quot sunt dies servi tui ?
quando facies de persequentibus me Iudicium ?
85 Foderunt mihi superbi foveas,
ipsi qui non *sentiunt* secundum Legem tuam.
86 Omnia Mandata tua sunt veritas :
perfide me persequuntur, auxiliare mihi.
87 Paene me interemerunt in terra,
ego vero non deserui Praecepta tua.
88 Secundum pietatem tuam vivum me serva,
ut custodiam * Monita oris tui.

ל *Lamed.*

89 In aeternum, Dñe, est Verbum tuum,
perstat * ut caelum.
90 In omnem aetatem *manet* * Eloquium tuum,
ut condidisti terram et perstat.
91 Ad Decreta tua *prompta* stant dies * ⟨et nox⟩,
nam universa tibi famulantur.
92 Nisi Lex tua mihi in deliciis esset,
pridem periissem in miseria mea.
93 In aeternum non obliviscar Praecepta tua,
nam ipsis vitam mihi tribuisti.
94 Tuus sum : salva me !
nam Praeceptis tuis studui.
95 Me expectant impii, ut me perdant :
Monita tua considerabo.
96 Omni *alii* perfectioni vidi esse limitem,
latum est Mandatum tuum valde.

In stropha כ omnia octo legis nomina usuveniunt. — (83 *a*) *Sicut uter in fumo :* abiectus, spretus, sicut uter vilis in fumo sub tecto tugurii suspensus.

In stropha ל bis occurrit *Praecepta* (93. 94), desunt *Statuta*; pro *imráh* 'Eloquium' in TM habetur *ĕmunáh* 'veritas' (90). — (96) Omnis res quam homines ut 'perfectam' laudant, limitata est; Dei revelatio est fons scientiae, gratiae, salutis inexhauribilis.

מ *Mem.*

97 Quantum diligo Legem tuam !
assidue haec est meditatio mea.
98 Inimicis meis sapientiorem me reddit * Mandatum tuum,
profecto in aeternum illud est meum.
99 Omnibus me docentibus prudentior fio,
si Monita tua meditatio mea sunt.
100 Senibus intellegentior ero,
si Praecepta tua observavero.
101 Ab omni semita mala abstinui pedes meos,
ut custodirem Verbum tuum.
102 A Decretis tuis non recessi,
quia tu instruxisti me.
103 Quam suavia sunt palato meo Eloquia tua,
melle *dulciora* ori meo.
104 Ex Praeceptis tuis intellegentiam haurio,
ideo detestor omnem semitam falsam.

נ *Nun.*

105 Lucerna pedibus meis est Verbum tuum,
et lumen tramiti meo.
106 Iuravi, idque implere volo,
me custoditurum Decreta iustitiae tuae.
107 Afflictus sum ultra modum,
Dñe, ad vitam me restaura secundum Verbum tuum.
108 Voluntaria munera oris mei benigne suscipe, Dñe,
et Decreta tua doce me.
109 Vita mea in periculo est semper,
sed Legem tuam oblivioni non dedi.
110 Posuerunt impii laqueum mihi,
sed a Praeceptis tuis non aberravi.
111 Hereditate possideo Monita tua in aeternum,
profecto gaudium cordis mei sunt.
112 Inclinavi cor meum
ad facienda Statuta tua exhinc in aeternum.

In stropha מ bis adest *Praecepta* (100. 104), deest *Statuta.*

In stropha נ bis adsunt *Verbum* (105. 107) et *Decreta* (106. 108), desunt *Eloquium* et *mandatum.* — (108*a*) *Voluntaria munera oris* sunt preces, laudes, vota. — (109) Mea erga te fidelitate me assiduo vitae periculo expono; nihilominus etc. Hebr.: *Anima mea in vola* (manu cava aperta) *mea est semper.* Res in vola portata in periculo est ne cadat. — (112) Ad *'éqeb* cf. v. 33.

ס *Samech.*

113 Mente duplices detestor,
sed Legem tuam diligo.
114 Praesidium ac scutum meum es tu,
Verbum tuum exspecto.
115 Discedite a me, malefici,
et *sinite* observem Mandata Dei mei.
116 Sustenta me secundum Eloquium tuum, ut vivam,
et ne me frustrari sinas eo quod spero.
117 Suffulci me, ut salver,
et me convertam ad Statuta tua semper.
118 Aspernaris omnes aberrantes a Statutis tuis,
quia perfida est * cogitatio eorum.
119 *Quasi* scorias * reputas omnes impios terrae,
ideo diligo Monita tua.
120 Cohorrescit metu tuî caro mea,
et Iudicia tua timeo.

ע *'Ain.*

121 Feci *quae exigit* Ius et iustitia :
ne derelinquas me oppressoribus meis.
122 Sponde pro * servo tuo in bonum,
non opprimant me superbi.
123 Oculi mei desiderio conficiuntur subsidii tui,
et Edicti iustitiae tuae.
124 Age cum servo tuo secundum pietatem tuam,
et Statuta tua doce me.
125 Servus tuus sum : da mihi intellegentiam,
ut cognoscam Monita tua.
126 Tempus est ut agas, Dñe :
violaverunt Legem tuam.
127 Ideo diligo Mandata tua,
magis quam aurum et obryzum.
128 Iuxta * omnia Praecepta tua recte processi,
omnem semitam falsam odi.

In stropha ס bis adsunt *Statuta* (117 s.), desunt *Praecepta.* — (113) *se'ōfîm* varie explicatur : *mente duplices, inconstantes, dubitantes, apostatae* ; etymologice : *scissi.* — (119) *Scorias :* nullius pretii, abiiciendos.

In stropha ע deest *dabàr* Verbum, pro quo 122 stare videtur *'èbed* 'servus'. — (122) TM. *Sponde pro servo tuo :* fideliter protege me ; si legimus *pro Verbo tuo :* imple fideliter promissum tuum. — (126) Alii : *tempus est ut agamus pro Dño :* impietas aliorum nos incitet ad maiorem fidem.

פ *Phe.*

129 Admirabilia sunt Monita tua,
ideo eas observavit anima mea.
130 Explicatio Verborum tuorum illuminat,
intellegentiam dat rudibus.
131 Os meum diduxi et anhelavi,
nam Mandata tua cupio.
132 Converte te ad me et propitius esto mihi,
secundum Ius *concessum* amantibus nomen tuum.
133 Gressus meos rege Eloquio tuo,
et ne sinas dominari in me ullam nequitiam.
134 Libera me ab oppressione hominum,
ut custodire possim Praecepta tua.
135 Serenum vultum ostende servo tuo,
et doce me Statuta tua.
136 Rivuli aquae defluxerunt oculis meis,
propter *eos qui* non custodierunt Legem tuam.

צ *Ṣade.*

137 Iustus es, Dñe,
et rectum est Iudicium tuum.
138 Mandasti cum iustitia Monita tua,
et cum benignitate summa.
139 Consumpsit me zelus *[meus],
quia oblivioni dant Verba tua adversarii mei.
140 Mundissimum est Eloquium tuum,
et servus tuus illud diligit.
141 Parvus sum et contemptibilis:
Praecepta tua non obliviscor.
142 Iustitia tua est ius aeternum,
et Doctrina tua est firma veritas.
143 Angustia et tribulatio *si* me inveniunt,
Mandata tua sunt deliciae meae.
144 Iuris norma sunt Monita tua in aeternum,
fac ea intellegam et vivam.

In stropha פ octo nomina legis adsunt. — (132 *b*) Ab aliis explicatur: *secundum* tuum *morem* agendi erga amantes nomen tuum. — (136 *b*) Vel: *propterea quod nou custodierunt Legem tuam.*

In stropha צ bis occurrunt *Monita* (138. 144), desunt *Statuta.*

ק *Coph.*

145 Clamavi toto corde: exaudi me,
Dñe, Statuta tua fac observem.
146 Clamavi ad te: subveni mihi,
ut custodiam Monita tua.
147 Venio iam summo mane et auxilium imploro,
Verbum tuum exspecto.
148 Praevenerunt oculi mei vigilias
ad meditandum de Eloquio tuo.
149 Vocem meam audi pro pietate tua, Dñe,
secundum Decreta tua fac vivam.
150 Appropinquaverunt qui me persequuntur nefarie,
qui a Lege tua longe recesserunt.
151 Prope es tu, Dñe,
et omnia Mandata tua fidelissima
152 Iam pridem cognovi ex Monitis tuis,
quod ad aeternum tempus ea fundasti.

ר *Reš.*

153 Vide afflictionem meam et eripe me,
nam Legem tuam non sum oblitus.
154 Defende causam meam et tuere me,
iuxta Eloquium tuum vitam mihi tribue.
155 Longe remota ab impiis est salus,
quia Statuta tua non quaerunt.
156 Misericordiae sunt multa ⟨* valde⟩,
Dñe, secundum Decreta tua fac ut vivam.
157 Multi sunt persecutores atque adversarii mei,
a Monitis tuis non declinavi.
158 Vidi rebelles, et me taeduit,
quod Eloquium tuum non custodierunt.
159 Vide quod Praecepta tua diligo,
Dñe, secundum pietatem tuam vivum me serva.
160 Summa Verbi tui est veritas,
et in aeternum *valent* omnia decreta oris tui.

In stropha ק bis habentur *Monita* (146. 152), desunt *Praecepta*. — (147 *b*) I. e. impletionem promissionis tuae expecto. — (195 *a*) Sunt qui interpretentur: *appropinquant persecutores mei sceleri* (ad scelus committendum se accingunt).

In stropha ר bis adsunt *Eloquium* (154. 158) et *Decreta* (156. 160), desunt *Mandata*; v. 160 habet duo nomina.

ש *Sin–Sin*

161 Principes me persecuti sunt sine causa,
Verba autem tua formidavit cor meum.
162 Tam laetus sum de Eloquio tuo,
quam qui invénit praedam copiosam.
163 Falsa odi et abominari volo,
Doctrinam tuam diligo.
164 Septies in die laudo te
ob Decreta iustitiae tuae.
165 Pacem multam habent amatores Legis tuae,
et non est eis offendiculum.
166 Exspectavi salutem per te, Dñe,
et Mandata tua feci.
167 Custodivit anima mea Monita tua,
et dilexi ea valde.
168 Custodivi Praecepta [* ac Monita] tua,
quia omnes viae meae sunt coram te.

ת *Thau.*

169 Appropinquet supplicatio mea ad conspectum tuum, Dñe
secundum Verbum tuum da mihi intellegentiam.
170 Veniat deprecatio mea ad conspectum tuum,
secundum Eloquium tuum eripe me.
171 Pronuntiabunt labia mea laudem,
si me docebis Statuta tua.
172 Eloquetur lingua mea * fidelitatem tuam,
nam omnia Mandata tua sunt iustissima.
173 *Ad*sit manus tua ad me adiuvandum,
nam Praecepta tua elegi.
174 Desidero salutem per te, Dñe,
nam Lex tua est delectatio mea.
175 Vivat anima mea, ut laudet te,
et Decreta tua me adiuvent.
176 *Si* aberravi ut ovis amissa, quaere servum tuum,
nam Mandata tua non sum oblitus.

In stropha ש bis adsunt *Monita* (167 s.) et *Lex* (163. 165), desunt *Statuta*; v. 168 duo nomina continet. — (161) Non principes timeo, sed Deum (cf. Mt. 10,28). — (164) *Septies in die:* frequenter.

In stropha ת bis adsunt *Mandata* (172. 176), in textu tradito etiam *Eloquium* (170. 172); in 172 a *ĕmunáh* pro *imráh* ponendum videtur, desunt *Monita.*

In psalmos graduales nota praevia.

Psalmis 120-134 singulis inscriptum est *šîr hamma'alôt* (121 *šîr lamma'alôt*); quod LXX interpretati sunt ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν (Vg. *canticum graduum*), Syrus *ex ascensione*, Hieronymus *canticum graduum*). Quid haec inscriptio sibi velit, non est certum, et etiamnum plures feruntur sententiae.

Quia *ma'alá* (ascensio) Esdr. 7, 9 et multo saepius verbum *'alá* (ascendit) in libris Esdrae et Nehemiae de ascensu seu reditu exsulum in Ierusalem usurpatur, et quia vox " *ascensio* „ per metonymiam obviam significare potest " turma seu agmen ascendentium „, coetus ab exsilio revertentium seu reversorum in Ierusalem, in promptu est explicatio tituli " *carmina reversorum ab exsilio* „. Accedit quod his psalmis fere ea sensa et cogitata enuntiantur, quibus illos sub Esdra et Nehemia reversos conicere possumus animatos fuisse: scil. desiderium sacrae urbis visendae, gaudium de sancta civitate et Dei aede, caritas fraterna, fiducia in Deum, et nihilominus etiamnum quaedam tristitia de multis contribulibus nondum reversis, necnon querela de condicione populi adhuc ab adversariis vexati, obtrectati, contumeliis affecti et hostiliter impugnati. Haec tituli explicatio satis probabilis videtur.

Porro quoniam hi psalmi, qui omnes et singuli animis Israëlitarum tantopere conveniebant ac sua brevitate iucundaque simplicitate facile in memoria haerebant, sine dubio inde a tempore reditus deinceps frequenter, praesertim in annuis *ascensionibus* ad festa cantabantur, vix dubium est quin etiam hoc sensu " *cantica ascensionum* seu peregrinationum „ appellari potuerint et fortasse appellati sint, velut " hymnarium ad sacram Urbem peregrinantium „.

Alii putaverunt nomen repeti posse ex forma nonnullorum carminum, in quibus praecedentis versiculi pars repeti solet et sic quodammodo a gradu ad gradum ascenditur (cf. 120, 2 s.; 121, 1 s.; 122, 2 s.). — Alia interpretatio hos psalmos ita appellari voluit ex mentis ascensione ad altiora, ad quam nos inducant et incitent; sed evidenter hoc sensu omnibus omnino psalmis hoc nomen aequo iure conveniret. — Parum probabilitatis denique illa opinio habuit, quae censebat, hos psalmos dici *cantica graduum*, quia a choro levitarum in gradibus scalae in templo hierosolymitano stante cantari consueverint.

Ps. 120 (Vg. 119). De pacis perturbatoribus querela.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

℟ Ad Dñum cum tribularer, clamavi,
et exaudivit me.

A [2] Dñe, libera animam meam a *labiis mendacibus,
a lingua dolosa. [a]
[3] Quid Dabit iterumque Dabit tibi? lingua dolosa!
[4] sagittas Potentis acutas cum carbonibus genistarum. [b]

B [5] Heu mihi, quod hospitor in Mesech,
habito cum nomadibus Cedár ! [c]
[6] Satis iam habitavit anima mea cum osoribus pacis :
[7] ego sum pacificus, sed si quid loquor, isti ad pugnam !

Argumentum. *Uti ex libris Esdrae et Nehemiae elucet, primo tempore exsules in Palaestinam reversi et templum urbemque restauraturi eam pacem ac tranquillitatem non invenerunt, quam speraverant, sed varie a malevolis adversariis impediebantur, infestabantur, apud magistratus accusabantur. Illo igitur tempore tale carmen, qualis est hic psalmus, concipi potuisse facile intellegitur. — In* Antiphona *psaltes (fortasse non suo solius, sed potius totius populi nomine) primum se memoriâ priorum in tribulatione precum exauditarum ad spem in Deo ponendam excitat. Deinde orat :* A) *libera me, Deus, ab hac vexatione obtrectatorum, qui severe puniri merentur ;* B) *taedet enim me talis vitae, quod, cum ipse pacis sim amator, pace frui ab adversariis non sinor.* — (Antiphona, ac carmen 2, 2 versuum).

Adnotanda. [a] Ipsi adversarii mendaces et dolosi *labia mendacia* et *lingua dolosa* vocantur (cf. 12, 3 s. ; 52, 6).

[b] Versus 3. 4 non uno modo explicantur. In memoriam revocata formula frequenti iurandi " haec faciat tibi [vel : mihi] Deus et haec addat „ (1 Sam. 3, 17 ; 14, 44 ; 20, 13 al.), — i. e. multipliciter te Deus puniat !, in promptu est explicatio : " o lingua dolosa ! quot quantasque poenas tibi Deus irrogabit pro malitia tua ! [certe Deus mittet tibi] sagittas bellatoris acutas et ignem carbonum genistarum „, i. e. acerbis poenis te affliget. — Secundum alios etiam in v. 3. 4 psaltes Deum alloquitur eique dicit : " *Quid dat Tibi et addit Tibi lingua dolosa, [quid] sagittae bellatoris acutae cum carbonibus genistarum ?* „ i. e. : quaenam emolumenta tibi, o Deus, affert lingua dolosa, eiusque verba in modum sagittarum pungentia et in modum carbonum urentia ? et subest cogitatio : certe nihil tibi haec prosunt : cur igitur talia permittis ? — Vel rursus : " quid nobis (scil. *tibi* pro dativo pronominis indefiniti *man, on*) dat et iterum dat adversarius dolosus ? [nihil nisi cotidie] sagittas acutas et carbones ardentes. I. e. assidue verbis acribus et odiosis ab adversariis vexamur.

[c] *Hospitor, habito*, i. e. mihi videor hospitari, habitare in regione barbarorum, dum inter hos malevolos et maledicos assidue degere cogor.

Ps. 121 (Vg. 120). Hominis a Deo protecti securitas.

[1] CANTICUM PRO ASCENSIONIBUS.

A Levo oculos meos ad montes :
unde veniet auxilium meum ? [a]
[2] Auxilium meum a Dño,
factore caeli et terrae.

B [3] Non sinet nutare pedem tuum,
non dormitabit Custos tuus. [b]

4 Ecce non dormitabit et non dormiet
Is qui custodit Israël.

C 5 Dñus est custos tuus,
Dñus est protectio tua a latere dextro tuo.
6 Interdiu sol non feriet te
neque luna per noctem. c

D 7 Dñus custodiet te ab omni malo,
custodiet animam tuam.
8 Dñus custodiet exitum atque introitum tuum,
amodo et usque in aeternum.

Argumentum. A) *Auxilium in rebus adversis a Domino exspectandum est*, B) *qui est custos fidissimus*, C) *suosque clientes omni tempore*, D) *atque in omni periculo et negotio protegit.* — (2, 2, 2, 2 versus).

Adnotanda. a Israelitae orantes mentes ac manus et oculos ad montes Iudaeae, montem Sion, sanctuarium hierosolymitanum convertebant, ubi Deus residebat.

b Ita verti potest, quia in poësi etiam particula *àl* simplicis negationis assertivae vices agit. Alii interpretantur " *ne sinat* ..., *ne dormitet* ...! „ optative.

c Sensus evidenter hic est: nulla res tibi nocere poterit, neque interdiu neque noctu. Non est hic argutandum, quae vis nocendi hic lunae adscribatur; sine dubio interdum nox (aura nocturna, frigus etc.) est nociva.

Ps. 122 (Vg. 121). Salve, Ierusalem !

1 CANTICUM ASCENSIONUM. *DAVIDIS. a

A Laetatus sum de iis qui dicebant mihi:
" ad domum Dñi ibimus „.
2 Stantes fuerunt pedes nostri
in portis tuis, Ierusalem.
3 Ierusalem, *re*aedificata tamquam urbs,
' in sese firmiter compacta ' ! b

B 4 *Urbs* quo ascenderunt tribus, tribus Dñi,
ubi est ritus Israèl concelebrare nomen Dñi !
5 Utique istic sedem habuerunt throni regiminis,
throni domus Davíd.

C 6 Orate pro pace Ierusalém: c
incolumes sint qui te diligunt !

7 Sit pax in moeniis tuis !
incolumitas in palatiis tuis ! [in te !
8 Propter fratres atque sodales meos loqui mihi liceat : pax *sit*
9 propter domum Dñi, Dei nostri, apprecari bonum tibi !

Argumentum. *Israëlita, pia cum laetitia ad urbem sacram profectus (v. 1) atque, ut videtur, iamiam domum reversurus* (2 stantes fuerunt, 4 ascenderunt, 5 sederunt), *cum vehementi affectu sua animi sensa eloquitur urbique sacrae omnia fausta apprecatur.* A) *Cum magno gaudio, inquit, veni ad gloriosam hanc urbem Ierusalem ;* B) *quae fuit atque post exsilium iterum est sedes propria publici cultus veri Dei, urbs regia domus davidicae ;* C) *huic urbi optima quaeque precemur.* — (3, 2, 3 versus).

Adnotanda. a De titulo DAVIDIS critice non plane constat (v. Crisin textus). Si psalmus statim post exsilium cum aliis " canticis ascensionum „ ortus supponitur, in v. 3 agitur de urbe *reaedificata*, et verba vv. 4. 5 magis historice efferuntur. Sin davidicus est psalmus, in v. 3 legitur urbs *aedificata*, et vv. 4. 5 in festivae peregrinationis fine ascensio nunc peracta, sollemnitates religiosae nunc celebratae, splendor regiae nunc visus recoluntur.

b Verba obscura *šeḥḥubbrá-llah jaḥdáw* iam antiquitus et etiamnum varie explicantur. Secundum interpretationem nunc satis communem describitur Ierusalem ut urbs firmiter constructa, compacta, munita, cuius partes (aedificia, arces, moenia) arcte inter se cohaereant, quae ipso situ, firmaque sua constructione imago sit firmitatis, unitatis, tutaeque salutis. Verba hebr. ad litteram sonant : " *ut urbs quae consociata* seu compacta *est sibi in unum.* — Quia porro verbum *ḥabàr* in forma Qal significat ' socium esse, societatem habere cum aliquo ' et item ' consociare se, convenire, confluere ' ad commune opus (Gen. 14, 3), passivum (Qal passivum a grammaticis recentibus admittitur) explicari potest : " *urbs cum qua societas* religiosa, theocratica, *habetur seu initur ab omnibus* „ (cfr. Ps. 87), sive : " *urbs, ad quam confluitur* seu convenitur *ab omnibus* „ ad sacras peregrinationes. Itaque Ierusalem celebratur ut centrum regni Dei, ut sedes cultus veri Dei, ut meta peregrinationum sacrarum ex omnibus regionibus.

c Posset etiam verti : *Orate pro pace ! o Ierusalem, incolumes sint qui te diligunt !*

Ps. 123 (Vg. 122). Fervida auxilii divini imploratio.

1 CANTICUM ASCENSIONUM.

℟ Ad te levavi oculos meos,
qui habitas in caelis.

A 2 Ecce sicut oculi servorum ad manum domini sui,
sicut oculi ancillae ad manum dominae suae, a
Ita oculi nostri ad Dñum, Deum nostrum,
donec misereatur nostri.

B [3] Miserere nostri, Dñe, miserere nostri,
nam affatim satiati sumus contemptu.
[4] Affatim satiatam se sentit anima nostra
ista irrisione lascivorum,
isto contemptu superborum. [b]

Argumentum. *Elevata ad Deum in caelum mente,* A) *populus se suaque omnia dispositioni Dei, domini sui, committit ac commendat*; B) *misericordem Dei interventum flagitat in insigni et diuturna aliqua irrisione, cui ex parte impiorum expositus est.* — (Antiphona, et 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Scil. exspectabundi attendunt. Ut servi ancillaeque domini vel herae nutum et dispositionem praestolantur, ita Israëlitae afflicti exspectant ac desiderant, ut Deus aliquo providentiae nutu suae afflictionis mox finiendae spem praebeat.

[b] Ea quae in libris Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum narrantur, hos versus satis explicant et illustrant.

Ps. 124 (Vg. 123). Pro liberatione a magno periculo gratiarum actio.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM. * DAVIDIS.

A Si Dñus non fuisset pro nobis — ! [a]
dicat, quaeso, Israël,
[2] si Dñus non fuisset pro nobis — ! [gluttissent,
Quando surgebant contra nos homines, [3] tunc vivos nos de-
quando efferbuit ira eorum in nos, [4] tunc aquae nos abri-
Torrens transiisset super animam nostram, [b] [puissent:
[5] tunc transiissent super nos aquae aestuosae. [c]

B [6] Benedictus sit Dñus,
quod non tradidit nos praedam dentibus illorum !
[7] Anima nostra sicut avicula evasit laqueum aucupum :
laqueus ruptus est, et nos salvi evasimus.
[8] Auxilium nostrum est in nomine Dñi,
qui fecit caelum et terram.

Argumentum. A) *Heu ! quid nobis evenisset, si Deus nobis non succurrisset ?* B) *gratias igitur ei agamus, quod nos inimicorum furori non tradidit.* — (3, 3 versus).

Textus hebr. psalmum Davidi attribuit. Sed LXX hanc inscriptionem ignorant, et dicendi modus est potius idem qui in psalmis vicinis aetatis posterioris. Probabilius igitur est agi de periculo a Nehemiae coaevis evitato, quale narratur ex. gr. Neh. 4, 5 sqq.

Adnotanda. [a] Mente supple apodosin: quid nobis eventurum erat?

[b] *Super animam nostram*; certe idea subest: vita nostra summo periculo fuisset exposita.

[c] Calamitates, infestationes hostiles, clades saepe in S. Scr. sub imagine inundationum irruentium proponuntur: cf. Is. 8, 7. Nah. 1, 8. Ps. 32, 1 al.

N. B. Versus 1–5 ita divisimus, ut exigere nobis videbatur paritas strophārum, parallelismus membrorum, ratio schematis metrici (psalmus sic habet sex versus 10, 10. 9, 6, 9. 6. ictuum, schema A).

Ps. 125 (Vg. 124) Deus, Israëlis protector, invocatur.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

A Qui confidunt in Dño, sunt sicut mons Sion:
inconcussus stat, in aeternum manet.
[2] Ierusalem montes habet circum se,
et Dñus circum*tegit* populum suum
amodo et usque in aeternum.
[3] Profecto non manebit virga * impii
super sortem iustorum.[a]

B Ut ne extendant iusti
ad iniquitatem manus suas,[b]
[4] O fac, Dñe, ut bene sit bonis
et probis in cordibus suis.
[5] Qui vero devii eunt curvas vias suas,[c]
eos amoveat Dñus una cum malefactoribus!
pax super Israël!

Argumentum. *Psalmus ad illud tempus referri potest, quo Israëlitae ab exsilio reversi ante Nehemiae adventum a gentibus vicinis impugnabantur, atque ab ipsis etiam contribulibus nonnullis timidioribus non ut oportebat iuvabantur. Psaltes igitur* A) *omnes ad firmam in Deo, tutore sacrae urbis, spem excitat: qui permissurus non sit, ut sui nimis diu ab impiis premantur;* B) *ne vero etiam iusti diuturna ac nimia afflictione ad peccandum sollicitentur, ut Deus mox bonis succurrat atque malefactores et apostatas amoveat, precatur.* — (3, 3 versus).

Adnotanda. [a] Deus non permittet, ut Palaestina, hereditas sorte Israëlitis attributa, a virga dominioque duro impiorum semper opprimatur.

[b] Nimis diuturna et dura tyrannis impiorum iustis fieri posset tentatio ad peccandum.

[c] Hebr. *eos qui deflectunt curvas vias suas*, brachylogia = qui a recto tramite deflectunt euntque vias curvas. Eos qui sic, velut in duas partes claudicantes a recta Legis linea deflectunt, eoque partes adversariorum adiuvant, ut Deus amoveat (hebr. *ire faciat*), psaltes rogat; tum tandem plena pax erit.

Ps. 126 (Vg. 125). Pro plena populi restauratione oratio.

1 CANTICUM ASCENSIONUM.

A Cum instauraret Dñus sortem Sión,
fuimus velut somniantes. [a]
2 Tunc implebatur risu os nostrum
et lingua nostra iubilo.
Tunc dicebant inter gentes:
" magnifice Dñus egit cum istis „.
3 Magnifice Dñus egerat nobiscum,
fuimus laeti.

B 4 O instaura, Dñe, sortem nostram,
quemadmodum rivos in Austro. [b]
5 Qui seminaverunt cum lacrimis,
cum iubilo metant!
6 Ibat heu! ibat et flebat,
qui exportabat iactum seminis. [c]
Veniat, io! veniat cum iubilo,
qui importat manipulos suos. [d]

Argumentum. A) *Per decretum Cyri, per reditum multorum exsulum instauravit Deus sortem populi Israël; cum gaudio et gratitudine hoc agnoscitur.* B) *Sed nondum integra est restauratio: adhuc multi exsulant, reduces adhuc sunt in tristi condicione; Deus ut compleat quod incepit, rogatur.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. **a** Tam subita conversio rerum in melius exsulibus velut somnium videbatur, quod verum esse vix credere audebant.

b Quotannis in australi regione alvei rivorum, per menses aestivos plane exsiccati, iterum aqua implentur et regio arida revirescit, mortua reviviscit.

c I. e. semen iaciendum.

d Praesens tribulatio sit sementis laetioris temporis futuri.

Affectum, quem in hebraico textu infinitivi absoluti eloquuntur, aliquomodo interiectionibus latinis *heu!* et *io!* efferre conamur.

Ps. 127 (Vg. 126). A divina benedictione dependet hominum successus et prosperitas.

1 CANTICUM ASCENSIONUM. * SALOMONIS.

A Si Dñus non aedificat domum,
frustra laboraverunt aedificatores in ea.

Si Dñus non custodit civitatem,
frustra vigilavit custos.
[2] Frustra vobis est [a] qui mane surgitis, sero desidetis,
qui vescimini pane laborum:
Tantumdem Dat
* dilectis suis *per* somnum. [b]

B [3] Ecce donum Dñi [c] sunt filii,
merces — suboles uteri. [d]
[4] Quod sunt sagittae in manu bellatoris,
hoc sunt filii iuvenilis vigoris. [e]
[5] Beatus vir,
qui plenam illarum habet pharetram suam!
Non confundentur,
quando causam suam agent cum inimicis in porta. [f]

Argumentum. A) *Hominum labores, nisi Deus adiuvat, vani sunt; a Deo igitur dependet prosperitas vitae domesticae, publicae ac privatae,* B) *atque imprimis prosperitas familiae, quae in filiorum numero et virtute potissimum consistit.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Nempe: totus labor vester.

[b] Sensus videtur esse hic: non a solo labore aerumnoso hominum, sed magis a Dei benedictione exspectanda est eique ascribenda prosperitas; nam Deus eam dare potest, ac nonnunquam revera dat, hominibus velut dormientibus, i. e. cum labore valde exiguo.

[c] Hebr. *hereditas* seu *possessio Dñi:* i. e. quam Dominus *caris suis dat.*

[d] Hebr. *fructus ventris*, liberi.

[e] I. e. filii patri iuveni nati: tales filius pater potest rite educare et formare, eos videt in iuvenes robustos adulescere et in vita prosperare, ab iis potest olim senex sublevari.

[f] In porta urbis iudicia fiebant.

Ps. 128 (Vg. 127). Pii Israëlitae beatitudo.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

A Beatus *es* quicunque times Dñum,
qui ambulas in viis eius! [a]
[2] Labore manuum tuarum parta si comedis,
beatus ac felix es! [b]
[3] Uxor tua est velut vitis frugifera in penetralibus domus tuae,
filii tui ut novellae olearum circa mensam tuam.

B [4] Ecce profecto sic benedicitur viro,
qui timet Dñum.
[5] Benedicat tibi Dñus ex Sion,
et videas prospera Ierusalém omnibus diebus vitae tuae.
[6] Et videas filios filiorum tuorum!
pax sit super Israël!

Argumentum. A) *Describitur beatitudo temporalis domestica pii Israëlitae*; B) *hanc beatitudinem psaltes singulis apprecatur simulque illius imaginem perficit, commemoratâ benedictione communi ac spirituali.* — (3, 3 versus).

Adnotanda. [a] *Ambulare in viis Domini* (cf. 119, 1): in omni agendi ratione observare mandata Dei.

[b] Cfr. quae Deus Deut. 28, 1–14 timentibus se ac mandata divina fideliter observantibus promisit.

Ps. 129 (Vg. 128). Populi Israël adversus hostes suos oratio.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

A Multum me tribulaverunt ab adulescentia mea,
dicat quaeso Israël, * (at non devicerunt me). [a]
[2] Multum me tribulaverunt ab adulescentia mea,
at non devicerunt me.
[3] Super dorsum meum araverunt aratores,
longos *ibi* fecerunt sulcos suos. [b]
[4] Dñus iustus est;
abscídit funes impiorum.

B [5] Confundantur et cedant retrorsum,
omnes qui oderunt Sion!
[6] Fiant sicut gramen tectorum,
quod, priusquam se promiserit, iam arescit:
[7] Quo non implet manum suam messor,
aut sinum suum manipulorum collector:
[8] Nec dicunt *invicem* praetereuntes:
" benedictio Dñi sit super vos! „
" benedicimus vobis in nomine Dñi „. [c]

Argumentum. *Israëlitae ab exsilio reversi primo tempore, ante adventum Nehemiae potissimum, a vicinis gentibus multum vexabantur (cfr. Ps. 120; 125. Esdr. 4. Neh. 1 sqq.) et nonnunquam in condicione erant satis desperata.*

In talibus rerum adiunctis igitur psaltes A) *contribulibus populi electi veterem historiam in memoriam revocat: saepe Israël inde ab initio esse ab hostibus impugnatum, sed ne longa quidem ac frequenti oppressione deletum, verum iterum iterumque a iugo hostili liberatum*; B) *unde spem concipit fore, atque instanter orat, ut nunc quoque inimici populi Dei confundantur.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Verba *" at non devicerunt me "* nobis in fine primi quoque versus ponenda videntur. Etenim populus in sequenti versu idem (saltem quoad sensum) dicere supponendum est, quod psaltes eos antea verbis *" dicat quaeso Israël "* dicere iussit; sed in textu traditionali psaltes solum verba tristia sine spe praefatur (v. 1), populus vero, ea repetens, additamento se ad spem erigit: quod mirum est. Etiam ratio metrica nos cogit, ut supponamus nonnulla verba excidisse.

[b] De interpretatione *" longos fecerunt sulcos suos "*, quamquam est satis probabilis, non certo constat; verti posset *" diu exercuerunt vexationem suam* (ita fere Syrus).

[c] Vel: *" salutatio Dñi sit super vos! salutamus vos in nomine Dñi! "*

Ps. 130 (Vg. 129). Divinae misericordiae imploratio.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

A De profundissimis
te invoco, Dñe!
[2] Domine, o audi vocem meam,
sint aures tuae attentae ad vocem supplicationum mearum.

B [3] Si delicta *memoriâ* servas, Dñe,
Domine, quis sustinebit?
[4] Verum apud te est indulgentia,
ut cum timore colaris. [a]

C [5] Exspecto Dñum,
expectat anima mea * promissum eius.
Opperior [6] *tota* anima mea Dominum,
magis quam vigiles matutinum, vigiles matutinum. [b]

D [7] * Speret Israël in Dñum:
nam apud Dñum est pietas,
et copiosa est apud eum redemptio.
[8] Et ipse redimet Israël
ex omnibus delictis eius.

Argumentum. *Psalmus videtur esse exsulum in calamitatis velut profundo abysso iacentium humilis deprecatio.* A) *In magna miseria iacens te,*

Deus, invoco ; B) *noli peccatorum memor esse, sed tuae clementiae ;* C) *tuo fretus promisso, exspecto ego,* D) *tua fretus pietate exspectat totus populus Israël liberationem.* — (2, 2, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Si Deus solum ad peccata attenderet nec ignoscere vellet, in mundo non essent nisi peccatores damnandi ; indulgendo et parcendo Deus hoc obtinet, ut nos eum cum spe, grato amore ac salutari timore colamus.

[b] *matutinum* hic dicimus (ut subinde Seneca, Quintilianus, Plinius) substantive = tempus matutinum. Iteratio vocabulorum intensam atque irrequietam vigilum horas matutinas desiderantium sollicitudinem vivide depingit. Dicit igitur : avidius Domini auxilium desidero quam nocte vigilantes tempus expectant matutinum.

Ps. 131 (Vg. 130). Humilitatis professio.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM. * DAVIDIS.

A Dñe, non superbit cor meum,
neque elati sunt oculi mei.
Et non versor in magnis rebus
aut pro me sublimioribus.

B [2] Immo profecto [a] composui
et tranquillavi animam meam :
Qualis *est* parvulus in matris suae gremio, [b]
ut talis parvulus est in me [c] anima mea.

℟ [3] Spera, Israël, in Dñum
amodo et usque in aeternum.

Argumentum. A) *Humilis coram Deo esse volo,* B) *ac tranquillus fiduciaeque plenus, ut parvulus in gremio matris ;* ℟ *item omnis Israël.* — (2, 2 versus cum epiphonemate).

Adnotanda. [a] Hebr. *si non* ; est notissima illa Hebraeorum formula asseverandi = profecto, vere. *Composui,* i. e. sedavi.

[b] Hebr. *super matrem suam,* a matre in ulnis vel gremio portatus. — Vox *gamûl* (" ablactatus „) infantem iam ablactatum ac iam sui ipsius et mutui sui matrisque amoris conscium, sed adhuc a matre fovendum, curandum, portandum, indicat. Talis parvuli fiducialis securitas, tranquillitas, humilitas est imago et exemplum hominis Deo confidentis.

[c] *'alàj* ' in me ' (cf. 42, 5–7. 12 ; 142, 4). Multo plenior sensus exsisteret, et perfectior (qualem exspectamus) esset parallelismus duarum particularum *'al* in versu, si pro *'alàj* (super me, in me) legere liceret *'al-J.* (abbreviato nomine divino) = *'al-Jahwè* = ' ut talis parvulus *in Dñi gremio* [requiescit] anima mea.'

Ps. 132 (Vg. 131). In templi primi dedicatione oratio.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

℟ Recordare, Dñe, Davidi
omnem * piam sollicitudinem eius![a]

* *

A [2] Quod ille iuravit Dño,
vovit Potenti Iacób:
[3] "Absit ut ingrediar tabernaculum domus meae,
ut conscendam lectum strati mei,
[4] Ut concedam somnum oculis meis,
palpebris meis soporem,
[5] Donec inveniam locum Dño,
domicilium Potenti Iacób";
[6] Ecce id audivimus in Ephrata,[b]
id invénimus in Campo Silvae:
[7] "Veniamus ad habitaculum Eius,
adoremus apud scabellum pedum Eius!"[c]

B [8] Surge, Dñe, ad mansionem tuam,[d]
tu et arca maiestatis tuae!
[9] Sacerdotes tui se induant iustitiâ,
et devoti tui iubilent.
[10] Propter David, servum tuum,
ne amandes personam Uncti tui.[e]
(* Memento gratiarum
promissarum Davìd, servo tuo.)[f]
[11] Iuravit Dñus Davìd veritatem a qua non recedet:[g]
"subolem ex te oriundam ponam super thronum tuum.
[12] Si servant filii tui foedus meum et monita quae eos docebo,
filii quoque eorum sedebunt super thronum tuum".

C [13] Profecto elegit Dñus Sion,
adoptavit eam in domicilium sibi.
[14] "Haec sit mansio mea in perpetuum,
hic residebo, nam optavi eam.
[15] * Annonae eius[h] benedicens benedicam,
pauperes eius saturabo pane.

[16] Et sacerdotes eius induam salute,
et pii *cives* eius laete iubilabunt.
[17] Istic faciam ut altum crescat cornu Davidi,
paravi lucernam Uncto meo. [i]
[18] Inimicos huius induam ignominia,
super ipsum vero fulgebit diadema * meum „.[k]

Argumentum. *Hic psalmus est brevis recapitulatio illius orationis, quam Salomon, cum templum dedicaretur, habuit (3 Reg. 8; 2 Chr. 5 et 6); et forsitan ipse hic rex auctor psalmi esse possit. (Cfr. Zenner in Zeitschr. f. kath. Theol. 20 [1896] 378 ss.; 22 [1898] 583 ss.). Orat igitur rex:* A) *Votum Davidis, sc. aedificandi Deo templi, impletum est: undique videmus plebem confluere ad hoc novum sanctuarium; cf. 3 Rg. 8, 14–21.* — B) *Proinde dignare, Deus, sollemniter ad hanc tuam sedem venire ibique manere, et implere quae Davidi es pollicitus: cf. 3 Rg. 8, 22–28, coll. 2 Chr. 6, 41 s.* — C) *Quae porro Salomon in sua contione humiliter a Deo postulavit, ea hic in forma divini responsi recoluntur; cf. 3 Rg. 8, 30–53.* — (Antiphona intercalaris et 6, 6, 6 versus).

Adnotanda. [a] *Recordare* et gratiis collatis remunerare. — Hebr. *'unnotô omne laboribus-affligi eius.* Sed perprobabile est legendum esse *'anwatô* eâque voce significari *sollicitam curam* pro aliqua re (cf. vv. seq.), ergo = memento, quantis David pro hoc templo praeparando curis occupatus fuerit.

[b] Sensus v. 2. 6 s. videtur nobis esse: quod David desideravit ac vovit, nunc opere impletum est, finita aedificatione templi; his diebus per totum regnum una haec ubique vox auditur, una haec occupatio hominum cernitur: "eamus Hierosolyma ad novum templum!„ Per nomina *Ephrata* (etymologice: regio fertilis) et *Campus silvae* (regio silvosa) recentibus interpretibus tota terra, planities et montana, australis et borealis, innui videtur.

[c] *Scabellum pedum* Dei est arca foederis (99, 5).

[d] In hoc templo Deus (cui hucusque non fuit sedes fixa, sed tabernaculum transportabile) habebit *requiem* seu *mansionem.*

[e] Se indignum profitens, qui a Deo exaudiatur, Salomon per merita patris sui David Deum rogat, ne se repellat.

[f] Post v. 10 haec vel similia verba dicta esse, cf. 2 Chr. 6, 42. Quae, si hic ponuntur (per modum modestae coniecturae), versus sequens commode adnectitur.

[g] Cf. 2 Sam. 7, 12.

[h] Hebr. *ṣêdâh* 'venationi, piscationi eius,' i. e. cibariis. Haud incongrue vero a nonnullis coniectatur, primitus scriptum fuisse *Ṣijjôn* 'Sioni benedicam.'

[i] Ad Messiam hoc referunt Israëlitae, in precatione matutina orantes: "splendor Davidis, servi tui, fac ut mox oriatur, et ut cornu eius exaltetur per salutare tuum.'

[k] *Diadema meum*, a Deo Patre Messiae paratum; TM habet *diadema eius*, Messiae.

Ps. 133 (Vg. 132). Communionis sanctorum iucunditas.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM. * DAVIDIS.

A Ecce quam bonum est et quam iucundum,
habitare fratres in unum !

B [2] *Est* tamquam oleum optimum super caput,
destillans in barbam, barbam Aaron,
quod destillat super oram vestium eius.
[3] *Est* tamquam ros Hermon,
qui descendit super montes Sion. [a]

C Ibi enim [b] largitur [c] Dñus benedictionem,
vitam usque in aeternum.

Argumentum. A) *Quam bona et iucunda est nostra unio fraterna, dum sumus congregati apud sanctuarium!* B) *nempe tam iucunda quam oleum sacrum suavissimi odoris, tam bona quam ros matutinus, montes fecundans;* C) *in Sion enim est fons benedictionis vitaeque aeternae.* — (1, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Quid est '*ros Hermon, qui descendit super montes Sion*'? Varie respondent: 1) *Ros Hermon* universim dicitur de quovis bono ac copioso rore, qualem supponere possumus inveniri in monte Hermon (ut nos dicimur habere calorem Africae, si quando in nostra regione tantus calor est quantum supponimus esse in Africa). 2) Agitur de rore qui a monte Hermon descendit in inferiorem tractum montis Hermon, cui nomen *Śi'ôn* (cfr. Dt. 4, 48); ergo non est cogitandum de monte sanctuarii *Ṣijjôn*. 3) Nuper viatori europaeo in Galilaea vespere ostensa est nubes, vento ab Hermon ad meridiem versus delata, et postridie mane, ut indigena aiebat, circa Ierusalem in forma roris matutini delapsura: ergo verissime 'ros Hermon, qui descendit in monte Sion.' Plane idem iam legitur in libro ante 100 fere annos scripto.

[b] *Ibi:* in monte Sion, apud sanctuarium; vel: *ibi*, ubi fratres sic unanimiter congregati sunt.

[c] Hebr. *mandavit*, cum accus. rei divinitus concessae (42, 9; 44, 5).

Ps. 134 (Vg. 133). Levitarum et plebis in templo Vale vespertinum.

[1] CANTICUM ASCENSIONUM.

A Ecce benedicite Dño,
omnes servi Dñi.

B *Vos* qui manetis in domo Dñi,
(* in atriis domus Dei nostri),
Nocturnis horis [a] [2] levate manus vestras ad sanctissimum, [b]
et benedicite Dño.

C [3] Benedicat tibi Dñus ex Sion,
qui fecit caelum et terram ! [c]

Argumentum. *Vespere post officia sollemnia plebs ex templo domum dimittitur per benedictionem sacerdotalem. Hoc carmine mutuum sacerdotum et plebis vale, ut videtur, canitur.* A) *Praeses liturgiae omnes ad laudem Dei invitat;* B) *ii, qui ex templo discessuri sunt, remansuros hortantur, ut pergant per noctem Deum laudare ac pro omnibus precari;* C) *discedenti populo datur benedictio sacerdotalis.* — (1, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Pluralis *lêlôt* apud poëtas nonnunquam de una nocte dicitur, quasi *horae nocturnae* vel *vigiliae nocturnae* (Cant. 3, 1. Ps. 16, 7; 92, 3 [parall. *bóqer*]).

[b] Quia manent noctu *in domo Dñi*, illud *sanctuarium*, versus quod iubentur manus suas levare, est opinor, Sanctum sanctorum.

[c] Ut in legali formula benedictionis sacerdotalis (Num. 6, 24), populo benedicitur in forma singularis " *tibi* „.

Ps. 135 (Vg. 134). Compositio liturgica pro gratiarum actione.

A [1] ALLELUIA. Laudate nomen Dñi,
laudate illud, servi Dñi.
[2] Qui statis in domo Dñi,
in atriis domus Dei nostri.
[3] Laudate Dñum, bonus enim est Dñus,
psallite nomen eius, nam suave est.
[4] Etenim Iacob elegit sibi Dñus,
Israël in peculium suum.
[5] Profecto ego cognovi quod magnus est Dñus,
Dominus noster prae*stat* omnibus diis.
[6] Quaecunque vult, Dñus facit
in caelo et terra, in mari omnibusque abyssis.
[7] Adduxit nubes a fine terrae, [a]
fulgura ad pluviam fecit, [b]
prompsit ventum ex receptaculis suis.

B [8] Ipse percussit primogenita Aegyptiorum,
tam homines quam pecora.
[9] Misit signa et prodigia in te, Aegypte,
in Pharaonem et omnes subditos eius.
[10] Ipse percussit gentes numerosas,
et occidit reges potentes:
[11] Sehon, regem Amorrhaeorum,
et Og, regem Basan,
et omnia regna Chanaan.
[12] Et dedit terram eorum hereditatem,
hereditatem Israèl, servo suo.
[13] Dñe, nomen tuum est aeternum,
Dñe, memoriale tuum [c] est ab aetate in aetatem.
[14] Nam tutatur Dñus populum suum,
et erga servos suos se propitium exhibet.

C [15] Simulacra gentilium sunt aurum et argentum,
opera manuum hominum.
[16] Os habent et non loquuntur,
oculos habent et non vident.
[17] Aures habent et non auscultant,
nasum, [d] nullus est halitus in ore eorum.
[18] Similes illis sint ii qui ea conficiunt,
quisquis confidit in illis.
[19] Domus Israël, benedicite Dño,
domus Aaron, benedicite Dño.
[20] Domus Levi, benedicite Dño,
qui colitis Dñum benedicite Dño.
[21] Benedictus sit Dñus ex Sion,
qui habitat in Ierusalem. ALLELUIA.

Argumentum. A) *Laudemus Dñum, Deum populi nostri omnipotentem, qui nobis eximia beneficia contulit,* B) *qui olim patres nostros in Aegypto et deinde in terra iis data tantis prodigiis protexit, duxit, tutatus est,* C) *unus verus Deus, a nobis colendus, in Sion residens.* — (7, 7, 7 versus).

Adnotanda. [a] Commemoratio pluviae datae inter maxima, quae passim celebrantur, beneficia ac prodigia divina indicium esse potest, hoc carmen conscriptum esse ut caneretur in solemni gratiarum actione pro pluvia concessa post diuturnam siccitatem: illa enim quam pretiosum caeli donum sit, inter calores et ariditates Orientis magis sentitur quam alibi.

[b] Fulgura imbrem in tempestate praecedere solent; illa igitur *ad pluviam* praeparandam fieri videntur.

c *Memoriale* (*zéker*) est synonymum ad *nomen*. Fortasse collato Ex. 3, 15, melius verteretur : *'Iahve' est nomen tuum in aeternum, 'Iahve' memoriale tuum ab aetate in aetatem.*

d Nonnulli censent vertendum esse : *insuper (àf) non est halitus in ore eorum.*

NB. Pene totus psalmus ex versibus aliunde transumptis constat : v. 1 s. = 134, 1 ; — v. 6 = 115, 3 ; — v. 7 = Ier. 10, 13 ; — v. 8–12 = 136, 10. 17–22 ; — v. 14 = Dt. 32, 36 ; — v. 15–20 = 115, 4–11.

Ps. 136 (Vg. 135). Pro multifariis beneficiis gratiae aguntur.

Littera ℟ indicat additum (extra metrum) epiphonema liturgicum :

" PROFECTO AETERNA EST PIETAS EIUS „.

A [1] * ALLELUIA ! Gratias agite Dño, nam bonus est, ℟
[2] gratias agite Deo deorum, ℟
[3] gratias agite Domino dominorum ! ℟

B [4] Ipsi qui facit mirabilia magna solus, ℟
[5] qui fecit caelum cum intellegentia, ℟
[6] qui firmavit terram supra aquas : ℟
[7] Ipsi qui fecit lumina magna, ℟
[8] solem, ut dominetur interdiu, ℟
[9] lunam et stellas, ut dominentur noctu : ℟

C [10] Ipsi qui percussit Aegyptios in primogenitis eorum, ℟
[11] et eduxit Israël e medio illorum, ℟
[12] manu forti et brachio extento : ℟
[13] Ipsi qui divisit Mare rubrum in partes, ℟
[14] et traduxit Israël per medium eius, ℟ [brum : ℟
[15] et excussit Pharaonem et exercitum eius in Mare ru-

D [16] Ipsi qui duxit populum suum per desertum, ℟
[17] qui percussit reges magnos, ℟
[18] et occidit reges illustres : ℟
[19] Sehon, regem Amorrhaeorum, ℟
[20] et Og, regem Basán, ℟
[21] quorum terram dedit in hereditatem, ℟
[22] hereditatem Israèl servo suo : ℟

E [23] Qui in humiliatione nostra recordatus est nostri, ℟
[24] et liberavit nos ab adversariis nostris: ℟
[25] qui dat panem omni carni: ℟
[26] gratias agite Deo caeli! ℟

Argumentum *est admodum simile psalmo praecedenti.* A) *Exordium lyricum, invitans ad laudem Dei,* B) *creatoris mundi,* C) *liberatoris plebis suae ex Aegypto,* D) *donatoris terrae promissae,* E) *misericordis patris ac tutoris Suorum.* — (1, 2, 2, 2, 1 versus).

Ps. 137. (Vg. 136). Recordatione exsilii excitatur amor Sionis.

A [1] Iuxta fluvios Babyloniae illic sedimus,
atque flevimus, cum recordaremur Sionis.
[2] Super salices in regione illa
suspendimus [a] citharas nostras. [verba carminum,
[3] Illic enim postularunt a nobis qui nos captivos tenebant
et qui nos vinctos abduxerant, laetitiam:
" canite nobis aliquod ex canticis Sión! „

B [4] Quomodo cantaremus cantica Dñi in terra aliena?
[5] si obliviscar tui, Ierusalem, obliviscatur *sui* [b] dextra mea!
[6] Adhaereat lingua mea palato meo, si non recorder tui,
si non anteponam Ierusalem vel summae laetitiae meae!

C [7] Recordare, Dñe, Edomitis diem Ierusalém! [c] [in ea! „ [d]
qui dixerunt: " destruite, destruite vel ipsa fundamenta
[8] Filia Babel [e] exitio digna! beatus qui retribuet tibi
ea quibus affecisti nos!
[9] Beatus qui apprehendet
et allidet parvulos tuos ad petram! [f]

Argumentum. A) *Exsules in Babylonia sacros hymnos Sionis canere coram oppressoribus recusarunt;* B) *indignum enim existimabant laeta canere, quasi Sionis, ubi totus fons eorum laetitiae fuerat, obliti essent;* C) *quae tristis recordatio Sionis destructae ingentem sacrae Urbis amorem excitat.* — (3, 2, 3 versus).

Adnotanda. [a] *Eas suspendimus,* eas pulsare in tam tristi condicione non libuit.

[b] Hebr. solum: *obliviscatur dextra mea.* Membrum suo officio non fungens 'obliviosum esse, oblivisci' dicitur (hebr. Iob 28, 4 passive: 'oblivioni

datus a pede,' pedum usu destitutus); quia verbum latinum aliquo genetivo indiget, dicamus: *obliviscatur sui* (sui officii) *dextra mea*, vel cum psalterio syr. aeth. vet.-lat. *obliviscatur mei d. m.*

[c] Sc. diem urbis fatalem, interitum.

[d] Huius criminis etiam Abdias propheta (v. 10 ss.) Edomitas accusat.

[e] Praepositum nomen *filia* personificationi poëticae inservit.

[f] Iam complures prophetae nomine Dei Babylonis interitum praedixerant et tali praedictione Israëlitas consolati erant. Quia igitur haec erat voluntas Dei determinata et Israëlitis manifestata, hi talis prophetiae impletionem exspectabant. Ad ultima verba cfr. Os. 14, 1. Nah. 3, 10. Iudith 16, 6 (graece).

Ps. 138 (Vg. 137). Pro beneficiis Dei gratiarum actio.

[1] DAVIDIS.

A Gratias tibi agere velim, * Dñe, toto corde meo,
coram diis [a] tibi psallere.
[2] Prosterno me ad templum sanctum tuum,
ut gratias agam nomini tuo pro pietate ac fide tua.
Nam magnificasti, super omne * nomen, eloquium tuum: [b]
[3] cum invocarem, exaudisti me,
* multum indens [c] animae meae robur.

B [4] Praedicabunt te, Dñe, omnes reges terrae,
cum audierint * omnia verba oris tui. [d]
[5] Et cantabunt de viis Dñi:
" profecto magna est gloria Dñi „.

C [6] Nam excelsus *cum sit* Dñus, humilem respicit,
sed superbum a longe cognoscit.
[7] Si ambulo in medio tribulationis, vivum me servas,
contra iram inimicorum meorum extendis manum tuam,
et salvat me dextera tua.
[8] Dñus *coepta* perficiat in me!
Dñe, pietas tua est aeterna:
opera manuum tuarum [e] ne derelinquas!

Argumentum. *Psaltes, multa ac magna Dei in se beneficia recolens,* A) *ex animo Deo gratias agit,* B) *optat, ut ab omnibus regibus Deus ita laudetur et cognoscatur,* C) *hac beneficiorum Dei memoriâ se denuo excitat ad fiduciam in Deo ponendam.* — (3, 2, 3 versus).

Adnotanda. [a] *Coram diis* gentilium; *nèged* hic usurpari videtur similiter atque in 23, 5 (cf. etiam 31, 20): ut illic pastor ovem pascit *nèged, coram* ad-

versariis malevolis, iis nempe videntibus nec impedire valentibus), ita hic psaltes *coram diis*, cum confusione deorum inanium, iisque contemptis, Iahve unum verum Deum, colit et adorat. Quaeri tamen potest, nonne melius sit, evitatâ mentione deorum, secundum stichum vertere: *coram Deo* (= in praesentia tua, Deus) *tibi psallere*. Evitant " *deos* „ LXX vertentes *coram angelis*, Syrus *coram regibus*, Targum *coram iudicibus*.

b Deus promissa Davidi cum ineffabili fidelitate implevit.

c In verbo hebr. exiguum scriptionis mendum latere videtur, quod varie corrigere conantur; supponimus in versione lectionem *tarbè* ' multiplicas.'

d De prospera felicitate regni Davidis alii quoque principes famam audient; utinam hoc esse beneficium Iahve, veri Dei, cognoscant et agnoscant!

e Scil. ea quae in me et pro me facere dignatus es.

Ps. 139 (Vg. 138). De Dei omniscientia et ubique praesentia meditatio.

1 CHORI MAGISTRO. DAVIDIS PSALMUS.

A Dñe, investigasti me et novisti,
(*Hic legatur stichus 15a*).
2 Tu nosti me sedentem et stantem. a
animadvertisti cogitationes meas de longe.
3 Incessum meum et cubationem meam scrutaris,
et omnes vias meas perspectas habes.
4 Etenim non*dum* est sermo in lingua mea,
en, Dñe, iam eum scis totum.
5 Retro et ante complecteris me,
et ponis super me manum tuam.
6 Nimis mirabilis est *talis* scientia pro me,
sublimis et mihi incomprehensibilis!

B 7 Quo abire possem a spiritu tuo,
et quo a praesentia tua fugere?
8 Si ascenderem in caelum, — illic es,
sin decumberem in orco, — ecce ades.
9 *Si* sumerem pennas Aurorae,
sedem*ve* figere vellem in fine maris,
10 Illuc quoque manus tua me duceret
et teneret me dextera tua.
11 Quodsi dicerem: " merae tenebrae me * operiant,
et nox sit *pro* luce circum me „,

12 Etiam tenebrae non essent tibi nimis obscurae,
et nox aeque ac dies luceret ;
caligo et lux *sunt* aequales. [b]

C 13 Etenim tu formasti renes meos,
texuisti me in utero matris meae. [sum : [c]
14 Gratias tibi ago quod tam stupendo modo prodigiose factus
admirabilia sunt opera tua,
et animae meae * providisti optime. [d]
* [15 [a] non latet te substantia mea]. [e]
15 [b] Quando fiebam in occulto,
contexebar in *vulvae* subterraneis, [f]
16 informe corpusculum meum [g] viderunt oculi tui.
Et in libro tuo omnes scribuntur, [h]
dies iam praeformantur, priusquam unus eorum est.
17 Mihi igitur quam pretiosa sunt cogitata tua, Deus !
quam ingens est summa eorum !
18 Ea *si* numerare vellem, arenâ plures essent,
si evigilo, adhuc sum apud te. [i]

D 19 O si interimeres, Deus, impios !
et viri sanguinum * facesserent a me !
20 Qui * obsistunt tibi scelerate,
* efferunt se perfide ut hostes tui.
21 En eos qui te oderunt, Dñe, odi,
et insurgentes contra te fastidio.
22 Perfecto odio odi eos,
inimici facti sunt mihi.
23 Scrutare me, Deus, et inspice cor meum,
proba me, et cognosce sensa mea.
24 Et vide num via * iram provocans [k] in me sit,
et bene me duc in via ad aeternitatem. [l]

Argumentum. *Psaltes* A) *divinam omniscientiam professus, quam nihil lateat,* B) *Dei ubique praesentiam permeditatur ;* C) *tum profundius recolit, quomodo Deus uniuscuiusque hominis prima initia totamque vitam futuram ipse faciat, praevideat, gubernet ;* D) *huius numinis omnia scientis sanctitatem timens, se odisse peccatores protestatus, gratiam flagitat, ut in via iustitiae semper maneat et a Deo bene ad aeternitatem ducatur.* — (6, 6, 6, 6 versus).

Adnotanda. [a] Ad v. 1 cfr. Crisin textus. In v. 2 hebr. dicitur *sedere meum et stare meum,* totam vitae rationem.

[b] Hebr. *qualis caligo, talis lux.*

c *nôra'ôt* adverbialiter 'terribilibus modis' (65, 6); *niflêti* vel 'mirabilis, mirabiliter, factus sum' (a radice *pl'*), vel 'segregatus, selectus sum' (a radic *plj*). Psaltes admiratur vere stupendum illum ac prodigiosum modum, quo infans in utero oritur, formatur, evolvitur: opus egregium sapientiae, potentiae, providentiae divinae.

d *jd't* a versionum auctoribus et a masoretis lectum est *jodà'at* 'anima mea i d n o v i t optime'; aeque bene legi potest *jadà'ta* 'animam meam n o v i s t i, seu: animae mea p r o v i d i s t i optime.' Nobis in psalmo qui totus versatur in extollenda Dei scientia et providentia, haec altera versio praeferenda esse videtur.

e Ad litteram: *non est occultatum os meum a te;* i. e. *essentia, substantia mea*, tolus ego. De transpositione stichi v. Crisin textus.

f Uterus matris, locus invisibilis ac mysteriorum plenus, cum antro subterraneo comparatur.

g *golmî* (etymologice = meum convolutum, glomeramen) iam veteres interpretati sunt '*embryonem meum*,' me, etiamtum infantem informem in utero.

h Deus nos non solum eo novit quod ipse nos in utero matris formavit, sed totam deinde vitam, actiones et sortes, certo praevidet; praedestinatque quid in singulorum vita fieri vel permitti velit. Haec idea poëtice proponitur sub imagine libri divini, in quo fata futura singulorum scribantur nostrique dies formentur, eo quod eorum velut forma (scil. sitne vita futura beata, prospera, longa an hisce contraria) determinetur.

i Sensus non est satis perspicuus. Fortasse sic: 1) Perfectiones et consilia Dei sunt mare immensum, sunt materia meditationis tam ampla, ut ea etiam pervigilando et die noctuque cogitando a me exhauriri nequeat; cotidie evigilans adhuc tantundem invenio, quod contempler. Vel: 2) Deus, ut dictum est, iam cum essem in matris utero, mei curam egit, deinde *postquam*, in lucem editus, quodammodo ad vitam *evigilavi, tota vitae meae duratio ('ôdî) est tecum*, est item obiectum providentiae tuae. Denique 3) nonnulli, exigua unius litterae mutatione facta, legere volunt: *perfeci*, vel *finivi (hăqiççôti), et adhuc tecum sum*, i. e. numeravi, quantum valui, sed nondum exhausi infinita tua consilia.

k Hebr. *dèrek 'óṣeb* est *via doloris*, via ad dolores, poenas; vel, ab alia radice, *via irae*, vitae ratio quae iram tuam provocat; cfr. arab. *ġáḍab* ira, ira Dei.

l Hebr. *via aeternitatis:* in oppositione cum via ad dolores sive iram, sine dubio intellegitur via quae me ducat ad beatam aeternitatem seu aeternam beatitudinem. Propter oppositionem membrorum etiam ad 'iram' seu 'dolorem' idea' 'aeternitatis' upplenda videtur; ergo: praeserva me abira tua aeterna, duc me ad aeternam beatitudinem.

Ps. 140 (Vg. 139). Contra inimicos maledicos oratio.

1 CHORI MAGISTRO. PSALMUS DAVIDIS.

A 2 Eripe me, Dñe, ab homine malo,
a viro scelesto praeserva me:
3 *Ab iis* qui cogitant mala in corde,
omni die excitant bella.

[4] Acuunt linguam suam sicut serpens,
virus viperinum *habent* sub labiis suis. SELA.

B [5] Custodi me, Dñe, a manibus impii,
a viro scelesto praeserva me:
Ab iis qui cogitant supplantare gressus meos,
[6] clam posuerunt superbi laqueum mihi et funes.
Expanderunt rete iuxta semitam,
decipulas collocaverunt mihi. SELA.

C [7] Dico Dño: Deus meus es tu.
o ausculta, Dñe, vocem deprecationis meae.
[8] Dñe, Domine, tegimen salutis meum, [a]
proteges [b] caput meum die proelii.

D [9] Ne permittas, Dñe, ea quae cupit impius,
dolosum illorum consilium ne prosperes, ne triumphent.
[10] Caput eorum, qui me circumveniunt, [SELA.
'id ipsum quod mihi minantur' obruat. [c]
[11] Irruant super eos carbones,
in ignem * cadant,
in barathra, non amplius surrecturi.

E [12] Vir *malae* linguae non erit stabilis in terra,
virum scelestum infortunium venatur in subversionem.
[13] Scio quod Dñus peraget defensionem miseri,
tutelam pauperum. [d]
[14] Tantum iusti gratias agent nomini tuo, [e]
habitabunt probi in conspectu tuo.

Argumentum. A) *Custodi me, Deus, ab insidiis inimicorum,* B) *qui me assidue infestant;* C) *exaudi me precantem, et die proelii protege me;* D) *hostium consilia fac ut in ipsos recidant;* E) *confido fore ut impii confundantur, iusti salvati tibi gratias agant.* — (3, 3, 2, 3, 3 versus).

Adnotanda. [a] *óz* alias 'virtus, robur,' hîc (ut 60, 9; 108, 9 *ma'ôz*) dicitur de capitis tegmine, de galea; cf. arab. *'ûḏah, mi'wâḏ* res tutans, amuletum.

[b] *śakkôta* 'protexisti' (perfectum experientiae) vel 'proteges' (perfectum confidentiae.

[c] Ad litteram: *labor* (i. e. aerumna, vexatio) *labiorum eorum* (i. e. de quo mihi inferendo loquuntur) *operiat eos*. Duplicem accusativum obiecti (personae–*mo*, et membri *rôš*) explica scd. Joüon § 126 *g* fin.

[d] V. 13 ante v. 12 poni posset; ordo enim idearum, ni fallor, melior foret, et nomen Dei in primo strophae versu aptius poneretur.

[e] I. e. superstites, tuti, incolumes erunt et pro salute sibi praestita Deo gratias agent.

Ps. 141 (Vg. 140). In tentatione et vitae periculo oratio.

1 PSALMUS DAVID.

A Dñe, invoco te: eia succurre mihi,
ausculta vocem meam clamantis ad te.
2 Valeat oratio mea pro incenso coram te,
elevatio manuum mearum pro oblatione vespertina.

B 3 O pone, Dñe, custodiam ad os meum,
excubias ad ianuam labiorum meorum
4 Ne sinas cor meum inclinari ad rem malam,
ad patranda facinora impie cum viris maleficis,
vel ad hoc ut vescar cupediis eorum.
5 Verberet me iustus: pietas est, [caput meum;
et increpet me: oleum capitis est, quod non recusabit
verum incessanter precor adversus malitias illorum. [a]

C 6 Incolumes dimissi sunt, [b] apud rupem, duces illorum,
et audiebant verba mea, quod lenia erant.
7 Velut*si* quis findit et scissuras facit in terra, [c]
sparsa sunt ossa nostra ori Inferni.

D 8 Verum ad te, Dñe Domine, sunt oculi mei,
ad te confugi, ne sinas effundi animam meam.
9 Custodi me, ne implicer laqueo [d] eorum, qui me venantur,
et tendiculis malefactorum.
10 Incident in suum ipsorum rete impii,
dum simul ego *salvus* evadam.

Argumentum. *Vehemens et diuturna persecutio Davidi fit tentatio, contra quam se precando munit. Si in v. 9 agnoscitur allusio ad eventus 1 Sam. 24 et 26 narratos, ubi David perhibetur compluries occasionem, Saulum eiusque asseclas perimendi, praetermisisse iisque magnanimiter pepercisse, complura secus obscura in psalmo nonnihil lucis accipiunt. Ceterum vv. 5–7 varie vertuntur, explicantur, emendantur. — Precatur psaltes:* A) *Instanter te invocanti, Deus, mihi subveni;* B) *praeserva me a tentatione, inter haec pericula linguâ, corde, manu peccandi: malim a bonis male tractari, quam ab impiis ad peccandum seduci:* C) *dum ego illorum vitae magnanimiter peperci, ego et mei per illorum insidias versamur in vitae periculo;* D) *proinde salva me! experiantur inimici, se suis insidiis nocuisse sibi, non mihi.* — (2, 3; 2, 3 versus).

Adnotanda. [a] A bonis castigari non detrecto, sed a vexatione impiorum me libera. Hebr. *adhuc* (vel *iterum* vel *diu*) *oratio mea* (fit) *inter mala eorum.*

[b] *šamàṭ* hebr. bibl. '(debitum) dimisit,' neohebr. 'evadere sivit,' unde annus sabbaticus est annus dimissionis (*š.miṭṭá*). Hinc de Saule et eius comitibus, quos David incolumes esse sivit, cum eos interimere posset, apte dici potuisse videtur *nišm.ṭû* 'incolumes dimissi sunt.' Idque factum est *bijdê sèla'*, sive generatim 'iuxta rupem,' sive sensu strictiore '(cum essent) in manibus rupis, rupe inclusi'; ut enim avis capta est 'in manibus retis' et liberatur *mijdê fàḥ* 'ex manibus retis' (v. 9), ita tunc Davidis adversarii erant *bijdê sèla'* 'in manibus rupis,' rupe inclusi. Illis tunc David lenia verba locutus est (v. 6*b*); tanto turpius est eorum in Davidem odium. Ab aliis 6*a* vertitur: *praecipitati sunt per latera rupis iudices eorum*, vel *inciderunt in manus duras iudicis sui* etc.

[c] Rursus de sensu verborum hebr. parum constat. Ad litteram ferme sic: *ut findens et scindens in terra* ... S. Hier. vertit: *sicut agricola, cum scindit terram:* alii: *ut si fissura scissa esset in terra*, vel: *ut si quis (ligna) findit et scindit* (et ramenta descissa utrimque cadunt) *in terram, ita* ... etc. Idea ex obscuro perlucet: morti sumus expositi, abiecti, ori Inferni ad vorandum obiecti.

[d] Hebr. *è manibus* laquei.

Ps. 142 (Vg. 141). In summo vitae periculo oratio.

[1] MASKIL. DAVIDIS. CUM ESSET IN SPELUNCA.[a] ORATIO.

A [2] Voce mea ad Dñum clamo,
voce mea Dñum obsecro.
[3] Effundo coram eo sollicitudinem meam,
angustiam meam coram ipso expono.
[4] Anxiatur quidem in me spiritus meus,
sed tu novisti viam meam,
quod in calle in quo incedo absconderunt laqueum mihi.
[5] Cum intueor ad dextram et video,[b] non est qui me bene-
[vole aspiciat,[c]
periit effugiendi facultas mihi: nemo est qui curet de
[vita mea.

B [6] Clamo ad te, Dñe,
dixi: tu es refugium meum, portio mea in terra vivorum.
[7] O attende ad lamentationem meam: nam inops sum valde,
eripe me ex persequentibus me: nam sunt me validiores.
[8] Ah! educ ex claustris[d] animam meam,[e]
ut gratias agere possim nomini tuo.

[9] Me *laete* circumdabunt[f] iusti,
si benigne providebis mihi.

Argumentum. A) *In magna angustia positus, preces fundo: insidiantur mihi, nec possum effugere;* B) *Deus, eripe me, ut et ego salvatus tibi gratias agere possim et omnes iusti, me servato, laetentur.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] Cf. 1 Sam. 22, 1; 24, 4. Ps. 57, 1.

[b] Cum Syr. Targ. ita vertimus, infinitivis absolutis suppositis; alii malunt legere precative: *intuere ad dextram et vide.*

[c] Hebr. *qui me cognoscat, agnoscat;* omnes, Davidi obviam facti, dissimulant se eum nosse, sed eum ut ignotum, alienum, frigide et malevole aspiciunt.

[d] Omni evadendi facultate praeclusa, David sibi inclusus videtur.

[e] I. e. me; cf. ad 3, 3.

[f] Aliter explicatur: *in me* (propter me) *coronas nectent*, scil. triumphales. Symmachus: *in me coronabuntur*, i. e. in me non ego solus, sed omnes iusti triumphabunt. Versio Vg. *me exspectant iusti*, quia alias verbo hebr. haec significatio nunquam competit, minus probabilis est.

Ps. 143 (Vg. 142). Humilis paenitentis in periculo oratio.

[1] PSALMUS DAVIDIS.

A Dñe, audi orationem meam,
o ausculta obsecrationem meam pro fidelitate tua,
exaudi me in iustitia tua.
[2] Et ne intres in iudicium cum servo tuo:
neque enim iustus est coram te quisquam vivens.
[3] Nam persecutus est inimicus animam meam,
humi prostravit vitam meam,
me collocavit in tenebris sicut iamdiu mortuos.[a]
[4] Hinc anxiatur in me spiritus meus,
in pectore meo cohorrescit cor meum.
[5] Memini dierum pristinorum,
meditatus sum de universo opere tuo,
res a te gestas perpendens.[b]
[6] Expando manus meas ad te,
anima mea, ut terra sicca, *sitit* te. SELA.

B [7] Festina, exaudi me Dñe: iam deficit spiritus meus,
ne abscondas faciem tuam a me, secus similis fierem
[delapsis in foveam.[c]
[8] Fac audiam mox *de* gratia tua, quia in te spero,
[meam.
fac sciam viam quam sequar, quia ad te levo animam

9 Eripe me ex inimicis meis, Dñe,
quoniam ad te *confugi.
10 Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es;
spiritus tuus bonus conducat me in * semita [d] plana.
11 Nominis tui causa, Dñe, vivum me servabis,
in iustitia tua educes ex periculo animam meam.
12 Et pro pietate tua facies ut conticescant inimici mei,
et ut pereant omnes qui adversantur animae meae:
sum enim servus tuus.

Argumentum. A) *Audi me, quamvis indignum; — persequuntur et perterrent me inimici; — memor tuorum priscorum beneficiorum anima mea exspectat te.* B) *Mox igitur salva me; — ex inimicis ereptum me bene duc: — ad honorem nominis tui salva me, servum tuum.* — (6, 6 versus).

Adnotanda. [a] Psaltes in sua miseria sibi videtur velut omni luce privatus, ac velut mortuus nunquam ad vitam revocandus.

[b] Hebr. *opera manuum tuarum*, res olim a te gestas: psaltes recordatur, quam pie, fortitur, suaviter Deus olim sive ipsum sive populum duxerit et a malis praeservaverit.

[c] *Fovea*: sepulcrum.

[d] TM *in terram planam*. Melius frt. in semita plana, ubi facilius et tutius inceditur.

Ps. 144 (Vg. 143). Pro victoriis obtentis et pace gratiarum actio.

1 DAVIDIS.

A Benedictus sit Dñus, petra mea,
qui docuit manus meas proelium,
digitos meos bellum:
2 Piissimus erga me, [a] arx, *asylum ac suffugium mihi,
clipeus meus, cui fido,
qui subigit *populos mihi.
3 Dñe, quid est homo, ut eius notitiam habueris,
filius hominis, ut de eo cogitaveris?
4 Homo flatui similis est,
dies eius sunt velut umbra praetereuntis.
5 Dñe, declina caelum tuum, ut descendas, [b]
tange montes, ut fumigent.
6 Fulmina fulmen, ut illos dispergas,
emitte sagittas tuas, ut eos conturbes.

[7] Porrige manus tuas ex alto,
libera atque eripe me ex aquis multis,
e manu alienigenarum,
[8] Quorum os promisit vana,
et quorum dextera est dextera perfida. [c]

B [9] Deus, carmen novum cantare volo tibi,
ad nablium decachordon psallere tibi,
[10] Danti victoriam regibus,
liberanti David, servum suum, a gladio malo:
[11] Liberavit atque eripuit me [d] de manu alienigenarum,
quorum os promisit vana,
et quorum dextera est dextera perfida:
[12] Ita ut [e] filii nostri sint velut plantae,
alte crescentes in adulescentia sua,
Filiae nostrae velut angulares columnae,
sculptae ad instar *columnarum* palatii:
[13] Horrea nostra plena, praebentia *fructus* omnigenos, [f]
oves nostrae milies fecundae, [g] in myriades auctae in
[14] Boves nostri onusti, [h] [ruribus nostris:
nulla*que* sit irruptio aut egressio [i]
nec vociferatio in plateis nostris.
[15] O beatum populum, cui talia sunt!
beatum populum cuius Deus est Dñus! [k]

Argumentum. A) *Psaltes gratias agit pro victoriis sibi concessis, quas non suae infirmitati, sed Dei auxilio ascribenda esse bene scit; unde pro novis certaminibus instantibus nova subsidia petit.* B) *Continuat ac perficit gratiarum actionem, describens beatum statum populi pacificati.* — (8, 8 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *pietas mea;* ut ita dicam: ipsa pietas erga me (59, 11. 18).

[b] Cfr. 18, 10 ss.

[c] Dexterâ datâ fidem iuratam confirmaverant; postea perfide defecerunt.

[d] Contextus qui in gratiarum actione versatur, exigere videtur, ut eadem verba quae in v. 7*b* precative proferebantur (*p.ṣéni w.haṣṣiléni* libera atque eripe me) hic, aliis vocalibus subscriptis, narrative enuntientur (*paṣàni w.hiṣṣilàni* liberavit atque eripuit me).

[e] Cum S. Hier. Aq. Sym. et compluribus recentibus *ăšèr* hic ut particulam consecutivam accipimus. (Cfr. adhuc Chrisin textus).

[f] Hebr. *de specie in speciem:* a mense in mensem novi fructus maturescunt et in horreis reconduntur.

[g] Hebr. *facientes milia.*

h *m. subbalîm* 'onerati' varie exponitur: mercibus frugibusve onusti, sc. in mercatura, in messe; 'crassi' (LXX), pingues (Hier.), robusti (Syr.), quasi propriâ corpulentiâ onusti; 'gravidi, fetuosi' sec. recentiores nonnullos (sed nonne tum forma feminini ponenda fuit ?). Immo *allufênu m.subbalîm* 'principes (belli duces) nostri (praedâ) onusti.'

i *pèreṣ* (irruptio, ruptura) est aut muri obsessae urbis ruptura aut ipsa hostium in urbem irruptio; *jôṣé't* (exiens, fem. sing.) in contextu videtur esse civium urbis expugnatae turba, exiens seu exire iussa sive ad se victoribus dedendam, sive in captivitatem. *Vociferatio* erit clamor populi de hac clade lugentis; sec. alios clamor rixantium.

k In fine psaltes serio monet, hanc beatam sortem solum sperari posse a populo, erga Deum suum fideli.

Ps. 145 (Vg. 144). Laus maiestatis et bonitatis Dei.

1 LAUDATIO DAVIDIS.

A

א Exaltare te volo, mi Deus, Rex,
et benedicere nomini tuo iugiter in saecula.
ב 2 Omni die volo tibi benedicere
et laudare nomen tuum iugiter in saecula.
ג 3 Magnus est Dñus et summe laudandus,
et magnitudo eius imperscrutabilis est.
ד 4 Generatio generationi laudat opera tua,
et potentiae tuae gesta nuntiant.
ה 5 Decus gloriae maiestatis tuae * eloquuntur,
mirabilia tua edisseram.
ו 6 Et robur stupendorum facinorum tuorum dicunt,
et magnalia tua narrabo.
ז 7 Memoriam immensae bonitatis tuae proferunt,
et * de beneficentia tua iubilant.

B

ח 8 Clemens et misericors est Dñus,
longanimis et magnae pietatis.
ט 9 Benignus est Dñus erga universos,
et misericordia eius est super omnes creaturas eius. a

C

י [10] Laudibus te celebrent, Dñe, omnes creaturae tuae,
et pii servi tui tibi benedicant.
כ [11] De gloria regni tui dicant,
et de potentia tua loquantur,
ל [12] Notificantes filiis hominum potentiae * tuae opera
et gloriam magnificentiae regni * tui.
מ [13] Regnum tuum est regnum omnium saeculorum,
et imperium tuum *stat* per omnem sine fine generationem.

D

נ [14] * Fidelis est Dñus in verbis suis
et pius in omnibus operibus suis.*
ס [14] Sustentator est Dñus omnibus lapsis
et erector omnibus depressis.

E

ע [15] Oculi omnium versus te exspectant,
et tu das illis cibum eorum suo tempore.
פ [16] Aperis tu manum tuam
et ad saturitatem das omni vivo beneplacita. [b]
צ [17] Iustus est Dñus in omnibus viis suis
et pius in omnibus operibus suis.
ק [18] Propinquus est [c] Dñus omnibus se invocantibus,
omnibus qui eum invocant sincere.
ר [19] Quod desiderant timentes eum, facit,
et eorum supplicationes audit eosque salvat.
ש [20] Custodit Dñus omnes qui ipsum diligunt,
impios vero universos perdet.
ת Laudem Dñi loquatur os meum,
et benedicat omnis caro nomini sancto eius,
iugiter in saecula.

Argumentum. *Totum carmen est sollemnis et eloquens laudatio Dei Optimi Maximi. Ab initio laus Dei petitur magis ex ipsa perfectione naturae divinae, postea magis ex Dei bonitate erga homines. Et quidem in parte* A) *psaltes Deum alloquitur, in* B) *de Deo " in 3a persona „ meditatur, in* C) *rursus ad allocutionem, atque in* D) *ad meditationem revertitur ; in* E) *iterum*

Deum alloqui incipit, sed in alloquio non perseverat, saltem vero in eodem argumento particulari, in describenda suavi Dei providentia, permanet. — (7, 2, 4, 2, 7 versus).

Adnotanda. [a] Misericordia Dei super omnes creaturas est, i. e. se extendit, se manifestat. Vox *opera Dei* (hebr.) in hoc et sequenti versu creaturas, creatos a Deo, significat, ut ex membrorum parallelismo elucet; aliter in v. 14,* ubi verba Dei et opera Dei (quae Deus agit) ex aequo ponuntur et in v. 17.

[b] *raṣôn* 'beneplacitum'; quod ab aliis explicatur 'id quod placet seu sapit' animantibus saturandis, ab aliis 'benevolentia, benevola dona.'

[c] *Propinquus est*, paratus preces exaudire, petita concedere.

Ps. 146 (Vg. 145). Deo soli, omnium adiutori, confidamus!

A [1] ALLELUIA. Lauda, anima mea Dñum!
[2] laudem Dñum per vitam meam,
psallam Deo meo, quamdiu exsistam!

B [3] Nolite confidere in principibus,
in filio hominis, cui(us) non est salvatio: [a]
[4] *Qui cum*, evolante spiritu eius, redit in humum suam,
eodem *iam* die perierunt consilia eius.

C [5] Beatus is cui Deus Iacób auxiliator est,
cuius spes est in Dño, Deo suo,
[6] factore caeli et terrae,
maris et omnium quae in his insunt:
Qui servat fidem in aeternum,
[7] praestat tutelam afflictis,
tribuit panem famelicis.

D Dñus solvit vinctos,
[8] Dñus visum restituit caecis,
Dñus erigit curvatos,
Dñus diligit iustos.
[9] Dñus custodit peregrinos,
orphanum et viduam sustentat,
viam vero impiorum perdet.

E [10] Regnabit Dñus in aeternum, [ALLELUIA
Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.

Argumentum. A) *Quamdiu vivam, laudem Deum!* B) *In hominibus mortalibus spes non est ponenda,* C) *sed in Deo potentissimo, fidissimo,* D) *om-*

nium indigentium adiutore; E) *hic Deus est aeternus Sionis rex!* — (1, 2, 2, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *cui(us) non est salvatio.* Hoc interpretati sunt alii active = penes quem non est facultas salvandi (Syr. *in cuius manu non est salus,* " alius „ apud Orig. *qui non habet salvare*), alii passive = qui ne ipse quidem interitum evadet (Hier. *cui non est salus*).

Ps. 147 (Vg. 146. 147). Laudatur Deus, omnipotens Sionis restaurator.

A [1] * ALLELUIA. Laudate Dñum: nam bonum est psallere Deum
nam iucundum est sonore canere laudem! [a] [nostrum,
[2] Reaedificat Ierusalem Dñus,
dispersos Israél congregat.
[3] Ipsa sanat fractos corde,
et medetur doloribus eorum.
[4] Assignat numerum stellis,
singulas nomine vocat.
[5] Magnus est Dominus noster grandisque potentiae,
intellegentia eius est inenarrabilis. [b]
[6] Sustentat mansuetos Dñus,
humiliat impios usque ad terram.

B [7] Canite Dño cum gratiarum actione,
psallite Deo nostro ad citharam:
[8] Qui obtegit caelum nubibus,
qui parat terrae pluviam;
Qui facit ut montes progerminent gramen,
⟨* et herbam servitio [c] hominum⟩.
[9] Qui dat pecori pabulum suum,
pullis corvorum, qui clamitant.
[10] Non robore equi delectatur,
nec crura viri ei placent.
[11] Placent Dño timentes Eum,
expectantes pietatem Eius.

(Epilogus)

C [12] Celebra, Ierusalem, Dñum,
lauda Deum tuum, Sion.
[13] Nam firmas reddidit seras portarum tuarum,
benedixit filiis tuis in te.

[14] Ipse composuit territorium tuum in pace,
adipe tritici satiat te.
[15] Ipse *cum* mittit edictum suum ad terram,
velocissime currit verbum eius.
[16] Ipse dat nivem sicut lanam,
pruinam velut cinerem spargit, [d]
[17] deiicit glaciem suam tamquam frustula.
Ingruente Eius frigore *aquae rigescunt, [e]
[18] mittit verbum suum, et liquefacit illas,
flare iubet ventum suum, et manant aquae.
[19] Ipse promulgavit verbum suum Iacòb,
statuta ac decreta sua Israèl.
[20] Non fecit talia ulli genti,
et decreta *sua eis non manifestavit. ALLELUIA.

Argumentum. *Invitantur Israëlitae ad laudem Dei sui,* A) *qui populum suum dispersum iam colligit et restaurat pro sua potentia, sapientia, providentia ;* B) *qui reversos nutrit et, licet debiles, tamen, modo Deum timeant eique confidant, pie protegit ;* C) *qui sacram urbem iterum in pace constituit, cuius prosperae rerum in melius mutationis tempus vernum hiemi succedens est imago[c]; ea Deus fecit, quoniam populum Israël prae omnibus aliis nationibus elegit atque amat.* (6, 6 versus, cum epilogo 8 versuum).

Adnotanda. [a] Parallelismi atque aptae verborum constructionis gratia supponimus, uti *zamm.rá*, ita *na'ᵃwá* quoque esse infinitivum, nempe radicis *n'h* (pulcher, amenus est) infinitivum Pi'lel vel Pi'el; in idiomate neohebr. Pi'el huius verbi significat 'decoravit, ornavit': pro 'decorare laudem' dicamus liberius 'decoram' vel 'sonoram canere laudem.' (Ad formam cfr. *ra'ᵃwá* pro *r.'ôt*, inf. Qal, Ez. 28, 17).

[b] Ad litteram: *intellegentiae eius non est numerus* vel *enumeratio* vel *enarratio.*

[c] Cfr. ad 104, 14.

[d] Color nivis et lanae, apparentia seu forma pruinae et cineris inter se comparantur.

[e] Hebr. *ante faciem frigoris eius quis stat ?* i. e. ingruenti frigori quis (seu quid) resistere potest? Perprobabilis videtur complurium coniectura, legendum esse *ante faciem frigoris eius aqua stat (màjim ja'módu)*, i. e. rigescit. Praepositio *lifnê* tunc (ut 68, 3, 96, 13 al.) apte vertitur *adveniente* seu *ingruente* frigore. Hoc vocatur *frigus Eius* (Dei), utpote a Deo missum.

Ps. 148. Caelum et terra laudent Deum.

A [1] ALLELUIA! Laudate Dñum de caelis,
laudate eum in excelsis.
[2] Laudate eum, omnes angeli eius,
laudate eum, omnes exercitus eius.

[3] Laudate eum, sol et luna,
laudate eum, omnes stellae lucis.
[4] Laudate eum, caeli caelorum,
et aquae, quae supra caelum sunt.
(Hic legatur versus 8.)
[5] Laudent nomen Dñi:
nam * Ipse dixit, et facta sunt,
Ipse mandavit, et creata sunt.
[6] Et fecit ut stent in saecula,
in aeternum praeceptum dedit, quod non transibit. [a]

B [7] Laudate Dñum de terra,
cete et omnia aequora. [b]
[[8] Ignis et grando, nix et pluvia, [c]
ventus procellae, exsequens verbum Eius.]
[9] Montes et omnes colles,
arbores frugiferae et omnes cedri.
[10] Ferae et omnia pecora,
reptilia et volucres pennatae.
[11] Reges terrae et omnes populi,
principes et omnes rectores terrae.
[12] Iuvenes et etiam virgines,
senes *una* cum pueris.
[13] Laudent nomen Dñi:
nam excelsum est nomen Eius solius,
maiestas eius super*at* caelum et terram.
[14] Et altum tribuit cornu populo suo, [d]
laudis hymnum [e] omnibus Sibi caris,
filiis Israël, populo Sibi propinquo. ALLELUIA!

Argumentum. A) *Laudent Deum creaturae caelestes, quod eas tam potenter creavit ac conservat;* B) *laudent eum creaturae terrestres, praesertim homines, atque imprimis Israël, qaod hunc populum suum tantopere elevavit et amat.* — (7, 7 versus).

Adnotanda. Paritas stropharum, quam nemo non exspectat, exigit ut unus versus ex posteriore stropha in priorem transferatur. Probabile est (id quod iam compluribus . lacuit) versum 8, in quo enumerantur res quae ad regionem nubium et aëris pertinent ideoque ad caelestia referri possunt, transponendum esse.

[a] Praeceptum Dei naturae datum ***non transibit*** (Esth. 1, 19. Mt. 5, 18; 24, 35), numquam abrogabitur. Recentes malunt legere: *praeceptum dedit, quod non transeunt*, non violant creaturae; sensus idem est.

[b] *Omnia aequora :* i. e. omnia quae in maribus vivunt (ut *omnis terra* = omnes incolae terrae : 66, 1 ; 100, 1).

[c] *Ignis :* fulgur (Ex. 9, 23. Num. 11, 1). — Voce *qîṭôr* alibi 'fumus' indicatur ; propter similitudinem aspectus hic, ut plerique censent, 'vapor' vel potius 'nubes' ita appellatur (Cf. Biblica 7, 182 ss. 'nubes'). Nota vero quod hic *qîṭôr* nominatur cum rebus e nube delabentibus (fulgur, grando, nix) et inter eas pluviam omitti improbabile est ; porro habetur verbum arab. *qâṭara* 'guttatim stillavit (aqua),' et complura nomina derivata, ut *qâṭr*, plur. *qiṭâr* 'pluvia.' Ideo nobis probabile videtur, hoc loco *qîṭôr* esse pluviam.

[d] De alto cornu cf. ad 18, 3 ; 75, 12 ; 89, 18.

[e] Deus, Israëlitis eximia beneficia largiendo, iis dat laudis hymnum, i. e. rationem, occasionem, obligationem sibi gratias agendi (40, 4).

Ps. 149. Carmen militia sacrae.

A [1] ALLELUIA. Cantate Dño canticum novum,
laudem eius in coetu piorum.
[2] Laetetur Israël de Factore suo,
* et filii Sión [a] iubilent de Rege suo.
[3] Laudent nomen eius in chorea, [b]
tympano et cithara psallant ei.
[4] Nam benevolus est Dñus erga populum suum,
ornat humiles salute.

B [5] Exsultent pii de *tali* gloria,
iubilent in cubilibus suis,
[6] praeconia Dei *canentes* gutture suo.
Gladium vero ancipitem *gerant* manu sua,
[7] *parati* exercere vindictam in gentibus,
castigationes in nationibus ;
[8] Vincire reges eorum compedibus
et nobiles eorum manicis ferreis ;
[9] Exsequi in iis iudicium praescriptum : [c]
glori*osum* id est omnibus piis Eius. ALLELUIA.

Argumentum. A) *Cum gaudio Israelitae Deum, conditorem regemque suum collaudent, utpote qui se diligere populum suum ostendat ;* B) *de hoc Deo-Rege laetantes simul arma gerant paratique sint ad hostes regni Dei debellandos et ei subiciendos.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] *filii Sion* : Sionitae, cives regni Dei, cuius caput est Sion.

[b] Sunt quibus *maḥôl*, hîc et 150, 4 et alibi cum instrumentis musicis com-

positum (150, 4 in media instrumentorum enumeratione), videatur esse non *chorea* (LXX. Hier.), sed (Syr. Targ.) aliquod instrumentum musicum, a mulieribus quoque tractabile (Ex. 15, 20. Idc. 11, 34), fortasse *sistrum*.

c Victoria de hostibus regni Dei iis imaginibus, coloribus, actibus describitur, sub quibus in historia VTi apparet.

Ps. 150. Sollemnis in honorem Dei concentus.

A [1] ALLELUIA. Laudate * Dñum in sanctuario eius,
laudate eum in firmamento maiestatis eius. [a]
[2] Laudate eum ob opera potentiae eius, [b]
laudate eum pro immensa magnitudine eius.

B [3] Laudate eum clangore tubae,
laudate eum nablio et cithara,
[4] laudate eum tympano et chorea. [c]
Laudate eum chordis et organo,
[5] laudate eum cymbalis bene sonantibus,
laudate eum cymbalis alte strepentibus.

* *

[6] OMNE ANIMANS LAUDET DNUM. ALLELUIA. [d]

Argumentum. A) *Deum in caelo regnantem collaudemus*, B) *omnibus instrumentis et vocibus concinentibus*. — (2, 2 versus).

Adnotanda. a Nempe in sanctuario suo caelesti habitantem et regnantem, ut plerique explicant. In altero membro synonymo dicitur *in firmamento* (domicilio) *maiestatis eius*.

b Hebr. *in potentiis eius*.

c Cfr. ad 149, 3. Etiam hic nonnulli nomine *maḥôl* instrumentum musicum, *sistrum*, indicari censent.

d Etiam hic quintus psalmorum liber, ut priores quattuor, versu supernumerario, convenienti doxologia, absolvitur.

APPENDIX

CANTICA BREVIARII ROMANI

Quia Ecclesia romana psalmis in officio sacro " Cantica „ quaedam, ex multis quae in S. Scriptura continentur selecta, intermiscet et pari habet honore, haec quoque cum psalmis proponere placet.

CANTICA DOMINICAE

in breviario romano sunt partes celeberrimi illius " Cantici trium puerorum „, quod textus graecus libri Daniel (in cap. 3) nobis tradidit. Et in communibus quidem diebus dominicis festisque altioris ritus dicuntur vv. 57–88*a*, addita doxologia ac versu 56; — in dominicis vero a Septuagesima usque ad dominicam palmarum recitantur vv. 52–57.

Hic ponemus hymnum integrum vv. 52–90, in sua propria forma, seposito ad marginem inferiorem responsorio intercalari, quod unicuique sticho subnexum est, et omissis — ex speciali ratione (cf. Crisin textus) — duobus versibus 67. 68. Cum ordo versuum in variis codicibus graecis tam inter se quam ab ordine Vulgatae in compluribus locis differat, sequimur ordinem Vulgatae.

Canticum trium puerorum

secundum textum graecum Theodotionis.

(Dan. 3, 52–90).

A [52] Benedictus es, Dñe, Deus patrum nostrorum, R^1
et benedictum nomen gloriae tuae sanctum. R^2
[53] Benedictus es in palatio [a] sanctae gloriae tuae, R^3
[54] benedictus es super thronum regni tui. R^4
[55] Benedictus es qui intueris abyssos, sedens super cherubim,[b] R^1
[56] benedictus es in firmamento caeli. R^5.

Versus intercalaris varians :

R^1 = et laudabilis et superexaltatus in saecula.
R^2 = et superlaudabile et superexaltatum in omnia saecula.
R^3 = et superlaudabilis et supergloriosus in saecula.
R^4 = et superlaudabilis et superexaltatus in saecula.
R^5 = et laudabilis et glorificatus in saecula.

B [57] Benedicite omnia opera[c] Dñi Dño, R
[58] benedicite angeli Dñi Dño. R
[59] Benedicite caeli Dño, R
[60] benedicite, aquae et omnia supercaelestia, Dño. R
[61] Benedicite omnia agmina[d] Dñi Dño, R
[62] benedicite sol et luna Dño, R
[63] benedicite astra caeli Dño. R

C [64] Benedicite omnis imber es ros Dño, R
[65] benedicite omnes venti Dño. R
[66] Benedicite ignis et aestus Dño R [* [67]. [68]]
[69] benedicite pruinae et nives Dño, R
[70] benedicite glacies et frigus Dño, R
[71] Benedicite noctes et dies Dño, R
[72] benedicite lux et caligo Dño, R
[73] benedicite fulgura et nubes Dño. R

D [74] Benedicat terra Dño, R[6]
[75] benedicite montes et colles Dño, R
[76] benedicite omnia quae crescunt in terra Dño. R
[77] Benedicite fontes Dño, R
[78] benedicite maria et flumina Dño. R
[79] Benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Dño, R
[80] benedicite omnes volucres caeli Dño, R
[81] benedicite omnes bestiae et pecora Dño. R

E [82] Benedicite filii hominum Dño, R
[83] benedicite, Israël, Dño. R
[84] Benedicite sacerdotes Dño, R
[85] benedicite servi Dño. R
[86] Benedicite spiritus et animae iustorum[e] Dño, R
[87] benedicite pii et humiles corde[f] Dño, R
[88] benedicite Anania, Azaria, Misaël Dño. R.

F Quia eruit nos de inferno,
et ex manu mortis salvavit nos.

Versus intercalaris :

R[6] = hymnum dicat et superexaltet eum in saecula.
R[7] = quoniam aeterna est pietas eius.
R = hymnum dicite et superexaltate eum in saecula.

Et liberavit nos ex medio fornacis ardentis flammae
et de medio ignis eripuit nos:
[89] gratias agite Dño, quoniam bonus est. R[7]
[90] Benedicite, omnes colentes Dñum, [g] Deo deorum,
hymnum dicite et gratias agite. R[7]

Argumentum. *Dum populus ad adorationem statuae Nabuchodonosor regis congregatus impio mandato paret, illi tres fortissimi iuvenes hoc hymno divinitus inspirato unum verum Deum, Deum Israël confitentur et omnes ex ordine creaturas, praesertim eas quas gentiles passim ut deos colebant, ad laudem Dei provocant eoque gentiles docent, omnia haec esse non deos, sed creaturas, omnem vero laudem atque adorationem uni vero Deo convenire. Itaque* A) *incipitur sublimis laudatio divinae maiestatis ; — deinde ad Deum collaudandum invitantur* B) *creaturae caelestes,* C) *creaturae caeli aërei,* D) *terrestres ratione carentes ac* E) *ratione praeditae :* — F) *indicatur occasio et ratio huius hymni canendi. In fine carminis etiam non-Israëlitae (LXX* οἱ σεβόμενοι τὸν Κύριον*) ad glorificandum unum verum Deum, " Deum deorum „, provocantur.* — (3 ; 3, 3, 3, 3 ; 3 versus).

Adnotanda. *Stichi responsorii* (R) singulis stichis adiecti videntur additamentum liturgicum esse nec ad corpus carminis pertinere (ut in Ps. 136). His enim responsoriis sepositis, reliquis vero pro more binis vel ternis in versus compactis ac versibus in strophas distributis, exsistit carmen psalmis formâ simile.

[a] I. e. in caelo ; ναός (quod pro hebr. *hêkál* poni solet) hic, ut Ps. 11, 4, *palatium* caeleste indicat, non *templum* hierosolymitanum (quod destructum erat).

[b] Omniscientia et summa maiestas Dei indicatur.

[c] *Omnia opera*, omnia a Deo facta, omnes creaturae.

[d] δυνάμεις, sine dubio = *ṣ.ba'ôt* (cf. Ps. 148, 2), sunt astra, 'militia caeli.'

[e] Iusti toto spiritu et animo laudent Dñum. Animas iustorum defunctorum hic spectari, consideratis aliis locis (Ps. 6, 6 ; 30, 10 ; 88, 12. Iob 10, 21 s. Is. 38, 18) et proximis versibus, ubi adhuc viventes enumerantur, minus probabile est.

[f] *Pii et humiles corde* (probr *'ănawîn*) sunt pii Israëlitae poenam exsilii patienter sustinentes.

[g] *Colentes Dñm :* omnes veri Dei cultores, etiam ex gentilibus.

CANTICA FERIAE SECUNDAE

I. **Canticum Davidis.** (Par. 29, 10–13) :

A [10] Benedictus es, Dñe,
Deus Israël, patris nostri,
ab aeterno in aeternum.

B [11] Tua est Dñe magnificentia et potentia
et gloria atque victoria et maiestas.
Universa enim in caelo et in terra * tua sunt :
tuum, Dñe, est regnum,
et *tuus* is qui eminet super omnes ut caput.

[12] Divitiae et gloria abs te sunt,
et tu dominaris omnium :
In manu tua est virtus et potentia [omnia.
et in manu tua est magnificare et firmare

C [13] Itaque, Deus noster, celebramus te,
et laudamus nomen tuum inclitum.

Argumentum. *David rex, paulo antequam moreretur, omnibus ad templum aedificandum necessariis liberaliter ab ipso datis atque a populo oblatis, in sollemni coetu Deo gratias agit:* A) *Summa laude dignus es, Domine,* B) *propter infinitam tuae essentiae dominationisque divinae perfectionem;* C) *ideo benedicimus tibi.* — (1, 4, 1 versus).

II. **Canticum Isaiae**. (Is 12, 1–6)

A [1] Et dices die illo :
" Gratias tibi ago, Dñe !
Nam iratus *cum* fueris in me,
iam conversa [a] est ira tua et consolatus es me :
[2] ecce Deus est salus mea.
Fiduciam habeo nec timeo,
quia fortitudo mea et laus mea est Dñus,
et factus est mihi in salutem „.
[3] Et haurietis aquam cum gaudio
de fontibus salutis.

B [4] Et dicetis die illo :
" Gratias agite Dño, proclamate nomen eius.
Nota facite in populis grandia opera eius,
praedicate quod excelsum est nomen eius.
[5] Psallite Dño, quia gloriosa fecit,
notum *fiat* hoc in universa terra „.
[6] Exsulta et iubila, civitas [b] Sion,
nam magnus est in medio tui Sanctus Israél.

Argumentum. *Isaias futurae aerae messianicae beatitatem et copiam salutis adumbrat. Et quidem hanc aeram describit* A) *ut tempus gratiae et salutis pro Israëlitis,* B) *ut tempus quo Deus ut salvator annuntiandus sit omnibus populis.* — (4, 4 versus).

Adnotanda. [a] *Conversa est:* hunc sensum supponunt LXX, Syr. Hier.

[b] *jôšèbet* (fem. sing. collective pro plurali) universitas incolarum ceu civium, civitas.

CANTICA FERIAE TERTIAE:

I. **Canticum Tobiae.** (Tob. 13, 1–18 [in breviario 1–13])

Versio secundum textum graecum codicis vaticani.

A [1] Benedictus Deus,
qui vivit in saecula, et regnum eius![a]
[2] Nam ipse flagellat et miseretur,
deducit ad infernum et reducit,
et non est qui effugiat manum eius.[b]

B [3] Gratias ei agite, filii Israël, coram gentilibus,
quod ipse dispersit vos inter illos.
[4] Ibi ostendite magnitudinem eius,
exaltate eum coram omni vivente.
Quandoquidem ipse est dominus noster,
et Deus est pater noster in omnia saecula.
[5] Flagellat nos quidem pro iniquitatibus nostris,
sed rursus miserebitur et colliget * vos
ex omnibus gentibus quocumque dispersi fueritis.[c]

C [6] Si revertimini ad eum toto corde vestro totaque anima,
ad agendum coram eo sincere,
Tunc revertetur ad vos,[d]
nec abscondet faciem suam a vobis.
Spectate igitur quid facturus sit vobiscum,
et gratias ei agite toto * ore vestro.
Et benedicite domino iustitiae,
et exaltate Regem saeculorum!

D Ego in terra, ubi captivus dego, profiteor eum,
et ostendo potentiam ac magnitudinem eius genti
[peccatorum:
" Convertimini, peccatores, et facite iustitiam coram eo;
quis scit si[e] benevolus erit vobis
et faciet misericordiam vobis! „

E [7] " Deum meum exalto,
et anima mea Regem caeli,
et exsul*tans can*et maiestatem eius „:
[8] *Sic* dicant omnes
et celebrent eum in Ierusalem:

[9] " Ierusalem, civitas Sancti !
flagellabit[f] *te* pro operibus filiorum tuorum,
et iterum miserebitur filiis iustorum.[g]
[10] Gratias age Dño bene,
et benedic Regi saeculorum,
Ut iterum tabernaculum eius aedificetur tibi
et laetificet in te exsules [cum gaudio
Et diligat in te miserabiles
in omnes generationes saeculi.[h]

F [11] Gentiles multi a longe venient.
ad *honorandum* nomen Dñi, Dei tui,
Dona in manibus habentes
et donaria Regi caeli,[i]
generationes generationum dabunt tibi exsultationem.

G [12] Maledicti omnes qui oderunt te,[k]
benedicti erunt omnes, qui diligunt te, in aeternum.
[13] Gaude et exsulta de filiis iustorum,[l]
nam colligentur et benedicent domino iustorum.
[14] O beati qui diligunt te !
laetabuntur de prosperitate tua.[m]
Beati quicunque contristati erant, ob flagella tua,
nam de te laetabuntur, conspicati totam gloriam tuam „.

H [15] Laetetur igitur in aeternum anima mea !
benedic Deo, regi magno !
[16] Nam aedificabitur Ierusalem ex sapphiro
et smaragdo et lapidibus pretiosis,
Omnia moenia tua et turres
et propugnacula ex auro puro.
[17] Et plateae Ierusalem beryllo et carbunculo
et lapide ex Ophir sternentur.

I [18] Et dicent omnes plateae eius Alleluia,
et laudem dicent :
Benedictus *sit* Deus,
Is qui exaltavit * nos, in omnia saecula !

Argumentum. *Tobias, modo a caecitate mirabiliter sanatus, in hac sua miseria suaque ad salutem restauratione cernere sibi videtur imaginem ac typum providentiae divinae de populo Israël, qui pariter a Deo affligitur, sed, si Deo manet fidelis, restaurabitur. Hanc igitur divinam de populo Israël*

providentiam hoc carmine laudat. — A) *Benedictus Deus, qui flagellat et rursus miseretur!* B) *Benedictus Deus, qui etiam populum exsulem sic humiliat eiusque rursus miserebitur;* C) *si enim Israêlitae ad Deum revertuntur, Deus revertetur ad eos;* D) *ego interim in terra exsilii Deum meum coram gentilibus confiteor.* E) *Tu quoque, Ierusalem, benedic Domino: humiliaris, sed olim restauraberis;* F) *gentes longinquae ad te venient;* G) *maledicti qui te oderunt, benedicti qui te diligunt!* H) *reaedificaberis gloriose,* I) *in plateis tuis cantabitur Alleluia.* — (2, 4, 4, 2, 6, 2, 4, 4, 2 versus).

Adnotanda. [a] *Regnum eius:* eius regnandi mundumque gubernandi ratio. Quae statim describitur.

[b] Similia dicuntur 1 Sam. 2, 6. Sap. 16, 13.

[c] Ad versus v. 4 s. confer Deut. 32, 5 ss.

[d] Cfr. Deut. 30, 1–4.

[e] *Quis scit si* = spes certa est fore ut etc.; cfr. Ioel 2, 14. Ion. 3, 9.

[f] *Flagellabit:* Tobias vaticinans praevidet fore, ut etiam urbs sacra destruenda sit.

[g] *Filiis iustorum:* sc. sanctorum patriarcharum, Abraham, Isaac, Iacob.

[h] Ut Isaias propheta (cc. 44. 45. 49), ita hic Tobias praedicit fore, ut Ierusalem post ruinam restauretur, exsules illuc reducantur ibique novo Dei favore, eoque aeterno, fruantur.

[i] Cfr. Is. 2, 1–5; 60, 1 ss.

[k] Cfr. Is. 54, 17; 60, 12.

[l] Genuini *filii iustorum*, sanctorum patriarcharum veri imitatores.

[m] Cfr. Ps. 122, 6.

II. **Canticum Ezechiae.** (Is. 38, 10–20)

A [10] Ego dixi: in tranquillo cursu dierum meorum
abeundum mihi est ad portas inferni,
abscissis mihi reliquis annis!
[11] Dixi: non videbo Dñum [a] in regione vivorum,
non conspiciam homines amplius apud incolas mundi!
[12] Habitaculum meum iam destruitur et aufertur mihi ut tu-
[gurium pastorum,
iam convolvi, ut textor *filum*, vitam meam: a licio me
[abscindit. [b]

* [a die ad vesperam consummabis me].

[13] Exspectavi [c] usque ad mane:
sed ut leo, sic confringit omnia ossa mea;
a die ad vesperam consummabis me.

14 Ut hirundo, *ut* grus,[d] sic pipio,
gemo ut columba.
Anxie prospectant oculi mei in excelsum:
Dñe, vis mihi infertur, sponde pro me.[e]

B 15[f] Quid loquor? — et dixit mihi! — et Ipse fecit![g]
pie pertransibo totos annos meos, memor amaritudinis
16 Quos Dominus tuetur, *hi* vivunt: [animae meae.
et futurum est, ut compleatur inter illos, vita spiritus mei[h]
et me sanum ac vivum servabis.
17 Ecce ad salutem amarum mihi fuit, tam amarum, [interitûs,
cum tu amanter praeservaveris animam meam a fovea
proiectis post tergum tuum omnibus peccatis meis.
18 Profecto non infernus te praedicat *nec* mors laudat,[i]
non exspectant, qui descenderunt in foveam, benignita-
19 Vivens, vivens ipse te praedicat, ut ego hodie, [tem tuam.
pater filiis narrat de benignitate tua.
20 Dñus ad me salvandum *subvénit*,[k]
et hymnos meos modulabimur[l] omnibus diebus vitae
[meae apud aedem Dñi.

Argumentum. *Carmen continet* A) *cogitationes, sensus, affectus Ezechiae regis praematura morte, nisi Deus intervenisset, morituri;* B) *regis ab Isaia propheta pollicitatione vitae diutius servandae confortati.* — (6, 6 versus).

Ut valde diversa fuisse censenda sunt sensa regis doloroso morbo brevi morituri, ac regis divino interventu salvati, ita diversae sunt ambae partes carminis.

Adnotanda. Complures huius cantici versus esse valde difficiles et obscuros notum est. Ne longi simus, paucae notae nobis sufficiant.

a *Videre Dñum:* invisere templum (Ps. 63, 3; cf. 41, 3).

b Duae imagines proponuntur: tentorium nomadum destructum, ut alio migrent, et filium a textore convolutum et iamiam a "licio„ (a filo, quo pannus texendus est iugo alligatus) abscindendum.

c Lectione Vg. *(qiwwîti)* supposita, sensus esse videtur: *exspectavi*, meliora speravi, me victurum saltem *usque ad* proximum *mane;* at tanta fuit morbi vis, ut *a die ad vesperum*, i. e. antequam diei vespera succederet, seu inter paucas horas, interimendus esse visus sim.

d Quae aves nomine *sûs* et *'agûr* significentur, non plane constat, nec duaene aves sint (recentes: *hirundo* et *grus*) an una (LXX *hirundo*, sine addito: Syr. *hirundo pipiens*, Hier. *pullus hirundinis*, Targ. *hirundo quae capitur*, Sym. *hirundo inclusa*). Placet, sed non est certa, recens versio: ut *avicula hostiliter invasa* seu molestata, *sic pipio* (cfr. arab. *'ágara* 'molestavit, gladio aggressus est).

e Sponsor meus esto, tuere me, securum me redde!

f Inter ambas strophas paulisper velut quiescendum est, et mente interponendum colloquium regis et prophetae, sanationisque secutae saltem initium.

g Verba prae vehementia affectuum valde abrupta, si recolatur series eventuum (regis vitae periculum extremum, eius preces gemebundae, oratio tam cito exaudita, velox ad sanitatem restauratio), lucescunt. Vixdum *dixit* vates, et iam *fecit* Deus quae ille dixit, et rex, superata amaritudine animae suae, quiete peraget *totos annos suos* (totum numerum annorum suorum). Verbum *eddaddé* (Hitp. radicis *ddh* lexx.), coll. Ps. 42, 5, modum ambulandi pium, laetum, sollemnem (ut in processione) subindicat. — Praepositionis *'al* vis hîc varie concipitur: *pro, propter*, cum libera versione: *memor* amaritudinis etc.; vel: *nonobstante* amaritudine *(malgré, trotz)*.

h Sententia obscura, explicatu difficilis, critice addubitabilis. Verba servata uti praeiacent, nobis ita construi et explicari posse videntur: *Ii super quos est Dñs* (in initio supple *ăšèr*, quod omitti potest; cfr. Joüon § 157*a*, p. 479 l. 5), seu quos protegit Dñs (de hoc usu vocis *'al* cf. Ps. 110, 5. Iob 33, 23), *vivunt*, a morte praeservantur, *et vita spiritus mei est* [*lkl* legimus *la-kól:* inf. Qal. verbi *kll*, a quo derivantur *kól* 'totus' et *kalîl* 'perfectus'] destinata *ad plene perficiendum*, ad hoc ut tota, sine abbreviatione, peragatur, *in illis*, inter illos sc. quos Deus vivos servat (si cum nonn. codd. legitur *bahèm*), vel *in illis* sc. annis (si cum TM legitur *bahèn*).

i Supponitur hic status mortuorum, qualis fuit antequam Christus caelum aperiret. Etenim ante Christi de morte triumphum mortui, quantumvis in vita fuissent iusti, ad caelestem beatitudinem non admittebantur; quare mortui nec ita ut caelites beati Deum laudare nec ita ut terrae incolae pro Deo laborare poterant. Unde eorum sors ut altum silentium describitur, cui vita terrestris inter laudes Dei transacta praeferri mereatur. Porro mortui in limbo dicuntur *non exspectare Dei benignitatem* (hoc significare solet *ĕmèt*, praesertim si cum synonymo *ḥèsed* 'pietas' copulatur cfr. Joüon in Mélanges V 406 ss.), quia ante Messiae adventum mitigatio vel immutatio sortis eorum sperari non poterat.

k Hebr. *Dñs ad me salvandum:* utrum supplendum sit *adest* vel *adfuit*, an *adsit*, ab aliis aliter concipitur.

l *Hymnos meos:* rex conscripsit poëma (v. 9), quod una cum populo *(modulabimur)* cantabit.

CANTICA FERIAE QUARTAE.

I. **Canticum Iudith**. (Idth. 16, 2–21 [Vulg.])

* In breviario soli ponuntur versus 15–21.

(Versio textus graeci).

A [2] Ordimini Deo meo tympanis,
canite Dño cymbalis.
Modulamini ei psalmum et laudem,
exaltate et proclamate nomen eius.
[3] Nam profligator bellorum est Dñus,
[4] nam in sua castra per medium populum eripuit me [a]
e manu persequentium me.

B [5] Venerat Assur ex montibus ab aquilone, [b]
venerat cum myriadibus militum suorum :
Quorum multitudo interclusit convalles,
et quorum equitatus operuit colles.
[6] Dixerat se incensurum territorium meum,
et iuvenes meos interempturum gladio,
Se lactentes meos allisurum solo, [c]
infantes meos daturum in praedam
et virgines meas rapturum.

C [7] Dñus omnipotens eos deturbavit per feminam,
[8] neque enim succubuit dux eorum iuvenibus,
Nec filii Titanum percusserunt eum,
nec celsi gigantes aggressi sunt eum :
Sed Iudith, filia Merarí,
pulchritudine faciei suae debilitavit eum.

D [9] Exuit enim vestem viduitatis suae,
ut erigeret dolentes in Israël.
[10] Unxit faciem suam unguentis
et vinxit capillos suos mitrâ,
Et sumpsit amictum lineum ad delectandum illum,
[11] sandalia eius rapuerunt oculum illius, [d]
Et pulchritudo eius captivavit animam illius :
pertransivit acinaces cervicem illius.

E [12] Horruerunt Persae audaciam eius,
et Medi intrepidam fiduciam eius stupuerunt. [e]
[13] Tunc iubilaverunt humiles mei, et *illi* timuerunt,
debiles mei : et consternati sunt,
levaverunt vocem suam : et in fugam versi sunt.
[14] Filii puellarum [f] confoderunt illos
et sicut servos aufugientes transfigebant eos :
perierunt per aciem *militum* Domini mei.

F [15] Cantabo Deo meo hymnum novum !
[16] Dñe, magnus es et gloriosus !
Admirabilis *es* virtute, insuperabilis,
[17] tibi servire debet universa creatura tua.
Etenim edixisti, et facta sunt,
misisti Spiritum tuum, et aedificata sunt,
nec est, qui resistat voci tuae.

[18] Montes enim *licet* a fundamentis cum aquis commoveantur,
rupesque a facie tua ut cera liquescant,
adhuc vero timentibus te tu propitius es. [g]

G [19] Parva enim res est omne sacrificium in odorem suavitatis,
et exiguus omnis adeps in holocaustum tibi;
qui vero timet Dñum, magnus est perpetuo. [meum!
[20] Vae gentilibus insurgentibus contra genus
Dñus omnipotens ulciscetur eos die iudicii, [h]
[21] Dans ignem et vermes in carnes eorum, [i]
et plorabunt, ea sentientes, usque in aeternum.

Argumentum. A) *Festive cantate Deo, qui me salvavit!* B) *venerunt enim Assyrii, pessima quaeque nobis minitantes;* C) *sed Deus eos per feminam conturbavit, per Iudith,* D) *quae, lugubri veste deposita, se ornavit, pulchritudine Holofernem allexit, atque hunc occidit;* E) *quo facinore hostes consternati sunt et nullo negotio devicti;* F) *quam potens est Deus! quam in timentes se benignus!* G) *quoniam igitur cultores Dñi tantopere ab eo diliguntur, vae gentilibus, qui populum eius aggrediuntur!* — (3, 4, 3, 4, 3, 4, 3 versus).

Adnotanda. [a] Cfr. Iudith 13, 12.

[b] Omnes invasores hostiles per Coelesyriam, ergo ab aquilone in Palaestinam venire consueverant.

[c] Is erat mos victorum; cfr. Os. 14, 1. Nah. 3, 10. Ps. 137, 9.

[d] Cfr. Iudith 10, 1–4.

[e] In exercitu Assyriorum milites ex nationibus maxime diversis conscripti erant; Persae et Medi nominantur, uti bellatores fortissimi, famâ celebres.

[f] Adulescentes viribus debiles.

[g] Nemo et nihil praevalet contra omnipotentiam Dei. Sed pii, humiles, iusti, non habent, quod timeant.

[h] Quia Deus timentes se, ac praesertim populum Israël, a se electum, amat, eos severe puniet qui hunc hostiliter infestant. Etenim *" qui tetigerit vos,* inquit, *tangit pupillam oculi mei „* (Zach. 2, 8).

[i] Cfr. Eccli. 7, 19 (lat., *sim.* graec.): *Humiliav alde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii* [est] *ignis et vermis „.*

II. **Canticum Annae**. (1 Sam. 2, 1–10)

A [1] Exsultat cor meum in Dño,
alte se erigit frons mea per * Deum meum.
Late aperit se [a] os meum adversus inimicos meos,
etenim laetor de subsidio tuo.

B [2] Non est Sanctus par Dño,
neque enim est *Alius* praeter te,
neque est numen par Deo nostro.
Nolite saepe loqui tam superbe, tam superbe,
neu prodeat *sermo* contumax ex ore vestro.

C [3] Nam Deus multae scientiae est Dñus,
et ab ipso diriguntur actiones.
[4] Arcus fortium laxantur,
labantes vero accingunt robur.
[5] Saturi pro pane se locant,
famelici vero *esurire* cessant.
Immo sterilis *uxor* parit septem, [b]
et quae multos *peperit* filios, emarcescit.

D [6] Dñus mortificat et vivificat,
deducit in Infernum et *inde* educit.
[7] Dñus pauperem facit et ditat,
humilem reddit aut celsum.
[8] Erigit ex pulvere inopem,
ex sterquilinio attollit pauperem,
Sedem *ei* assignans cum principibus,
et thronum gloriae ei conferens.

E Profecto Dñi sunt bases terrae,
et posuit super ipsas orbem.
[9] Gressus piorum suorum conservat,
dum impii in tenebris intereunt :
nec enim suo ipsius robore aliquid valet vir.

F [10] Dñus adversarios suos perterrefaciet,
super eos in caelo tonabit.
Dñus iudicabit fines terrae ;
et dabit potentiam regi suo
et exaltabit cornu christi sui.[c]

Argumentum. A) *Laetatur cor meum*, B) *in Dño, cui soli omnia bona attribuenda sunt ;* C) *ipse enim est Deus omniscius atque omnipotens,* D) *ad suum arbitrium hominum sortes disponens ;* E) *totum orbem ita regit, ut tandem pios beatos reddat, impios perdat,* F) *adversarios suos perimat, christum suum exaltet.* — (2, 2, 4, 4, 2, 2 versus).

Adnotanda. [a] Scil. prae laetitia ridendo.

[b] *septem* pro multis ponitur (ut Dt. 28, 7. Prov. 26, 16).

[c] Filiolus Annae iudex erit et primos reges unget.

CANTICA FERIAE QUINTAE

I. **Canticum Ieremiae.** (Ier. 31, 10–14)

A [10] Audite verbum Dñi, gentes,
et annuntiate in insulis procul. [eum,
Et dicite: Is, qui dispersit Israël, congregabit
et custodiet eum, sicut pastor gregem suum.
[11] Nam iam redempturus est Dñus Iacob,
et liberaturus de manu potentioris.

B [12] Et venient et exsultabunt de celsitudine Sión,
et exhilarescent de bonis Dñi,
De frumento et vino et oleo
et de fetu ovium et armentorum.
Eritque anima eorum quasi hortus irriguus,
neque languescent amplius.

C [13] Tunc laetabitur virgo in chorea,
et iuvenes et senes simul.
Et convertam luctum eorum in gaudium [suo.
et consolabor ac laetificabo eos pro maerore
[14] Et large reficiam animam sacerdotum pinguedine,
et populus meus bonis meis satiabitur: ait Dñus.

Argumentum. A) *Erit tempus, cum Israèlitae dispersi recolligentur;* B) *tum rursus in monte Sion abundantiam habebunt bonorum,* C) *ac commune erit gaudium sacerdotum et plebis unitae. Applicatio ad populum Dei iterum per schismata et haereses dispersum ac divisum, et ad preces pro eius unione fundendas in promptu est.* — (3, 3, 3 versus).

II. **Canticum Mosis post transitum Maris rubri.** (Ex. 15, 1–18)

A [1] Cantabo Dño, nam magnifice se glorificavit,
equum et equitem deiecit in mare.
[2] Hymnus et psalmus meus est de Dño, qui me salvavit:
hic est Deus meus quem praedico,
Deus patris mei quem exalto.

B [3] Dñus est bellator,
" Iahve „ est nomen eius.
[4] Currus Pharaonis et exercitum eius praecipitavit in mare,
electi aurigae eius submersi sunt in Mari rubro.
[5] Pelagi undae operuerunt eos,
delapsi sunt in profundum velut lapis.

C [6] Dextera tua, Dñe, excellens potentiâ,
dextera tua, Dñe, percussit inimicum.
[7] Et multitudine maiestatis tuae destruxisti adversarios tuos,
misisti indignationem tuam, quae devoravit eos, ut *ignis*
[8] Vento igitur irae tuae coacervatae sunt aquae, [stipulam.
steterunt velut agger undae,
compacti sunt pelagi fluctus in medio mari.

D [9] Dixerat inimicus: " persequar! assequar!
dividam spolia, implebitur anima mea!
exseram gladium meum, spoliabit eos manus mea! „
[10] Flavisti vento tuo, operuit eos mare,
submersi sunt quasi plumbum in aquis immensis.

E [11] Quis est tibi par in fortibus, Dñe?
qui est tibi par, excellens sanctitate?
Venerande laudibus! qui facis miracula!
[12] extendisti dexteram tuam, devoravit illos terra.
[13] Dux exstitisti pro pietate tua populo quem liberasti,
quem iamiam ducis versus habitaculum sanctum tuum.

F [14] Audito hoc, populi contremiscunt,
iam dolor corripit incolas Philisthaeae,
[15] iam conturbantur principes Idumaeae.
Robustos Moab obtinet tremor,
iam cohorrescunt omnes incolae Chanaan.
[16] irruit super eos formido et pavor.
Magnitudine brachii tui fiunt rigidi ut lapis,
donec pertransierit populus tuus, Dñe,
donec pertransierit populus, quem acquisivisti.

G [17] Introduces ac plantabis eos in monte heredita-
[tis tuae,
in firmo loco residentiae tuae quem fabricatus es, Dñe,
Sanctuarium, Domine, *illic* fundaverunt manus tuae,
[18] *ibi* Dñus regnabit perpetuo in aeternum.

Argumentum. A) *Deo gratias!* B) *qui hostes in mare proiecit;* C) *suâ enim omnipotentiâ illos, fluctibus mirabiliter coacervatis et,* D) *cum hostes iam de instante triumpho gloriarentur, refluentibus, subito mersit;* E) *hic potens Deus nunc populum suum in terram promissam ducturus est;* F) *quare coram Eo iam gentes vicinae cohorrescunt;* G) *Israëlitae vero laeti procedent versus Terram sanctam, ubi Dñus inter eos habitare et regnare vult in aeternum.* — (2, 3, 3, 2, 3, 3, 2).

CANTICA FERIAE SEXTAE.

I. Ex vaticiniis Isaiae prophetae. (Is. 45, 11–25).

Nota. In breviario incipitur a v. 15. Contextus nectendi causa aliquot versus praecedentes addimus. Haec verba Isaiae oratio solemnis prophetica potius sunt quam carmen, quia tamen talis oratio ad poësin prope accedit, more veterum et recentium eam in versus stichosque dividere, atque in quasdam velut strophas digerere placuit.

A [11] Haec dicit Dñus,
Sanctus *Deus* Israél eiusque conditor;
De eventuris interrogate me,
[mittite.
pro filiis meis meoque opere manuum mihi *curam* com-
[12] Ego feci terram et homines super eam creavi,
meae manus expanderunt caelum,
et ornatum eius ego *esse* iussi.
[13] Ego excitavi illum [a] in iustitia,
et omnes vias eius dirigam.
Ipse aedificabit urbem meam,
et meos captivos dimittet
non pro mercede aut munere: ait Dñus Sabaoth.

B [14] Haec dicit Dñus:
fructus laborum Aegyptiorum
et merces Aethiopum et Sabaeorum, virorum procerorum,
ad de transibunt et tua fient.
Te *ipsi* sequentur in vinculis, [b]
et tibi se prosternent teque precabuntur:
" tantum apud te est Deus, nec est alius: apage deos! " [c]

15 Vere tu es Deus absconditus,
Deus Israél, salvator.
16 *Dum* confunduntur et ignominiâ oppleti abeunt
universi simul fabricatores idolorum,
17 Israël salvatur per Deum salute aeterna : [aeterna.
non confundemini nec ignominiam patiemini in saecula

C 18 Nam sic dicit Dñus, creator caeli,
ipse Deus, creator factorque terrae ac conservator,
Qui eam non, ut *maneat* solitudo, creavit,
sed, ut habitetur, eam formavit :
" Ego sum Dñus, et nullus est praeterea „.
19 Non in occulto locutus sum,
in loco terrae obscuro. [d]
Non dixi posteris Iacób :
in vanum quaerite me. [e]
Ego Dñus loquor iusta,
annuntio aequa.

D 20 Congregamini et venite,
accedite cuncti, de gentilibus salvati !
Nihil sciunt qui portant ligneum simulacrum suum [f]
et preces fundunt ad deum, qui salvare nequit.
21 Enuntiate et proferte,
et consilientur una :
Quis praedicavit hoc antiquitus,
iam pridem id praenuntiavit ?
nonne ego, Dñus ?
Quandoquidem non est praeterea Deus ultra me,
Deus iustus et salvans non est praeter me.

E 22 Convertite vos ad me et salvamini ! omnes fines terrae :
nam ego sum Deus et nemo praeterea.
23 Per me iuro,
egressus est ex ore meo iustum effatum,
verbum irrevocabile :
Mihi se curvato omne genu
et iurato omnis lingua !

[24] ‘Tantum in Dño,’ de me dicent, ‘est iustitia et robur,
ad Eum veniendum est;
sed confunduntur omnes Ei infensi’ „.
[25] In Dño iustificabuntur
et *habebunt quo* glorientur omnes posteri Israél. [g]

Argumentum. *Isaias in capite 44 coepit vaticinari de Cyro, futuro restauratore sanctae urbis et templi (44, 24–28). Hunc Deus missurus est et adiuturus ad regna sibi subicienda, potissimum vero ad salvandos liberandosque Israëlitas (45, 1–7). Oratione ferventi interposita liberatoris adventus flagitatur (“* Rorate, caeli, desuper *„ etc.: 45, 8–10), vaticinium continuatur:* A) *Deus Cyrum mittet, ut, captivitate soluta, theocratia instauretur (45, 11–13),* B) *ad quam alienigenae quoque, Deo Israëlitarum tamquam uno vero Deo cognito, se adiungent (45, 14–17);* C) *Iahve se omnibus ut verum Deum manifestat (45, 18–19),* D) *ac praesertim hoc suum de eventu futuro consilium iam nunc praedicit, ut per hoc olim, vaticinio impleto, ut verus Deus agnoscatur (45, 20–21);* E) *in epilogo omnes invitantur, ut per veram conversionem ad hunc Deum promissae salutis se participes reddant (45, 22–25).* Salute et liberatione, quam Deus per Cyrum efficit, quanto maior ac sublimior est redemptio totius generis humani per Christum, quem hoc hebdomadis die, feria sexta, cruci pro nobis affixum meditamur; qui se ipsum nobis ut verum Deum, Dei Filium, probavit; utinam hunc omnes ut suum Redemptorem, Dominum, Deum agnoscant!

Adnotanda. [a] *illum:* scil. Cyrum, de quo ante hos versus nominatim agebatur.

[b] Accessio gentium ad theocratiam in restaurata Sion condendam saepe a prophetis describitur sub imagine gentium devictarum et victoribus servientium.

[c] Cum *èfes* fere idem sit quod *ên, ên ‘ôd* (non est, non sunt iam...; cfr. Gesenius–Buhl, s. v.), vertendum nobis videtur in hoc contextu: *èfes ĕlohîm* = ‘non sunt dii! apage deos! (fort mit den Göttern!).’ Alii *èfes* hic pro particula pleonastice apposita habent et vertunt: “ *tantum in te est Deus, et non est alius insuper deus* „.

[d] Dii gentilium, oracula eorum, saepe *in occulto, in loco terrae tenebroso* loquebantur, in antris subterraneis: non ita verus Deus.

[e] Dii gentilium a suis cultoribus exigunt ut se colant *in vanum*, i. e. caece, non probatâ certis argumentis deorum exsistentia et divinitate; haud ita verus Deus. Secundum alios *in vanum* = frustra, sine emolumento et mercede; etiam hoc verum est: dii suos cultores dimittunt inanes, cum iis nihil dare queant; verus Deus timentes se beatos reddit.

[f] I. e. idolorum cultores.

[g] Contextus exigit ut *semen (posteri) Israél* intellegatur populus electus per conversionem gentilium auctus; hi omnes *in Jahve*, in sua unione cum vero Deo, iusti fient, salutis aeternaeque gloriae participes fient.

II. **Canticum Habacuc.** (Hab. 3, 2–19).

1 ORATIO HABACUC PROPHETAE IN DITHYRAMBIS.

A 2 Dñe, audivi nuntium tuum *et* timeo;
Dñe, opus tuum in decursu annorum vivifica. a
In decursu annorum te * manifesta,
in ira tamen misereri memento!

B 3 Deus de Theman venit,
Sanctus de montanis Pharán. SELA.
Operit caelum maiestas eius,
et laudis eius plena est terra. b
4 Et splendor eius perlucidus est,
radii ei ex manu *micant*,
ubi latet potentia eius.
5 Ante ipsum graditur Letum,
et Lues sequitur vestigia eius,

C 6 Stat, et tremefacit terram,
aspicit, et terret gentes.
Et diffringuntur montes antiqui,
collabuntur colles vetusti,
antiqua Ipsi itinera. c
7 Aerumnis sub*iecta* video tentoria Aethiopiae,
tremunt tabernacula d Madián.

D 8 Num in flumina exarsit, Dñe,
num in flumina ira tua,
num in mare indignatio tua,
Quod conscendis equos tuos,
currus tuos triumphales?
9 *) Nudatum promis arcum tuum,
iuramenta, virgas verbi. e SELA.
Terram findis ut flumina profluant, f
10 te viso tremunt montes,
imber aquarum irruit.
Oceanus infremit,
alte elevat manus g suas.

[11] Sol, luna manet in domicilio suo, [h]
ad lucem sagittarum tuarum quae pervolant,
ad splendorem fulminis, hastae tuae.

E [12] In iracundia graderis per terram,
in ira trituras gentes.
[13] Egrederis ad salutem populi tui,
ad salvandum christum tuum.
Confringis caput ex domo impii,
quam diruis a fundamentis ad collum. [i] SELA.
[14] Confodis suis ipsorum hastis caput bellatorum eius,
qui irruunt ad me dispergendum :
Quorum laetus clamor *sonat*
ut devoraturi miserum in latibulo.
[15] *) Calcas mare equis tuis,
aestuantibus undis immensis.

F [16] His auditis tremit pectus meum,
ad hanc vocem fremunt labia mea.
Penetrat tabes ossa mea,
et genibus [k] contremisco,
Cum quiete mihi expectandus est dies tribulationis,
irruptio populi nos aggressuri.

G [17] Nam *tunc* ficulnea fructum non feret,
nec proventus erit in vineis.
Inanis erit labor oleae *impensus*,
et arva non afferent cibum.
Deficient de caulis oves,
nec erunt armenta in stabulis.
[18] Nihilominus ego in Dño exsultabo,
iubilabo in Deo salvatore meo.

H [19] Dñus Dominus est robur meum
et facit pedes meos *veloces* velut cervinos.
Et super excelsa mea me deducet,
* ut hymnum canere possim [l] in fidibus meis.

*) V. 9 *a. ò.* videtur esse ponendus in loco v. 15 [l], et v. 15 vice versa loco v. 9 [i]. Etenim idea Dei mare equis calcantis (v. 15) bene v. 8° adnectitur, idea arcus prompti (v. 9) bene v. 13, 14°.

Argumentum. *Habacuc propheta, postquam poenam Iudaeis impiis per Chaldaeos infligendam, sed etiam interitum Chaldaeorum pro eorum superbia,*

violentia, iniustitia atque idololatria praedixit, normamque generalem iustitiae divinae proposuit, secundum quam iustus in sua fide veram vitam sit inventurus, impius vero tandem merito interiturus (cap. 1 et 2), in hoc sublimi carmine totum argumentum poëtice recolit, descripto terribili iudicio Dei de gentibus, in quo tandem hostes populo Dei infensi peribunt, populus Dei salvabitur. A) *Vates, timorem suum verbis Dei excitatum professus, rogat, ut Deus opus suum exsequens cum iustitia misericordiam coniungat.* B) *Dein describit maiestatem Dei ad opus suum exeuntis et* C) *terrorem quem Iudicis apparitio provocat; dein sequitur descriptio operis Dei, potissimum iudicii in impios exercendi ad salutem populi electi (DE), ac primum quidem* D) *symbolice exhibet Deum iudicem irâ suâ totum orbem terrarum perterrefacientem, deinde* E) *proprio sermone eundem, ut populum suum salvet, eius hostes perimentem; haec permeditatus vates* F) *magnum quidem iudicii ingruentis timorem sentit, sed* G) *simul salutis promissae spem et gaudium concipit, quin etiam* H) *in iubilum de speranda salute carmen desinere facit. — Similia nos cogitare decet ac sentire, meditantes de futuro die iudicii. Quando Eum quem hodie, feria sexta, cruci pro nobis affixum colimus, videbimus* " venientem in nube cum potestate magna et maiestate „, *tunc quidem erit* " in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et exspectatione [eorum] quae supervenient universo orbi „. *Sed pro iustis tunc valebit — pro nobis omnibus tunc valeat! — illud* " his fieri incipientibus respicite et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra „. *(Luc. 21, 25–28).* — (2, 4, 3, 6, 6, 3, 4, 2 versus).

Adnotanda. [a] *Vivifica;* ad vitam voca, exsequere.

[b] Comitantes Deum angeli laudem eius canunt (Ps. 50, 6; 97, 6); hac laude resonat tota terra.

[c] Montes et colles *Deo* sunt *antiqua*, antiquissima, *itinera*, utpote ferme primitiae creationis (cf. Ps. 90, 2. Prov. 8, 25 al.). Deus, nunc ut iudex terram perambulans, poëtae videtur eadem itinera facere, quae olim, mundum condens ac formans, fecit.

[d] *Tentoria, tabernacula*, metonymice significant tentoriorum, incolas, nomades.

[e] *Iuramenta, virgas*, (baculos) *verbi:* Deus iudex incolas terra increpans, criminum arguens, poenas indicens, promit velut tela iuramenta, ac baculos verbi (cf. Is. 11, 4 " percutiet terram virgâ oris sui „).

[f] Hebr. *terram findis* [*in*] *flumina*, i. e. ita ut flumina seu inundationes oriantur.

[g] Intellege undas maris procellâ in altum elevatas.

[h] Prae luce fulgurum vel siderum lux obtenebrescit; sol, luna non videntur, sed tantum fulgura advenientis Dei (cf. Mt. 24, 29).

[i] *Caput* et *collum* poni videntur pro parte domus summa.

[k] Ad litteram *subtus me;* membra inferiora, genua, pedes indicantur.

[l] Ultimum vocabulum hebr. *in fidibus meis* plane suadet, ut lectionem LXX. Syr. Vg. sequamur (cf. Crisin textus) vertamusque *ut hymnum canam in fidibus meis;* ita versus et stropha rite completur, atque totum carmen apte absolvitur.

CANTICA SABBATI

I. **Canticum Ecclesiastici.** (Sir. 36)

Versio textus hebraici.

A [1] Salva nos, Deus universorum,
[2] et immitte terrorem tuum super omnes gentes.
[3] Alleva manum contra populum alienigenarum,
ut videant potentiam tuam.
[4] Sicut te sanctum ostendisti, ipsis videntibus, in nobis, [a]
ita, nobis videntibus, te gloriosum ostende in illis,
[5] Ut cognoscant, sicut nos cognovimus,
quod non est Deus praeter te.

B [6] Renova signa et repete portenta,
[7] gloriam manifesta manûs et robur brachii et dexterae. [b]
[8] Excita iram et effunde indignationem,
[9] humilia adversarium et prosterne inimicum.
[10] Accelera finem et constitue opportunum tempus,
[11] quis enim dicere tibi audebit: " quid facis? „
[12] Interime caput principum inimici, [c]
illum qui dicit: " Nemo praeter me! „

C [13] Collige omnes tribus Iacób,
ut hereditatis participes sint sicut *in* diebus antiquis.
[14] Miserere populi appellati nomine tuo,
Israëlis, quem " primogenitum „ cognominasti.
[15] Miserere urbis sanctae tuae,
Ierusalém sedis residentiae tuae.
[16] Imple Sion maiestate tua,
et gloriâ tuâ templum tuum.

D [17] Da testimonium iis qui ab initio factura tua sunt, [d]
et confirma vaticinium dictum in nomine tuo.
[18] Da mercedem confidentibus in te, [e]
et *fac ut* prophetae tui veraces inveniantur.

[19] Audi orationes servorum tuorum
pro tua erga populum tuum benevolentia,
Ut cognoscant omnes fines terrae,
quod tu es Deus aeternus.

Argumentum. *Pro populo suo a geutilibus presso preces fuudit Siracides. Orat,* A) *ut Deus se glorificet,* B) *coërcitâ gentilium superbiâ,* C) *restauratâ veteri felici statu populi electi et urbis sanctae,* D) *impletis vaticiniis a Deo datis atque exauditis precibus populi.* — (4, 4, 4, 4 versus).

Quo praecise tempore et in quonam ex parte gentilium periculo Iesus, filius Sirach, hanc orationem composuerit, nescimus. Nihilominus cum, eo vivente (librum suum circa annum 190 a. Chr. n. conscripsit), iam Seleucidae partem territorii Palaestinae sibi vindicarent et varie Iudaeis vim inferre inciperent, iamque velut crepusculun ingrueret illius tristioris aetatis, qua Hebraei vi ad deficiendum a fide compellebantur, intellegimus, auctori occasionem potuisse occurrere ita precandi; confer aliam eius precem in capite 51 Ecclesiastici.

Pta Mater Ecclesia in epistula Missae " pro fidei propagatione „ hoc carmen sensu paulum huic fini accommodato, recitat tamquam orationem pro gentilibus atque Iudaeis iufidelibus convertendis. Precatur enim A) ut Deus dignetur " timorem sui „ gentilibus immittere, quo ipsi quoque Deum cognoscant, sicut nos eum cognovimus; B) ut eos omnes, sive principes sive alios adversarios, qui propagationem regni Dei vi impedire praesumunt, potentia sua efficaciter cohibeat; C) ut Deus etiam ipsius populi Israël, " qui (ut recens quaedam oratio dicit) tamdiu populus electus fuit „, misertus, omnes huius nationis reliquias in regnum Dei, in Sion messianam, i. e. in sanctam Ecclesiam, colligat; D) denique ut se Deus omnibus a se creatis, toti generi humano, manifestet per praecones et prophetas (missionarios), eorum praedicatione signis diviuis confirmata, quo tandem universi fines terrae unum omnium Deum agnoscant. Eadem Ecclesiae catholicae pia mente et intentione nos quoque aptissime in Laudibus Sabbati hoc canticum persolvamus.

Adnotanda. Numeros versuum assignavimus secundum Vulgatam.

a Scilicet nos pro peccatis nostris puniens.

b Hebr. *glorifica manum, et robora brachium et dexteram.*

c Fortasse vertendum est *percute caput, tempora* (les tempes, die Schläfen) *inimici:* cf. Num. 24, 17 hebr. Pro *inimici* in hebr. habetur etiam l. var. ***Møab.***

d Populus Israël, ut populus electus, est eminenti sensu factura Dei; " ipse enim fecit nos „ ait psalmista (Ps. 100, 2; cf. 95, 6 s).

e Merces condigna confidentium in Deo est adeptio plena bonorum quae a Deo exspectant. Sed fortasse vertendum est potius; *da mercedem praeconibus tuis (qiwwá)* praeconori; cf. Ps. 52, 11; merces praeconum Dei est ut eorum praeconium credatur et acceptetur.

f Prophetae, praesertim Isaias, praedixerunt gloriosum regnum Del omnes populos complectens, aeram pacis et beatitudinis.

II. Magnum canticum Mosis.

(Dt. 32, 1–43).

A [1] Auscultate, caeli, et *sinite* loquar,
et audiat terra verba oris mei.
[2] Defluat ut pluvia doctrina mea,
stillet ut ros sermo meus,
Ut imber super herbam
et ut pluviae guttae super gramen.
[3] Etenim nomen Dñi proclamabo :
tribuite magnitudinem Deo nostro.

B [4] Numinis perfectum est opus,
profecto omnes eius viae sunt iustissimae.
Deus fidelis est et absque iniquitate,
iustus et rectus est. [*sed* filiastri, [a]
[5] Prave se gesserunt erga eum, non " filii „ Eius,
generatio prava et perversa.
[6] Dño retribuis talia,
populе amens et insipiens ?
Nonne ipse est pater tuus qui te procreavit,
qui ipse te fecit ac condidit ?

C [7] Memento dierum antiquorum,
considera annos omnium et singularum generationum.
Interroga patrem tuum, ut edoceat te,
senes tuos, ut dicant tibi :
[8] Quando hereditatem suam assignavit Altissimus gentibus,
quando divisit filios Adám,
Destinavit territoria populorum,
etiam numero filiorum Israël. [b] [Iacob,
[9] Profecto pars propria Dñi est populus eius
sors hereditatis eius * Israël.

D [10] Invenit eum in terra deserti,
in regione inculta, horrida, torrida.
Circumducebat eum, erudiebat eum,
custodiebat eum ut pupillam oculi sui,

11 Sicut aquila, quae excitat pullos suos,
super eos volitat,
Expandit alas suas, eos sumit,
eos portat super pennas suas.
12 Dñus solus eum ducebat :
neque erat cum eo deus alienus.

E 13 Evexit eum ad excelsa terrae,
cibavit eum proventu camporum,
* Sugendum ei praebuit mel de rupe
et oleum de duro saxo,
14 Spissum lac vaccarum et lac ovium
cum adipe agnorum et arietum,
boum pinguium et hircorum :
Necnon medullam tritici,
et sanguinem uvarum bibendum merum.
15 * Comedit Iacob et saturatus est,
et impinguatus est Iesurun [c] et recalcitravit :
pinguis evaseras, corpulentus, turgidus.

F Et repudiavit Deum factorem suum
et aspernatus est numen salutis suae.
16 Provocabant Eum *diis* alienis,
et abominandis rebus Eum lacessebant.
17 Immolabant daemoniis non-diis, [d]
diis quos *antea* non noverant,
Novellis, recenter adventiciis,
quos non coluerant patres eorum.
18 Numen quod te genuerat, oblivioni dabas
et immemor fuisti Dei, genitoris tui.

G 19 Id vidit Dñus et repudiavit,
ad iram provocatus a filiis filiabusque suis.
20 Dixitque : " abscondam faciem meam ab eis,
videam, qualis futurus sit finis eorum.
Nam generatio perversa sunt,
filii in quibus nulla est fides.
21 Ipsi me provocaverunt per non-deos,
irritaverunt me vanis rebus suis ;
Et ego eos provocabo per non-populum, [e]
per gentem insipientem eos irritabo „.

H [22] " Profecto ignis accensus est per iram meam,
ardebitque usque ad infernum imum.
Vorabitque terram ac proventum eius,
et incendet fundamenta montium.
[23] Adaugebo super eos mala,
sagittas meas cunctas immittam in eos.
[24] Absumendi *erunt* fame et perimendi pestilentiâ,
et lue acerbissima.
Et dentes bestiarum immittam iis
cum veneno animalium in pulvere repentium „.

I [25] " Foris liberos occidet gladius
et in conclavibus terror,
Tam iuvenem quam virginem,
lactentem cum viro cano.
[26] Iam dixissem: " diffindam eos,
deleboque ex hominibus memoriam eorum „,
[27] Nisi arrogantiam hostis timerem,
ne id infitiarentur adversarii eorum,
Ne dicerent: ' nostra manus vicit,
et non Dñus operatus est totum hoc ' „.

K [28] Gens enim sunt consilii expers,
nec est in eis intellegentia.
[29] Si sapientes essent, intellegerent hoc,
prospicerent fini suo.
[30] Ecqui persequi posset unus mille
et duo in fugam vertere decem milia,
Nisi Numen eorum vendidisset eos,
et Dñus eos tradidisset ?
[31] Neque enim Numini nostro par est numen eorum :
huius rei inimici nostri sint arbitri !

L [32] " Profecto de vite Sodomorum est vitis eorum
et de arvis Gomorrhae (* palmes eorum). [f]
Uvae eorum sunt uvae venenosae,
et botros peramaros habent.
[33] Virus draconum est vinum eorum
et venenum viperarum dirum.

[34] En id [g] est reconditum apud me,
obsignatum in thesauris meis
[35] * pro die vindictae et retributionis :
Pro tempore quo labetur pes eorum ;
quando prope erit dies perniciei eorum,
et approperabunt destinata illis fata. [36]

M [37] Tum dicet: " Ubi sunt dii eorum,
numina in quibus confisi sunt ?
[38] *Ubi* ii qui adipem victimarum eorum comedebant
et bibebant vinum ab iis libatum ?
Surgant et opitulentur vobis
et * sint vobis praesidio !
[39] Videte nunc, quod Ego *solus* sum
et nullus est deus praeter me.
Ego mortifico et vivifico,
percutio et ego sano,
nec est qui de manu mea eripere valeat „.

N [40] " Profecto levo ad caelum manum meam,
dicoque: Per vitam meam aeternam *iuro :*
[41] Si acuero fulmen gladii mei
et arripiet iudicium manus mea,
Reddam ultionem adversariis meis
et iis, qui oderunt me, retribuam.
[42] Inebriabo sagittas meas sanguine,
et gladius meus vorabit carnem.
De sanguine occisorum et captivorum,
de capitibus ducum hostium „.

O [36] Profecto tuebitur Dñus ius populi sui
et servorum suorum miserebitur,
Cum videbit, ' evanuisse omne robur '
et *omnes,* servos liberosque, [i] deficere.
[43] Iubilate, gentes, de populo Eius,
quia sanguinem servorum suorum ulciscetur
Et vindictam reddet adversariis suis
et expiabit terram populi sui.

Argumentum. *Paulo antequam moreretur Moses, Deus eum et Iosue ad tabernaculum testimonii accersivit (Dt. 31, 14) ibique apparens Mosi di-*

xit : " Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra ad quam ingreditur, ... et irritum faciet foedus quod pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum, et derelinquam eum ... ; invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die : Vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala. Ego autem abscondam et celabo faciem meam in die illo propter omnia mala quae fecit, quia secutus est deos alienos. Nunc itaque scribite vobis canticum istud et docete filios Israël „ (31, 16-19).

Moses autem, ultimis dispositionibus factis, legis libro sollemniter levitis tradito, dixit iis : " Congregate ad me omnes maiores natu et doctores, et loquar, audientibus eis, sermones istos, et invocabo contra eos caelum et terram ... Locutus est ergo Moses, audiente universo coetu Israël, verba carminis huius et ad finem usque complevit „. (31, 28. 30) A) *Carmen canto ad Dei gloriam.* — B) *Deus erga populum a se electum fidelis ac pius fuit, sed populus in Deum infidelis et impius :* C) *Deus enim Israëlitas prae ceteris gentibus dilexit,* D) *per desertum duxit,* E) *in terra fertili eis sedem assignavit.* — F) *Israëlitae vero cultu deorum alienorum Deum offenderunt,* G) *et plane meruerunt puniri et* H) *multifariis poenis affici ;* I) *quin etiam deleri mererentur, nisi ratio honoris Dei obstaret.* — K) *Pro insipientia sua igitur Israëlitae* L) *et pro morum corruptela et impietate punientur ;* M) *quando vero, sic eruditi, inanitatem deorum intellexerint et ad verum Deum se converterint,* N) *tum eos Deus hostibus perditis, salvabit.* — O) *Omnes proinde Deum Israël collaudent, qui populo suo iuste iudicato misericordiam impertit.* — De forma strophica carminis cf. Linder in Zeitschrift für Kath. Theologie 48 (1924) 374 ss. — (4 ; 5, 5. 5, 5 ; 5, 5, 5, 5 ; 5, 5, 5, 5 ; 4 versus).

Adnotanda. [a] Hebr. *non filii eius,* (*sed*) *macula eorum ;* Moses dicturus erat '*filii eius,*' sed considerans populum tam impium nomen 'filiorum' non mereri, dixit *non filii eius, sed tantum filiorum macula* (nos diceremus: " ein Zerrbild von Söhnen, une caricature de fils „).

[b] *Numero filiorum Israël* : duodecim tribubus totidem determinata territoria providit ac praeparavit. Secundum nonnullos vox *mispár* (numerus), sicut aliis in locis, numerum exiguum (si cum numerosis populis Aegyptiorum Babyloniorum etc. comparetur) populi Israël indicat.

[c] *Iesurun* est forma caritativa, hypocoristica, nominis *Israël* ; talia nomina, a forma communi paulum deflexa, filiis amatis dari solent.

[d] *lo'-El :* non-diis (Ungöttern), qui dii solum nuncupantur, non sunt.

[e] Similiter *lo'-'ám,* populus barbarus, qui vix nomen populi meretur.

[f] Ut Is. 5, 2 ss. corruptio moralis populi sub imagine vineae vel vitis malae depingitur.

[g] *Id :* haec eorum malitia poenis digna.

[h] Ad litteram : (*sic*) *vivus sum in aeternum.*

[i] Hebr. *'aṣûr w.'azûb,* ad litteram : *inclusus et* (*sibi*) *relictus,* quod explicari solet *homo non sui iuris et homo sui iuris,* i. e. servus et liber, vel *pupillus et adultus.*

BREVIARII ROMANI CANTICA EX N. T.

Canticum Beatae Mariae Virginis. (Luc. 1, 46–55)

A [46] Magnificat anima mea Dominum,
[47] et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. [a]

B [48] Quia respexit humilitatem ancillae suae, [b]
ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
[49] Quia fecit mihi magna Qui potens est et sanctum nomen eius
[50] et misericordia eius a progenie in progenies timen-
[tibus eum.

C [51] Fecit potentiam brachio suo, [c]
dispersit superbos mente cordis sui.
[52] Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles,
[53] esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.

D [54] Suscepit Israël, Puerum suum, [d] [patres nostros)
recordatus misericordiae [suae] [55] (sicut locutus est ad
Abraham et semini eius in saecula.

Argumentum. A) *Exsulto in Deo*, B) *quia, Messia misso, fecit mihi magna*, C) *in mundo instaurat ordinem iustitiae*, D) *populum Israel, impleta promissione Abrahae facta, laetificat.* — (1, 2, 2, 1 versus).

Adnotanda. [a] Secundum legem et vim parallelismi poëtici sensum primae partis hunc esse elucet: " *anima mea et spiritus meus cum gratiarum actione exsultat in Domino (Iahve), Deo salvatore meo* „. Hoc exordium indolem et summam totius cantici bene indicat: hymnus est summae et intimae laetitiae, Deo cantatus pro pretiosissimo dono salutis. Cuiusmodi et quanta sit haec laetitia, cum quanto igitur affectu et iubilo haec verba a sancta Virgine pronuntiata sint, ex sequentibus demum patefiet versibus, in quibus beneficium collatum modeste quidem et indirecte, sed tamen (maxime pro nobis fide illuminatis) sat clare enuntiabitur.

[b] Ratio igitur et causa *(quia)* iubili Mariae est quod Deus " *respexit humilitatem ancillae suae* „. His quidem verbis B. Virgo primo aspectu nihil indicare videtur nisi hoc, sibi indignae esse magnum beneficium collatum. Verum reminiscamur, hanc ipsam loquendi formulam compluries in s. Scriptura adhibitam esse a feminis extraordinario Dei interventu fecundatis: Lia quidem, diu sterilis, postquam " Dominus aperuit vulvam eius „, enixa filium, dixit: " vidit Dominus humilitatem meam „ (Gen. 29, 32); et Anna item sterilis Deum voto obsecrat: " si respiciens videris afflictionem (humilitatem: est

idem vocabulum hebr.) famulae tuae... dederisque servae tuae sexum virilem (prolem masculam)... „ (1 Sam. 1, 11). In ore igitur Mariae Virginis, quam modo cognata eius " matrem „ salutavit, ex adiunctis talia verba hunc, ut nobis videtur, induunt sensum: " Deus me humillimam (quae, ut virgo ex voto, virum non cognosco) mirabili modo reddidit matrem „. — Et qualem matrem fecit? id stichus complementaris exprimit: " *beatam me dicent omnes generationes* „. Talem igitur matrem fecit Deus seu talem prolem ei donavit, ut ei de tali tantoque filio omnes abhinc generationes congratulaturae sint. Quae potest esse haec mater, quis iste filius, nisi ea et Is, quos dudum totum genus humanum exspectat, sperat, desiderat, illud Semen Abrahae, in quo benedicentur omnes gentes terrae (Gen. 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14), Semen mulieris contriturum caput Serpentis (Gen. 3, 15), i. e. Messias, Emmanuel? Elisabeth eum iam modo clarius " dominum suum „, ut David (Ps. 110, 1), appellaverat.

In sequenti versu lector animadvertet leve et facile solubile constructionis anacoluthon; sensus enim verborum est hic: " *fecit mihi magna is qui potens est et cuius nomen sanctum est cuiusque misericordiam experiuntur timentes eum* „. Dei omnipotentia, sanctitas et misericordia ideo efferuntur, quia hae tres perfectiones divinae in opere redemptionis maxime elucent, sive consideramus quid Deus in ipsa B. Virgine operatus sit, sive quid per Verbum incarnatum in mundo effecerit. " Fecit Mariae magna Qui potens est „: insigne enim omnipotentiae opus fuit copulare in una femina illibatam virginitatem et fecundam maternitatem. " Fecit ei magna Is cuius nomen sanctum est „: opus grande sanctitatis erant hanc virginem tam perfecte ab omni labe peccati praeservasse et tantis ornasse virtutibus ut digna fuerit mater Dei ter sancti. " Fecit ei magna Deus pius et misericors „, omnia desideria sanctorum Veteris Testamenti et promissa illis facta in puella tam humili complendo. Quomodo eaedem tres perfectiones divinae etiam pro toto mundo in opere redemptionis conspicuae sint, tribus reliquis versibus, ni fallor, indicatur.

c Deus potens " *fecit potentiam brachio suo, dispersis superbis* „, i. e. iis victis, eorum consiliis ad nihilum redactis. Iam patet, opinor, qui sint isti κατ' ἐξοχήν superbi, opere redemptionis humiliati; est satanas omnesque asseclae rebellionis eius, qui et ipse voluit esse " similis Altissimo „ (Is. 14, 14) et (Gen. 3, 5) primis parentibus similes ideas superbas suggessit (Gen. 3, 5).

Ordo sanctitatis in mundo per peccatum violatus est. Omne vero peccatum fit vel eo quod homines humiliter Deo subiici et oboedire recusant et superbe se velut in thronos attollere et dominari volunt, vel eo quod bonorum ac voluptatum terrestrium avidi his ditari et frui cupiunt, bona vero caelestia spernunt. Deus igitur sanctus per Christum ordinem verae sanctitatis restaurabit: a thronis deiiciet eos qui sibi altum locum usurpant, exaltabit vero humiles (potissimum humillimos ex domo David, Iesum et Mariam); saturabit et ditabit veris bonis esurientes ea (" beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur „, Mt. 5, 6), dum " divitibus „, bonorum mundanorum avidis, qua talibus plane nihil offeret: vere eos " dimisit inanes „ (cf. Lc. 6, 24 s.).

d Tandem Deus, donans mundo redimendo Filium suum, manifestat misericordiam suam, nempe adimplens promissiones patribus factas. Dicitur " *recordatus esse misericordiae* (vox *suae* deest in textu graeco) *Abrahamo et semini eius* „ i. e. tribuisse id quod patriarchis promiserat. ' Recordari enim alicui alicuius rei ' est idem ac memorem promissionis factae alicui rem promissam

dare (Ps. 98, 3; 119, 49 hebr.). Quid autem promiserat? Certe nihil aliud quam illud Semen per quod omnes gentes benedictionem consequentur. Unicuique locutionibus ideisque Veteris Testamenti assueto verba B. Virginis hoc satis dilucide indicant. — Promissa igitur illa messiana prisca patriarchis data, nunc tandem implens, Dominus " *suscepit Israel, puerum* (h. e. servum, famulum) *suum* „ i. e. auxiliatus est ei (ἀντελάβετο), ei salutariter succurrit, ei salutem messianam attulit non solum huic populo destinatam, sed ab eo omnibus cum populis communicandam.

Animadverte, quomodo ipsa vocabula graeca (ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ) perspicue etiam innuant impleri vaticinium illud Is. 42, 1 (Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ, Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου etc. *Iacob, servus meus, suscipiam eum, Israel, electus meus* etc.), quod in textu hebraico (ubi deest nomen Iacob, Israel) certe directe messianum est: *Ecce Servus meus* (Messias), *suscipiam* (i. e. velut manu tenebo, adducam, ducam, fulciam) *eum: electus meus, in quo sibi complacet anima mea.* Videtur quidem plerisque a LXX hic titulus " Servi Domini „ eiusque officium salutem afferendi gentibus ad populum Israel esse translatum. Sed contextus huius loci tam evidenter de ipsa persona Messiae agit, ut ipsum hunc textum graecum veteres interpretes unanimiter directe de ipso Christo explicaverint et nomina *Iacob* et *Israel* tamquam nomina prophetica Salvatoris acceperint et quaestionem tractent cur is appelletur Iacob vel Israel (ita S. Iustinus, Theodoretus heracleota, Eusebius caesareensis, Cyrillus alexandrinus, Theodoretus, Hesychius, Procopius gazensis). Iuxta quam sententiam, si verba Mariae ad hunc locum isaianum alludentia interpretari vellemus, omnino clare diceretur Deus " *suscepisse* (iam adduxisse, sustentare) *ISRAEL* (verum hunc et antitypum Isra-El, i. e. luctatorem cum Deo, qui velut cum Deo luctans sibi et nobis benedictionem obtinet), *Servum suum* (illum "Servum Domini" quem Isaias cecinit) „ sicque misericorditer implere promissionem Abrahae pro ipso et semine eius et omnibus in saecula gentibus factam.

Canticum Zachariae. (Luc. 1, 68–79)

A [68] Benedictus Dñus, Deus Israél,
quia visitavit et fecit redemptionem plebi suae.
[69] Et erexit cornu salutis nobis
in domo David pueri sui:
[70] Sicut locutus est per os Sanctorum,
qui a saeculo sunt prophetarum eius:
[71] Salutem ex inimicis nostris
et de manu omnium qui oderunt nos.

B [72] Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris
et memorari testamenti sui sancti:
[73] Iusiurandum quod iuravit
ad Abraham patrem nostrum,

[74] Daturum se nobis, ut sine timore,
de manu inimicorum nostrorum liberati,
Serviamus illi [75] in sanctitate et iustitia
coram ipso omnibus diebus nostris.

C [76] Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis:
praeibis enim ante faciem Dñi parare vias eius:
[77] Ad dandam scientiam salutis plebi eius,
in remissione peccatorum eorum:
[78] Per viscera misericordiae Dei nostri,
in quibus nos visitavit Oriens ex alto:
[79] Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent,
ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Argumentum. A) *Deus iam mittit nobis ex domo Davıd salvatorem;* B) *eoque implet promissiones Abraham aliisque patribus datas de nostra liberatione et de erigendo regno sanctitatis et iustitiae;* C) *et tu, puer, eris huius venientis salvatoris, qui est ipse Dñus Deus noster, praecursor.* — (4, 4, 4 versus).

Adnotationis loco his, cum totum carmen videatur esse versio valde litteralis textus semitici, plenaque semitismorum, liceat ponere versionem secundum sensum:

A) [68] Benedictus sit Dñus, Deus Israël, quod dignatur facere [exsecutioni mandare] redemptionem plebis suae, [69] mittens eum, qui nobis erit auctor salutis, in domo David servi sui [sc. in familia Mariae et Ioseph, ortorum ex David], [70] sicut pollicitus est per os Sanctorum, scil. illorum qui pridem fuerunt, prophetarum suorum, [71] qui nobis liberationem ab inimicis per Servum Domini fore vaticinati sunt.

B) [72] Ita agit Deus, ut fideliter impleat quae patribus et [73] iam patriarchae nostro Abraham iureiurando promisit, fore ut in semine eius omnes gentes benedictionem accipiant, — [74] porro effecturus est [75] ut nos, semotis inimicis nostris, ei secure servire possimus.

C) [76] Tu igitur, beate puer, propheta Altissimi, praecursor et viae parator advenientis ad nos Dei futurus es, [77] sc. edocturus Israëlitas de parata sibi salute, [79] quam nobis dabit exorieus caelitus Lucifer verus, allaturus omnibus lucem et pacem.

Animadverte, quomodo idea, a Deo mitti salvatorem e domo David oriundum, in decursu carminis transeat in ideam, ipsum Deum venire ad salutem afferendam, et idea salutis populo Israël promissae tandem evolvatur in lucem omnibus iis destinatam qui in tenebris et umbra mortis sedent, i. e., collato Is. 9, 2; 60, 1, omnibus gentibus.

Canticum Simeonis. (Luc. 2, 29–32)

29 Nunc dimittis servum tuum Domine, [a]
secundum verbum tuum [b] in pace,
30 quia viderunt oculi mei salutare tuum : [c]

31 Quod [d] parasti ante faciem omnium populorum [e]
32 lumen ad revelationem gentium [f]
et gloriam plebis tuae Israël. [g]

Adnotanda. [a] Vocabula *servi* et *domini* hic in suo proprio sensu accipienda sunt, ut ex graeco (δοῦλον, δέσποτα) elucet.

Ut herus vespere servum, toto labore quem ei iniunxerat iam finito, ad quietem nocturnam dimittit, ita quodammodo Deus hominem in fine vitae a labore huius vitae absolvit, ut iam requiescat ; domini est determinare tempus quo famulus ad quietem se recipere possit.

[b] Nempe secundum illud Spiritus S. responsum, Simeonem non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini, Messiam. Hac promissione impleta, iam paratus est mori, *in pace*, contentus, laetus, utpote eum intuitus quem unice exspectaverat.

[c] Nomen abstractum *salutare* (τὸ σωτήριον) hic ipsum Salvatorem denotat, tamquam fontem ac datorem salutis.

[d] Pronomen relativum (ὅ) Lucas grammatice ad nomen *salutare* (σωτήριον) adiunxit ideoque genere neutro enuntiavit. Sed quia illo nomine hic potissimum ipse Salvator indicatur, aeque bene dici potuit : *Eum quem parasti [tamquam] lumen gentium et gloriam Israël.*

[e] " *Omnes populi* „ deinde distinguuntur in *gentes*, gentiles, adhuc Dei ignaros, adhuc in tenebris et umbra mortis sedentes, *et plebem Dei* electam Israël.

[f] Messias est lumen iis oriens qui adhuc in tenebris sedent (Is. 9, 1 ss. ; Luc. 1, 78 s.), cuius illustratione eis revelantur veritates fidei.

[g] In eandem duplicem ideam, per adventum Christi populum Israël summo suo bono potiri atque omnes gentes salutis fieri participes, omnia tria NT[i] cantica conspirant et desinunt.

O. A. M. D. G.

CRISIS

TEXTUS HEBRAICI

CRISIS TEXTUS HEBRAICI.

Textum hebraicum a masoretis traditum alicuius correctionis nonnusquam indigere, nemo est qui neget. Cuius rei indicium est difficultas textus masoretici probabili modo explicandi et construendi, porro diversitas veterum versionum necnon interpretationum recentium, et variae lectiones in codicibus hebraicis. Unde eos quoque, qui in textum hebraicum ope artis rhythmicae inquisierunt, vestigia corruptionis deprehendisse, non est quod miremur. In eo vero systemate metrico quod nos pro probabili defendimus (de quo diximus pauca in Prolegomenis, § 3), quoniam in carminibus aequalitatem versuum non exigimus, sed poëmata varie ex versibus inaequalibus composita agnoscimus, multo rarius quam apud alios textus corrigendus est ut metro satisfaciat.

Testimonia versionum veterum pro aliqua lectione in sequentibus paginis hisce siglis indicabimus:

M = textus masoreticus;	T = targum aramaicum;
G = versio graeca LXX;	ʾA = Aquilae versio;
H = versio latina S. Hieronymi;	Θ = Theodotionis versio;
S = versio syriaca;	Σ = Symmachi versio.

Nota "§" his siglis addita vel alias apposita indicat, nobis certam lectionem etiam ob rationem metricam videri praeferendam. — Propter metrum textum corrigi, apud nos significat (ut ex Prolegomenis patet), curari vel ut bini versus sint pares (in carminibus schematis A et C), vel ut bini versus uno ictu seu pede inter se differant (in schemate B).

Quia in corpore libri inde a psalmo 42 carminum schemata et versuum metra non iam indicavimus, in hac appendice critica psalmorum 42–150 schemata, praefixâ singulis notâ (A) vel (B) vel (C) indicare placuit; in brevibus psalmis etiam numerum ictuum versuum, ut qui vult habeat quo se exerceat. [In carminibus schematis B numerum ictuum hic absolute indicavimus, v. gr. 5 (= 5 ictus), non iam 4^1 vel 6'].

2, 9: GSH *pasces eos* תִּרְעֵם, M *confringes eos* תְּרֹעֵם. — 10: G add. כָּל־, et 11: GS add. לוֹ.

3, 8: GS add. אתה.

4, 3: G ἕως πότε βαρυκάρδιοι; ἵνα τί ἀγαπᾶτε ματαιότητα; = עַד־מָה כִּבְדֵי־לֵב. לָמָּה תֹּאהֲבוּן רִיק Haec lectio propter meliorem parallelismum praeferri meretur. — 5: M וְדֹמּוּ *et silete*, S וְדַמּוּ *considerate* (cf. 48, 10 דמינו); T *recordamini diei mortis*. — 7: יראנו propter 3, 3 "non est ei salus" nobis explicandum videtur "quis *ostendet ei* bona?" — 8: GS§ add. וְיַצְּרֵם׃

5, 5: Comparatis aliis huius strophae sententiis potius רָשָׁע legendum censemus quam רֶשַׁע. — 10 aptius פִּיהֶם.

6, 8: GS§ עָתַקְתִּי.

שׁוּבָה *revertere*; recentes nonnulli שֵׁבָה *sede*. — 10: GSH בְּחֵן (sine praefixo).

8, 2: Imperativus תְּנָה *da* post אֲשֶׁר poni nequit; legimus תְּנָה *praedicat* (עַל = *altitudo*). Vel posset, una littera mutata, cum SH (דיהבת *qui posuisti*) legi תַּנַּח *ponis*. — 6: GHS כבוד (sine ו)

9 et **10**: Alphabetismi restituendi causa liceat has correctiones proponere! 9, 7. 8: Pro superfluo הֵמָּה legemus הִנֵּה idque versui 8 attribuamus. Versum 19 versui 20 postponamus, ut unaquaeque littera binos versus habeat. 10, 3: Pro כִּי הִלֵּל legamus מְהַלֵּל *laudans*, — item 10, 5 pro יָחִילוּ scribamus sec. GS נָחֲלוּ vel (cf. Ez. 7, 24) נַחֲלוּ, βεβηλοῦνται, i. e. perf. Niphal verbi חָלַל. — 10, 7 פִּיהוּ evidenter in initio ponendum est. — Tandem 10, 10 pro ודכא ידכא vel quaerendum est aptum vocabulum a צ incipiens, v. gr. צָפָה *speculatus est*, vel צָעַר *se incurvans decubuit*.

Praeterea 9, 14 H חֳנֵנִי et רְאֵה. — 10, 6: Pro אֲשֶׁר legimus formam verbi אשר (unde derivatur אַשְׁרֵי, אֲשֵׁר), v. gr. אָשַׁר (cf. אָהַב) *felix ero*.

11, 1: GSH'A הַר כְּמוֹ צִפּוֹר (*fuge*) *ad montem sicut passer*. — 6: Σ פֶּחָם *carbones* (M פַּחִים laqueos).

12, 8: G תִּשְׁמְרֵנוּ *custodies nos*.

13, 3: S תָּשִׁית עֲצָבוֹת (M אָשִׁית עֵצוֹת *facio consilia de* servanda *vita mea*). — 3b: יוֹמָם *interdiu* solitarium plerisque displicet; vel cum S legendum erit יוֹם יוֹם *omni die*, vel cum G (cod A, א$^{c.a}$, Vg), יוֹמָם וָלַיְלָה *die et nocte* (si hoc posterius eligitur, psalmus habet 8, 8. 8, 7, 7. 8. ictus: schema A).

15, 3: Estne pro רָגַל legendum דָּגַל (cf. arab. *dâǧala*, aram. syr. *daggél*, neohebr. דִּגֵּל *fefellit, mentitus est*; Perles)? — 4: Pro לְהָרַע nobis legendum videtur לְהֵרַע (inf. Niphal verbi רעע) *malum pati, damnum subire*.

16, 2: GSH אָמַרְתִּי. — 4: Commodius legitur Hiphil יִרְבּוּ. — 5: Quid de תּוֹמִיךְ? *a*) Multi legunt תּוֹמֵךְ *tu tenes* (in manu habes) *sortem meam*; *b*) sec. Böttcher תּוֹמִיךְ est deminutivum (sensu rei carae) radicis תמך, *res possessa cara, portiuncula*, ergo: *tu es cara portio sortis meae*; *c*) propositum est ut legatur *tua tummîm* (תֻּמֶּיךָ; brachylogia pro '*tua urîm et tummîm*,' tua oracula, tua decreta) *sint sors mea*. Prima lectio sua facilitate et suffragio S. Hieronymi (*tu possessor sortis meae*), altera scriptione textus masoretici et stichorum parallelismo se commendat; tertia quoque suo sensu bene in contextum quadrat.

17, 11: Quia verbum סבב iam in suffixo נִי suum obiectum habet, pro אֲשֻׁרֵנוּ frt. melius legimus אֲשֻׁרֵימוֹ. — 14: In מחלד latere videtur participium aliquod radicis חלד (hebr. חֶלֶד diuturnum tempus, arab. *ḫuld* aeternitas, *muḫlad, muḫallad* perpetuatus = perdiu durans, aeternus) *diuturnus*. — GS תְּמַלֵּא passive.

18, 4: G מְהַלֵּל. — 5: Pro חָבְלֵי (quod videtur erronea anticipatio vocis חֶבְלֵי in versu seq.) lege vel יוּבְלֵי (Jr 17, 8) vel מִשְׁבְּרֵי (2 Sm 22, 5) *fluctus*. — 15: GSH'A רִבָּה vel הִרְבָּה *multiplicavit*. — 16 legimus sec. 2 Sm 22§, quia vicini versus de Deo " in 3a persona „ loquuntur. — 28: GS עָנָו *humilem* (‖ oculos elatos). — 30: Est vox aram. neohebr. גְּדוּד *agger, paries, praecipitium*; parallelismus cum שׁוּר *murus* hanc vocem commendaret (pro גְּדוּד *agmen*) *saltu ascendo in aggerem* etc. — 35: Sec. 2 Sm 22 lege ונחת, idque pronuntia וְנַחַת inf. Piel (cf. versionem). — 41: GH תַּצְמִיתֵם. — 43: 2 Sm 22 et hic GST אַדַּקֵּם.

19, 5: Barth, Etymol. Studien (Leipzig 1893) 29 s. satis demonstravit, קָו significare *praeconium* et קָוָה *praeconari, proclamare* (cf. ad 52, 11).

20, 6: Verbum assyr. *dagâlu* valet i. q. 'intueri, spectare: schauen' (porro etiam 'exspectare' et 'confidere'); quare frt. stichus alter verti potest: *et nomen Dei nostri* (praesentiam Dei nostri salutiferam) *intueamur* seu experiamur; vel in ea *confidamus!* — 8: GS נַגְּבִיר. — 10: G וַעֲנֵנוּ.

21, 9: Aeque bene, opinor, cum G legere possemus primum תמצא passive: 'manus tua *se inveniendam seu sentiendam praebeat* (תִּמָּצֵא) inimicis tuis.'

22, 3: Forsan legendum sit וְלֹא דֻמְיָה לִי *et non cogitatur de me* (cf. Biblica 7 [1926] 311). — 8: V. l. codd. § יִלְעֲנוּ. — 9: גֹּל habemus pro perfecto Qal passivi: *devolutus, commendatus est*; arab. *farra: furra* = hebr. גָּלַל: גֹּל. — 10: Pro גְּחִי (voce dubiae originis et significationis) coniectant גּוֹיִי (71, 6), גְּנֵנִי (ar. *ğánna*, syr. ננן texit, protexit) etc. — 16: Pro כַּחִי lege חִכִּי *palatum meum* (‖ lingua). Porro lege vel intellege בְּמַלְכוּחָי. — 17: כַּאֲרִי Σ *ut leo* (scd. aliam traditionem ὡς ζητοῦντες δῆσαι). Generatim veteres interpretes hic legerunt formam verbalem, 3 pers. plur. perfecti (ergo certe formam prae oculis habebant in י exeuntem): G ὤρυξαν foderunt, S בזעו disciderunt, H fixerunt (v. l. vinxerunt), 'A constrinxerunt (Syrohex. פכרו) vel ἐπ-έδησαν superligaverunt, alligaverunt. In codd. hebr. habentur formae כארי כארי (stat. cstr. plur. participii), כרו, כארו; hae formae a כּוּר (verbo alias non occurrente vel (omisso א) כָּרָה 'fodit' derivari possunt. — Ii recentes qui malunt vertere 'ligaverunt,' substituere volunt כִּתְרוּ (at hoc potius significat circumstare vel exspectare), Wutz כְּצָרוּ (ex assyr.; at hoc significat 'compingere,' non 'ligare'). — 18: Lege אֶסְפֹּר vel cum G יִסְפְּרוּ *numerare possum* vel *possunt*. — 22: GS frt. עֲנִיָּתִי *miseram meam* sc. animam, i. e. me miserum. Legi posset עִנִּיתָנִי [sc. אֲשֶׁר] *me quem humiliasti*. — 27: GS לְבָבָם. — 28: GSH לְפָנָיו. — 30: Lege אַךְ־לוֹ (pro אֶכְלוּ וְ). — In fine v. 30 magna est lectionum varietas MHΘΣ נַפְשׁוֹ, GS V. VI. VII נַפְשִׁי; tantum M לֹא, GSH'A לוֹ; tantum M חַיָּה, omnes alii חַיָּה. — 22, 31: זַרְעִי GΘ. — Aptius legitur עָשָׂה 'id fecit' GS§add. יהוה.

23, 6: GSTHΣ וְשַׁבְתִּי vel וּשְׁבַתִּי.

24, 1 : GS§ וכלי. — 4 : Frt. legendum est אֲשֶׁר לֹא נָשָׂא לַשָּׁוְא נַפְשׁוֹ *cuius anima seducta non est* (se seduci non sivit) *ad nequitiam* (cf. Sir. hebr. 46, 11). — G§ לְרַעֲהוּ. — 5 : GS praem. וְהָ. — 6 : G (cod. א$^{c.a}$ RU, psalt. rom. arm. georg.) § הִרְשִׁי יהוה. — GS§ אֱלֹהֵי יַעֲלָב. — 9 : GS, multi codd. hebr. וְהִנְשָׁאוּ. — 10 : G om. סלה.

25, 1. 2 : Versus secundus evidenter a בְּךָ incipere debet propter acrostichon alphabeticum. Ut primus versus in 2 stichos apte dividatur, יהוה ad alterum stichum referre iuvat. — 6 : In hoc (et 34^{o}) psalmo versus ו omissus est, fortasse, quia vocula " et " (וְ) nimis exigui ponderis et sensus esse videbatur nec aliud aptum vocabulum se offerebat. Ad supplendum numerum alphabeti " XXII " utrobique in fine versus a פ incipiens subiunctus est. Ex stropharum symmetria concludi posse videtur, textum sic ab ipso poëta ordinatum esse. — 14 : SH^{c}AΘΣ legunt, omisso לְ, הוֹדִיעַם. — 17 : Quia *dilatari, latum esse, latitudo* ab Hebraeis semper de statu prospero, optabili, ab angustiis libero dicitur, h. l. verba " *angustiae cordis mei dilatatae sunt* „ preci " *ab anxietatibus meis educ me* „ vix apte praemitti potuerunt; unde aliqua correctio textus facienda videtur. Nos, una littera ח in similem mutata, legimus צָרוֹת לְבָבִי הִרְחִיבוּ angustiae cor meum opprimunt (de hoc verbo cf. Joüon, Le Cantique des Cantiques, ad 6, 5). Alia correctio bona esset legere cum Power (Biblica I 61) צָרוֹת לְלֵבְבִי הִרְחִיבוּ *angustiae sunt cordi meo, dilata illud !* — 18 : Versus debet a littera ק incipere (scribae, qui ראה scripsit, oculus iam ad initium sequentis versus aberrasse videtur); coniectare liceat, primitus scriptum fuisse קצה (i. e. קְצֵה cf. Hab. 2, 10, vel קָצָה cf. Prv 26, 6) *fini !*

26, 1 : לא אמעד metricae divisionis versuum causa ad v. 2 referimus. — 6 : Fortasse אֶכְבָּה legere praestaret.

28, 8 : GS עֹז לְעַמּוֹ. —

29, 3. 4 : Ceteris ex versibus bini sunt pares : ergo hi quoque ut metrice pares sint, exspectatur ; sed de facto habent 8 et 4 ictus. Duos modos sanandi textum proponimus : (1) In fine v. 4 pone stichum, quem cod. 147 Kennicott in fine v. 2 habet : חִילוּ מִלְּפָנָיו כָּל־הָאָרֶץ (*ḥílu mill. fanáw kol-ha'árṣ*) *tremite a facie Eius, omnis terra !* : sic ambo versus habebunt ictus octonos [conveniens esset hoc additamentum : nam exspectatur ut effectus terrifici non solum de montibus, bestiis, arboribus, sed etiam de hominibus praedicentur] ; (2) voces עַל־מַיִם רַבִּים a fine v. 3^{i} ad finem v. 4^{i} transferantur (de ratione talium transpositionum cf. Biblica 5 [1924] 173 ss) : sic habebis ictus senos, ac vertes : ³ *En vox Dñi super aquas ! Deus gloriae tonuit, Dñus !* — ⁴ *En vox Dñi ! cum vehementia ! en vox Dñi ! cum magnificentia — super aquas immensas !* — 10 : GSH וַיֵּשֶׁב.

30, 10 : Legimus בְּדַמִּי (TM בְּדָמִי) ; v. Adnotanda. — 11 : G שָׁמַע *audivit*, וְחָנֵנִי

et misertus est mei, הָיָה *fuit:* sic unitas ideae hac stropha melius servatur. — 13: G כִּבּוּדִי.

31, 7: GSH§ שָׂנֵאתָ *odisti.* — 11: GS בְּעָנִי. — 12: H "*apud omnes* „ עִם כָּל־? — Pro adverbio מְאֹד plerique censent hîc nomen legendum esse: quale? מאר *maledictum* (cf. Joüon, § 88 Le, sed cfr. *h* fin.)? מָגוֹר *timor*? מָנוֹד *capitis agitatio?* — 16: H וּמִרְדָּפַי. — 23: H V^a et codd. nonnulli נִגְרַשְׁתִּי *expulsus sum.*

32, 5: G'A§ עָלַי. — 7: Supposito nomine פֶּלֶט *salvatio* (de cuius exsistentia ex nominibus propriis פַּלְטִיאֵל, אֶלְיפֶלֶט, פֶּלֶט, רֶנִי־פֶלֶט constat), lege פָּלַט §.

33, 7: כנר a GSHT legebatur כַּנֹּאד *velut in utre.* — 8: Alterum כל delendumne? § — 10: GH plur. עֲצוֹת.

34, 2: An in 2^0 sticho verbum excidit? § — 6: GH'A versum imperative, "in 2^a persona „, legunt. — 11: GS כְּבֵדִים vel כַּבִּירִים. — 18: GST § add. צַדִּיקִים, quod, cum v. 17 de impiis egerit, vix deesse potest. — 21: G (multi codd. gr., Vulg. versio copt. georg.) et nonn. codd. hebr. § add. יהוה.

35, 3: Pro סְגֹר *claude* potius nomen teli exspectatur. Cfr. assyr. *šukûdu* (hebr. סְגֹד?), Scythorum σάγαρ-ις (סָנָר?). — 10: Priore עָנִי admisso, alterum omittendum videtur. § — 12: Perles coniectat legendum שָׂכוּ לְנַפְשִׁי *speculantur* (insidiantur) *animam meam,* vitam meam. — 13: GS וְעַנִּיתִי iterative. — 15: Pro obscuro נֵכִים (G *flagella,* S *diu,* H *percutientes*) lege cum recentibus נָכְרִים *alieni.* — 16: Pro textu mas. aenigmatico cum G lege בְּחָנוּנִי לְעָנֵי־לִי לָעַג. — 17: מִשֹּׁאֵיהֶם a LXX consideratur ut plur. vocis שָׁוְא κακουργία), haud incongrue (cfr. מִתֵּי־שָׁוְא). — 18: Nonn. codd. hebr. et graeci addunt יהוה §.

36, 2: GSH לִבּוֹ. — 2 s.: In TM uterque versus habet 6 ictus. Ut 1 ictu differant (schema B id exigit), aut in v. 3 cum GS אֵלָיו omittendum, aut in v. 3 legendum נְאֻם פִּשְׁעַ (G φησὶν ὁ παράνομος, S *cogitat peccator*).

37, 14 s. 25 s.: Hae duae strophae, cum aliae pleraeque schema B prae se ferant, unum versum habent nimis longum; uno sticho utrobique omittendo, vel etiam uno sticho alteri in stropha versui adiciendo forma metrica sanaretur. — 14: יִשְׁרֵי־לֵב GH (*rectos corde in via*) et multi codd. hebr. — 20: Textus nonnihil laesus videtur: ad prioris versus alterum stichum verbum desideratur, et in posteriore versu כָּלוּ *evanescunt* bis positum non placet. Ad *flores pratorum* exspectatur נָבְלוּ vel יִבְלוּ *marcescent,* ex quo facile כלו (oculo scribae ad כלו sequentis stichi aberrante) fieri potuit. — 23: Ut ad גֶּבֶר addatur צַדִּיק vel pro eo substituatur, idea versus suadet. § — 28: Ordinis alphabetici causa pro TM לעולם נשמרו *in aeternum conservantur* cum G legimus עַוְלִים נִשְׁמָדוּ ἄνομοι ἐκδιωχθήσονται. — 32 s.: Quia יַרְשִׁיעַ per se non valet 'condemnari sinet' et quia idea 'Deus iustum non condemnabit' est nimis per se evidens, propositum est ut, omisso ולא, suffixum נוּ — referatur

ad improbum et vertatur ' *Deus damnabit eum* (impium) etc.' § — 36 : Utrum praeferenda sit lectio GSH וְאֶעְבֹּר *et praeterii ;* an TM *et transiit* = alio abiit (Targum : transiit ex hoc mundo), disputant. — Ut versus 35 s. 1 ictu differant, in 36 cum G addendum est מְקוֹמוֹ vel cum S omittendum הִנֵּה. — 37 et 38 : In margine pro 4 5' lege 6 6'. — 39 : Initio versus dele ו alphabetismi causa, et cum S lege יהוה (sine מ praefixo, quod per dittographiam irrepsit). — 37, 40 : Cum H§ omitte alterum יְפַלְּטֵם.

38, 9 : Pro לִבִּי *cordis mei* legendum videtur לִבְיָ *leaenae* §, etiam aptioris sensus causa. — 17 : GH§ וּבְמוֹט. — 20 : Houbigant aliique pro חַיִּים *viventes* postulant חִנָּם *frustra.*

39, 5 : Aptius, supposito adiectivo חָלֵד 'diu durans,' legitur מָה־חָלֵד אָנִי *quam diu durans, quamdiu victurus sim.* — 14 : Recentes multi legi iubent שָׁעָה (scd. Iob 7, 19). Aeque bene cum nonnullis codd. scribi posset הָשֵׁב (cf. Ez. 14, 6 ; 18, 30. Ps. 85, 4 al.).

40, 17 : G§ add. יהוה. — 18 : Melius, puto, legitur מְפַלְּטִי (post עֶזְרָתִי).

41, 2 : G § add. וְאָבִיוֹן. — 9 : הֵבֵר multi recentes. — 10 : Legimus עֵקֶב *merces*, adverbialiter *in mercedem, in vicem* (cf. עֵקֶב כִּי zum Lohn dafür dass, pro eo quod), aut *deinceps semper*, in der Folgezeit (cf. 119, 33. 112). Ergo verte *magna contra me ausus* (locutus, operatus) *est in mercedem* sc.. pro tot beneficiis ; aut : ... *deinceps semper.* (הִגְדִּיל עָקֵב minus placet ; nam nec significare posse videtur *elevavit calcaneum* [חגדיל non est *elevavit*], nec *magnam fecit supplantationem* [עָקֵב non est *supplantatio*]). Hae tamen versiones ut versiones liberiores sensum verum liberius exprimentes sustentari possunt, et potuit talis versio etiam a Christo citari (Ioh 13, 18). — Ad dictionem הגדיל עלי cf. 35, 26 ; 38, 17 al. — 11 : Posset, aliis vocalibus subscriptis legi וְאֶשְׁלְמָה לָהֶם *ut sanus fiam* (reconvalescam) *illis*, nempe amicis sperantibus, inimicis insperantibus (arab. *sálima* être sain et sauf, syr. שְׁלֵם integer mansit, convaluit).

Nota. *Abhinc singulis psalmis praenotabimus schema metricum ad quod pertinent, A vel B vel C (cf. Prolegomena § 3), et in psalmis brevibus etiam numerum ictuum pro singulis versibus indicabimus.*

42-43 (A : 8, 8. 10, 7, 7. 10. 9, 9. 9, 9. 10, 9, 9. 10). — **42**, 3 : S וְאֵרָאֶה *et videbo* faciem Dei (cf. 63, 3). — 5 : 'A אֲדַדֵּם προβιβάζων αὐτούς. — 11 : כַּרְצַח multi codd. — **43**, 2 : GHT אֱלֹהִים עֻזִּי.

44 (B). — 4 : GSH § כִּי אִם ימינך. — 5 : GS מַלְכִּי וֵאלֹהַי מְצַוֵּה.

45 (A). — 5 : SH, nonn. codd. hebr., multi recentes omittunt alterum והדרך ut dittographiam. § — GHT : וַעֲנָוָה וָצֶדֶק. — 13 : Supponimus TΣ וּבָאָה בַת־צֹר בְּמִנְחָה (*filia Tyri donum feret*) ; vocabulum במנחה verbum veniendi praerequirere videtur, quod ante בת facile excidere potuit, T *incolae Tyri*

cum donis venient. Sic obtinetur planior sententiae constructio et melior parallelismus. — וּבַת־צוֹר *filia fortissimi* legunt HΣ.

46 (B). — 5: G קֶדֶשׁ מִשְׁכָּנוֹ. — 10: GHT עֲגֹלוֹת *rotunda scuta.* — Versum intercalarem cum recentibus etiam primae strophae addimus.

47 (A). — 10: MHT עַם, GS עִם; nonnulli recentes (supposita haplographia) עִם־עַם *cum populo* (Dei Abrahae).

48 (A: 8, 8. 4, 5, 4. 5. 8, 7, 5, 8. 8, 5. 8. 7.). — 11: Perles legi vult כְּשָׁמֶיךָ *ut caelum tuum.* — 12: GS§ addunt, יהוה. — 15: על־מות veteres pro ultimo vocabulo textus habuerunt, non pro nota musicali (mtr.). SH legebant עַל־מָוֶת.

49 (A). — 6: Legimus עֵין־עֵקֶב. — 8: Legimus יִפְּדֶה. — 12: GS קִבְרָם. — 15: Pro שַׁחוּ ponenda videtur aut correspondens forma Qal passivi (qualis forma?) aut verbum intransitivum litteris sensuque simile, ut שָׁחוּ (a שׁוּחַ) *demersi, delapsi sunt,* שַׁחוּ (a שחח). Nonne pro miro וַיִּרְדּוּ בָם וְיָשָׁרִים *et dominantur eis iusti* legendum וַיֵּרְדוּ בַּמַּחֲשַׁכִּים *descenderunt in tenebras* (cf. 20 b)? — 20: GS יִרְאֶה.

50 (B). — 18: GS וְתָרֵץ.

51 (A). — 19: Melius, opinor, scribitur זִבְחִי אֱ *sacrificium meum, o Deus,* quam זִבְחֵי אֱ *sacrificia Dei.*

52 (B: 6, 7. 5, 4. 4, 5. 6, [9, 8.] 7.) – 8: GSHT וְאָמְרוּ. — 9: T *mammonâ suo* בְּהוֹנוֹ.

53 (B: 10, 9. 7, 8. 11, 10.).

54 (A: 6, 6. 9, 9. 7, 7.).

55 (A). — 13: G bis לֹא (pro לוֹ). — 16: Legi potest בְּקִרְבָם *dum prope sunt.* — — 18: GH וְשָׁמַע. — 19: Praestat legere מְקָרֵב לִי, et עִמְדִי (cfr. עָמָי). — 20: Pro וְיַעֲנֵם וְ (*et exaudiet eos et*) GST habent וְיַעֲנֵמוֹ et humiliabit eos. — 22: H מֵחֲמָאת *prae butyris;* GS פָּנָיו (pro פִּיו).

56 (A). — 9: Cf. Adnotanda *f.* — 13: GSΣ suffixum ךָ (in נדריך) non habent; lege נְדָרִים vel נִדְרַי.

57 (A: 6, 5, 6. 5. 7, 7. R, — 5, 5. 7, 7. 5, 5. R.)

58 (A). — 2: אֵלִים (recentes). — 8: Mirus est usus כְּמוֹ ante verbum: legere malim יְדַרֵךְ חִצּוֹ כָּמוֹ *dirigat sagittam suam in eos!* — 9: Formam תָּמֵס (ex qua paulatim **tams* תָּמֵס fiebat Joüon § 88 L *v*), ni fallor, rhythmus requirit. — אֶשֶׁת potest ut st. abs. considerari (cf. Dt. 21, 11. 1 Sm. 28, 7) et retineri. — 10: כְּמוֹ־חָרוֹן potest verti *vera* (i. e. vehementissima) *ira* et esse verbi subiectum; simplicius est cum GH explicare: (Deus) *velut in ira* eos exturbet.

59 (A). — 5: H בְּלִי עֲוֹנִי, sine dubio recte. — 10: S אוּמְרָה, ut in v. 18. — 11: Sine dubio utraque stropha in eadem versus intercalaris vocabula desinit; inde videmus, ubi prior stropha finienda, et a quo vocabulo posterior incipienda sit. — 13: Post פִּימוֹ et שְׂפָתֵימוֹ apte legitur בְּנֹאוָתָמוֹ מְאֻלָּה (pro TM בְּנֹאוָתָם וּמְאֻלָּה). — 14: Alterum TM כְּלֵה non habent aliquot codd. hebr.

60 (B: 5, 6. 6, 5. 6, 7. 7, 8. 7, 6. 5, 4.) — 3: Fortasse, supposita dittographia litterae ת, scribendum שׁוֹבֵב *restaura!* Cf. Adnotanda.

61 (A: 6, 6. 8, 6, 8. 6. 7, 7.).

62 (A). — 4: Lege גְּדֵרָה דְחוּיָה. — An legendum hitpael תִּתְהוֹתָתוּ vel (collato אֵרוֹמֵם Is. 33, 10 et sim.) תֵּהוֹתָתוּ? § — Ad תרצחו cf. arab. *ráḍaḥa* contudit, contrivit, *râḍaḥa* lapidibus iactis petivit alqm.

63 (A). — 11: GSH יִגְרוּ; M יַגִּירֵהוּ "*eum*" [adversarium suum, me] *tradituri erant* gladio, [nunc vero ipsi] portio vulpium erunt.

64 (A). — 7: טָמְנוּ in permultis codd. hebr. (pro תַּמְנוּ). — 9: Lege וַיַּכְשִׁילֵהוּ *et prostravit eum* = eos (singularis individualizans), vel corrige וַיַּכְשִׁילֵמוֹ.

65 (B: 9, [5, 6.] 10. 10, 11. 8, [9, 10. 5, 6.] 7.) — 2: GS: דְּמִיָּה; G§ add. בִּירוּשָׁלַם (parallelismus). — 6: Prc וָיָם S גּוֹיִם; alii volunt וְאִיִּים. — 12 s.: דשׁן versui 13 accensuimus; alterum enim ירעפו aliquo complemento eget.

66 (B). — 2: S כְּבוֹד ת׳. — 5: אֲשֶׁר נורא וגו nonn. codd., S §. — 6: GS הִפֵּךְ. — Pro שָׁם *ibi* legimus שָׂם *fecit*. — 12: Σ לְרוּחָה. — 13: נְדָרִי rhythmice facilius legitur.

67 (C: 6569656.)

68 (A.) — 3: Lege כְּהִנָּדֵף. Formam תְּנַדֵּף explica "*es verwehe sie*": subiectum 'ventus' ut satis notum formâ neutri (i. e. feminina) innuitur, obiectum 'eos' utpote per contextum satis notum reticetur. — 5: ST legebant, ut videtur, סַלּוּ (Piel verbi סלה, a סֶלָה). — 9: Pro זֶה (*hic*) recentes verbum legendum putant, ex. gr. זָע (*commotus est* Sinai). Comparato arabico *záḥḥa* 'saluit; splenduit, micavit,' forsan legi possit זַח ס׳ alterutro sensu. — 18: Pro בָּם סִינַי *in eis Sinai* sat multi legendum censent בָּא מִסִּינַי *venit de Sinai.* — 24: GS תִּרְחַץ. Ut sententia sit integra, vel supplenda est particula dativi (לְלָשׁוֹן) vel verbum (ex. gr. יָקַח) addendum est. § — 25: Legimus imperative רְאוּ. — 26: Lege בַּתָּוֶךְ. — 28: H רִקְמָתָם *in purpura sua.* — 29: GSΣT צַוֵּה אלהים. — 30: Corrigendumne אֶל־הֵיכָלְךָ *ad templum tuum*, an מֵהֵיכָלָם *ex palatio suo?* an coniungendum: *inde a templo tuo*, quo tibi reges munera afferent, *cohibe* vel *absterre* hostes? — 31: Sunt qui corrigant בְּרִצֵּי כֶסֶף et (imper.) הִתְרַפֵּס, ut vertere possint *conculca eos qui sunt avidi argenti.* — GSH בַּיִּר. — 32: Eratne primitus scriptum תָּרִים *elevabit?* ם et צ in primitiva scriptura Hebraeorum sunt satis similia. — 36: מִמַּקְדָּשׁוֹ SHTΣ.

69 (A). — 4: Planius legitur מִיָּחֵל (ab exspectando). — 11: Legimus בְּצוֹם נ׳ § *cum ieiunio animae meae.* Hebraeis *anima* est subiectum famis, sitis, saturitatis, ieiunii. — 21: לְנָד *commiserantem* GSH'AΣ. — 23: T וְשַׁלְמֵיהֶם *et pacifica eorum*, quod parallelismo commendatur; ceterorum, GSH'AΣΘ, lectio וּלְשַׁלּוּמִים explicari potest: *et* mensa illa fiat, *in retributionem* pro sceleribus eorum, *illis in decipulam.* — 27: Lege כִּי אֶת־אֲשֶׁר וגו. — Pro יִסְפְּרוּ *narrant*, legunt GS *addiderunt*, i. e. יִסְפְּחוּ (cf. 1 Sam. 2, 36) vel יִסְפּוּ

(cf. Nm. 32, 14) vel יִסְפּוּ. — 33: Melius legitur imperative רְאוּ ... וְיִשְׂמְחוּ, cf. G. 36: Lege וְיָשְׁבוּ שָׁם §.

70 (B: 5, [9, 6, 10. 5.] 4.).

71 (B). — 1–3: Psaltes ps. 31, 1–4 in mente habet et imitatur, pro suo libitu verba paulum varians. — 6: Σ, 1 cod. תַּחַלְתִּי. — 21: G צִדְקָתְךָ.

72 (A). — 1: GSH מִשְׁפָּטֶךָ. — 5: G יַאֲרִיךְ (sc. יָמִים). — 7: GSH צֶדֶק. — 9: Recentes plerique postulant צָרָיו (צִיִּים vox incertae significationis, G'AΣ Aethiopes, S *insulae* [איים], T *provinciae*). — 14 s: Versus aliter dividimus §, et pro וְיִחִי · וְיִתֵּן *et vivat! et det* scribimus וְיִחְיוּ יִתֵּן *ut vivant. Dabit.* — 17: G§ כָּל־מִשְׁפְּחוֹת הָאֲרֵץ.

73 (B). — 1: Cf. Adnotanda. — 4: Pro לְמוֹתָם *morti eorum* recentes legunt לָמוֹ תָם *iis; integrum.* — 10: GSH עַמִּי; malumus active legere יִמְצוּ לָמוֹ *sorbent sibi.* — 15: Legendum censemus כְּמוֹ־הֵנָּה ut haec = his similia. — 28: G§ בְּשַׁעֲרֵי בַת־צִיּוֹן.

74 (A). — 5: Propter contextum sententiae et difficultatem lectionis mas. יִוָּדַע pronum est legere יִגָּדַע *caedeba(n)t*, vel Piel. — 8: Melius legitur שִׂרְפוּ (cf. LXX). — 14: Pro miro מַ֫ לְעַם לְצִיִּים *ut escam populo, feris deserti* possetne legi מַאֲכַל לְעַם לְצִיִּים *ut escam faucium earum feris deserti* (לַע fauces Prv. 23, 2). — 19: GTH לְחַיּוֹת. — GS legunt נֶפֶשׁ תּוֹדֶךָ *animam confitentem tibi.* — 20: GS לְבִרִיתֶךָ (ךָ, sequente כ, omissum). — 23: מְנִי vix usuvenit nisi ante syllabam tonicam; eratne primitus scriptum מְנִין נָבָל cf. notam ad נִינָם, v. 8) vel מְגוֹי נ׳ ? (v. 18).

75 (A). — 2: Sequimur lectiones GS; praesertim pro TM וקרוב שמך *et prope est nomen tuum* adoptamus וְקָרוֹא] בְשִׁמְךָ (*et proclamamus nomen t.*). — 6: G legebat בַּצּוּר *adversus Petram*, Deum. — 7: Cum compluribus codd. et editionibus (cf. Baer, Ginsburg in h. l.) legimus מִמִּדְבָּר (st. absol.!), hinc הָרִים explicari potest ut inf. Hifil verbi רום *exaltatio* (frt. legendus est infin. absolutus). — 10: Pro TM אַגִּיד *annuntiabo* GS habent אָגִיל *iubilabo.*

76 (A). — 4: Lege vel scribe שָׁם. — 7: GS נִרְדְּמוּ רִכְבֵי־סוּם. 11: G תְּחִנְּתִי (a חנן) sensu apto et parallelismo commendatur. — 12: Probabiliter legendum לְנוֹרָא.

77 (B). — 7: GS הָגִיתִי (pro נגיעתי). — 11: SHT'AΘ חֲלוֹתִי (inf. vb. חלה infirmum esse).

78 (A). — 48: Σ et 1 cod. hebr. לַדֶּבֶר; recte, ut videtur. — 60: GST שָׁכַן. — 69: Probr legendum כַּמְּרוֹמִים.

79 (B). — 7: V. l. codd. אָכְלוּ (cf. Ier. 10, 25). — 10: הַם־עִבְרֵיךָ rhythmo commendatur. — 11: MGH הוֹתֵר *fac reliquos (superstites)*, ST הַתֵּר *exsolve.*

80 (B). — 7: GSH לָנוּ. — 16: Lege וְכִנָּה (imper. emphat. verbi כנן [= arab. *kánna* texit, sab. protexit]), cfr. G κατάρτισαι. De verbis ultimi stichi cf. Adnotanda.

81 (B). — 8: GS קראתני. — 17: TM inconcinne *cibaret-saturarem*; GSH *cibaret-saturaret.*

82 (A: 6, 5, 6. 5. 8, 6, 6. 8.) — 3: GS§ יָתוֹם וָדָל.

83 (B). — 6: Probabiliter legendum לֵב אֶחָד (1 Par. 12, 39). — 18: Vetus latina add. לְעוֹלָם.

84 (B: 4, [11, 10.] 5. 5, 9, 6. 8. 6, [11, 12.] 5.) — 3 s.: De transpositione vocabulorum מלכי יאלהי § cf. Biblica 5 (1924) 173 ss.

85 (A). — 9: Cf. Adnotanda. In versione supponimus וְאֶל־יָשׁוּבוּ לוֹ כְּסִלָּה. — 14: Recentes aliquid legunt וַיָּשַׁע *et Salus* pro וַיָּשֶׂם *et animadvertet.*

86 (B). — 11: GSH וַאֲהַלֵּלְךָ. GS יַחַד *laetetur.* — יַחֵד H *unicum fac* cor meum, 'A μονάχωσον, Σ ἕνωσον. — 16: G (cod. R, psalteria rom. moz. copt. aeth. arm. georg.) S§ עֹז תְּנָה.

87 (A: 9, 4, 9. [6, 6.] 4.).

88 (B). — 1: Prima vocabula: " *Canticum. Psalmus. Filiorum Core.* „, probabiliter sunt casualis repetitio tituli psalmi praecedentis. Iis retentis hic psalmus 88 duobus diversis auctoribus ascriberetur. — 2: GHS יוֹמָם (haplographia). Recentes porro legere malunt (supposita dittographia) אֱלֹהֵי שִׁוְעָתִי; quo parallelismus fit melior. — 8: Pro obscuro עֻנִּיתָ legere malim אֻנִּיתָ. — GS§ add. עָלַי. — 16: Pro obscuro אָפוּגָה praestat legere וָאָפוּגָה *et elangui.* — 19: Lege מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ unica *socia familiaris mea est caligo* vel מ' מַחְשָׁךְ (codd. v. l.) ... *seclusio* i. e. solitudo. SH legere malebant מְיֻדָּעִים חָשָׁךְ *notos meos* [*a me*] *detinuit*; sed TM est conclusio multo fortior).

89 (A). — 3: GSH אָמַרְתָּ. — 3: עוֹלָם חֶסֶד vel 1) aeterna aera (ע), quae tota sit gratia, *perpetua aera plena gratiae* (de appositione cfr. Joüon, Gramm. § 131 *c. e.*; Ges.-Kautzsch § 131 *c*; Driver, Hebrew Tenses § 187 sq.); posset etiam legi st. cstr. עוֹלַם ח'; vel 2) *in aeternum gratia* aedificabitur, fundabitur. — 89, 3 *b*: תָּכֵן vel תָּכִין H. *stabilies, confirmabis* fidem t.: quae Nathan Davidi promisit, ea Deus opere et veritate confirmabit; vel תִּכֹּן GΣ *confirmabitur* vel *confirmetur* fides t. in caelis: eodem sensu: vel תְּכֵן (imper. Pi. vb. תכן) *stabili, confirma* f. t. — 89, 8: GS וְנוֹרָא רַב. — 17: Placet propter meliorem parallelismum recentiorum coniectura יִרַנְּנוּ *iubilent* (pro יָרוּמוּ), et 18: עֻזֵּנוּ. — 20: Aptae divisionis stichorum causa legendum videtur ותאמר לחסידיך. — Sunt qui pro עֵזֶר (*auxilium*) legi velint נֵזֶר (*diadema*) At displicet h. l. iam de diademate (multis annis postea dato) agi; recte primum commemoratur *auxilium* Davidi adulescenti contra Goliath concessum. — בָּחוּר ‖ גִּבּוֹר: parallelismus suadet ב' esse *iuvenem* (non *electum*). 38 *b* (cf. Adnotanda). Nonne pro וְעֵד primitus scriptum erat וְעָמַד ' *et manebit* in caelo firma' sc. luna? cf. Σ ὡς ἡ μήνη ἑδραία [יִכּוֹן] αἰωνίως [לְעוֹלָם] μένει [עמד]. — 45: Pro מִטַּהֲרוֹ recentes vel מַטֵּהוּ vel מַטֵּה יָדוֹ abrogasti *sceptrum* (*manus*) *eius* legere malunt. — 48: Pro זְכָר־אֲנִי SH זָכַרְנִי; 1 cod. זְכָר־נָא.

51 : Parallelismo commendatur עַבְדְּךָ (permulti codd. hebr., ST, versiones arm. georg.). — 51 : Pro כִּלֵּי, collatis locis Ez. 34, 29 ; 36, 6 al. et ratione habita parallelismi legendum videtur כִּלְמַת §; H *omnes iniquitates populorum.*

90 (B). — 3 : Cum G אֵל ad v. 3 trahimus; אַל lege. (TMSH אֵל). — 15 : Cum SH עלינו ומעשה ידינו כוננהו vel כִּשְׁנוֹת וּשְׁנוֹת legendum censemus. — 17 : Verba secundo repetita videntur esse dittographia ; in compluribus codd. hebraicis et graecis et Itala semel tantum ponuntur. §

91 (A). — 1 : S, v. l. codd. hebr. § וּבְצֵל. — אמר pro varia vv. 1 s. constructione legi potest אֹמַר *dico*, אָמַר *dixit*, אֹמֵר *dicens*, *dicit*, אֹמֵר *dic.* — 9 : TM in primo sticho aliqua correctione indigere, satis patet Sufficit scribere מַחְסִי et vertere : *si tu* es talis *cuius refugium est Iahve* (Joüon § 156 *b*), et ulterior mutatio non requiritur. Posset insuper pro אַתָּה scribi שַׂתָּה vel אוּיתָ (si *posuisti*, vel *adoptasti* Iahve refugium tuum). Sin retinetur מַחְסִי, antea secundum recentiores scribendum est אָמַרְתָּ (quia *dixisti :* Iahve est rfg. m.).

92 (A). — 4 : Pro עָלַי cum recentibus nonnullis legimus ter עָלֵי. § — Versus 9 nec ipse solus ut versus integer considerari (utpote brevior, 3 ictuum) nec cum versu 8 vel 10 copulari (fierent nimis longi) potest. Nos eum habemus pro tertio sticho versus 6, casu falsum in locum translato. Cfr. Biblica 5 [1924] 173 ss. — 11 : בלתי fortasse ut Passivum Qal (Joüon § 58) legendum est בְּלוֹתִי (?) *superfusus sum ;* ST בַּלַּתְנִי *superfudisti me.* — 12 : Legendum videtur בְּשׁוֹרְרִי (5, 9).

93 (B : 7, 8. 6, 5. 6, 7.) — 4 : Nonnulli recentes apte legunt אַדִּיר מִמִּשְׁבְּרֵי־יָם *magnificentior aestubus maris.*

94 (A). — 1 : Lege imperative הוֹפִיעָה (in pausa) vel הוֹפִיעָה. — 19 : G§ praemittit יהוה.

95 (B : 6, 5. 6, 5. 6, [8, 9.] 5. 8, 6, 5. 7.) — 10 : GS§ לַהֲוֹר הַזֶּה.

96 (A). — 10 : GSH תְּכִין. — 13 : S et multi codd. hebr. § omittunt כי בא 2.

97 (A). — 10 : Apte legitur אֹהֵב et שֹׂנְאֵי ; haec est simplicissima textus inconcinni correctio. — 11 : GSTH וְזָרַח.

98 (B : 6, 5. 7, 11, 6. 10. 9, 10.) — 5 : SH (v. l.) et multi codd. hebr. omittunt alterum בְּכִנּוֹר. §

99 (B : 8, 11, 9, 7, 9. 8. 10. 8.)

100 (B : 9, 10. 8, 7.) — 3 : Nonnulli codd. hebr. יהוה הוא האלהים, G Κύριος αὐτός ἐστιν « ὁ » Θεός = Iahve est unus verus Deus. § — Qerê, HT וְלוֹ.

101 (B : 9, 7, 8. 6. 10, 7, 8. 9.) — 5 : Suspicor legendum וְרַהַב לֵבָב *et superbum corde.*

102 (A). — 4 : GTH, v. l. codd. hebr. בְּעָשָׂן. — 8 : Fortasse legendum (pro וְאֶהְיֶה vel וְאֶהֱמֶה (nam nec solum *vigilo*, nec *vigilo et sum* sonat ut stichus completus).

103 (A). — 11 : Post גְּנֻבָּה exspectatur גָּבָה (et cf. 36, 3 ; 57, 11).

104 (B). — 5: Lege יִכֹּר et 19: עָשָׂה. — 6: Lege כִּפִּיתָהּ. — 14: Legendum videtur לַעֲבֹדַת (Ehrlich) idque explicandum de pecore hominibus serviente in agricultura. Ita totus v. 14 ad pabulum pecorum, 15 ad cibos hominum refertur. — 15: Constructio versus fit melior si legimus: *ad nitefaciendas facies* [progerminas] מִשְׁמָן *pinguia* seu *olea*. — 17: GSH om. אֲשֶׁר. — 19: Apte legitur Piel יִדַּע. — 22: Consentanee ad v. 20 lege iussivum Hifil תַּזְרֵחַ. — 26: Pro אֳנִיּוֹת *naves* legendumne אֲנָפוֹת ardeae? (Hontheim). At cf. hymnum aeg. Echnatonis huic ps. persimilem (Kittel, Psalmen[4] p. 452 ss.): post animalia memorantur *naves*, quae deo lucente fluvios permeent. — 28: G§ addit כֻּלָּם. — 29: תִּסֹּף legi posset ut iussivus Qal verbi כסף, i. e. תֵּסֶף et consequenter iussive תַּכְתֵּר.

105 (B). — 4: GS וְעוּזּוֹ *et corroboramini!* — 6: G עַבְדָּיו. — 22: GSH יְיַסֵּר. — 27: GSH'A שָׁם. — 28*a*: GS Sexta om. לֹא (vel cum recentibus lege וְלֹא־שָׁמְרוּ). — 39: G§ add. לָהֶם. — 40: GSH שְׁאֵלוּ.

106 (A). — 3: Lege עָשִׂי. — 7: Collatis 78, 17. 40. 56 lege עֶלְיוֹן pro עַל־יָם. — 27: S וְלָהֶפִיץ (cf. Ez. 20, 23). — 29: GSH (cod. Amiat.) § וַיַּכְעִיסוּהוּ, — 32: GS§ וַיַּקְצִיפוּהוּ. — 33: GS§ הֵמֵרוּ (Ehrlich). — 39: Melius Hitpael וַיִּטַּמְּאוּ *et se inquinaverunt* (mtr.).

107 (B). — 3: Lege וּמִיָּמִין. — 20: GSH§ וַיִּרְפָּאֵם et וַיְמַלֵּט. — 29: S§ גַּלֵּי הַיָּם.

108 (B: 6, 5. 5, 6. R. 6, 7. 8, 7. 7. 6. 6, 5.)

109 (B). — 1: Mos in primo psalmi precatorii versu ponendi nomen Iahve frt. exigit ut legatur יהוה אלהי תהלתי §. — 2: Lege cum recentibus § כִּי פִי־רֶשַׁע *os impietatis* (ac doli). — 109, 13: G אֶחָד; GH שְׁמוֹ. — 15: G (cod. A al.) וְזִכְרוֹ. — 21: Lege כְּטוּב vel כִּיטּוֹב (inf. Q. יטב). — 28: G קָמַי יֵבֹשׁוּ *adversarii mei* confundantur; MH קָמוֹ וְיֵבֹשׁוּ propter metrum praeplacat.

110 (A: 4, 4. 7, 8, 8. 5, 7. 5.).

111–118 sunt septem psalmi (quia 114 et 115 unum carmen constituunt). Septem הַלְלוּיָהּ textus hebraici in initio horum septem psalmorum ponenda videntur (in textu mas. הללויה psalmorum 114–118 psalmi antecedentis fini adnexa sunt).

111 (A: 6, 6. 6, 5, 5. [7, 7.] 6. 9, 9.) — 10: GSH§ עֹשֵׂיהֶ.

112 (B: 6, 7. 5, 6. 6, 5. 7, 6. 10, 9.)

113 (B symmetr.; primus versus ab ultimo, secundus a penultimo 1 ictu differt: 6, 10, 9, 8. 11. 5.) — 9: G§ (μητέρα τέκνων) אֵם בָּנִים.

114–115 (A). — 114, 7: Legendum videtur aut אֱלֹהֵי (recentes), aut אֱלוֹהּ ut status abs.; itaque = *adveniente Deo* contremisce, *o Iacob!* (= o Israel!) §. — 115, 9: GS§ בֵּית יִשְׂרָאֵל. — 9–11: GSH בָּטַח et בְּטָחוּ. — 12: GS§ יְבָרֵךְ vel וַיְבָרֵכְנוּ.

116 (A). — 1: S בְּיוֹם אֶקְרָא (vel lege בְּיָמַי א׳). — 3: Legendum videtur חֶבְלֵי et מְצָרֵי. — 8: GH חִלַּץ אֶת־ (pro חִלַּצְתָּ. — Versus 14 abest in nonnullis codd. hebr., in optimis codd. graecis, in Itala, in psalteriis rom. mediol. corb.

mozar., porro apud Origenem, in Apollinaris Laodiceni versione metrica, apud Athanasium, in Ps.-Hieronymi breviario in psalmos, apud Cassiodorum, Cyprianum, Augustinum, Prosperum, in aliquo cod. copt. Metrica et strophica ratio suadent, ut versus omittatur. Insertio versus eo explicari potest quod oculus scribae a vocabulis ובשם יהוה אקרא versus 13 ad eadem vocabula versus 17 aberravit et scribere coepit quae in hoc posteriore loco sequuntur. — 116, 15: Pro הַמָּוְתָה לַחֲסִידָיו nobis videtur, vocabulis aliter divisis, commode legi posse הַמָּוֶת הַלַּחֲסִידָיו *mors sitne piis eius* [immittenda], vel etiam (ut 94, 10 TM cum duobus הַ interrogativis) הֲמָוֶת הַלַּחֲסִידָיו. Sensus, utcunque legis, est: gravis est in oculis Domini quaestio, sitne permittendum ut pius Dei servus pereat, aliis verbis: Deus cum singulari providentia vitae mortique piorum prospicit. — 116, 16: GS וּבֶן־.

117 (A). — 1: Quia vox אֻמָּה secus in poësi non occurrit et eius pluralis est אֻמּוֹת, legendum videtur כָּל־לְאֻמִּים vel כָּל־עַמִּים.

118 (B). — 13: GSH הֲחִיתִי (Qal pass.) vel נִדְחֵיתִי. — 21: G v. l. (cod. R, Itala. Ps. mozarab. copt. aeth. arm.) § add. יהוה.

Ps. 119: Quomodo a regula, quam primitus psalmi auctor sibi praestituisse videtur — scilicet usurpandi in singulis strophis illa octo nomina Legis in Praenotandis ad hunc psalmum enumerata — in textu nobis tradito recedatur, in Adnotandis indicatum est. Accuratius de hac re tractarunt Biblica 4 [1923] 375–80.

Singulae strophae suam formam metricam habent, non omnes eandem: schema B habent strophae כ, ל, ע, ר, ת; schema C strophae ג, ש; schema A omnes reliquae strophae, excepta א, quae omnes versus habet aequales.

Alia forte corrigenda: V. 9: GSH דְּבָרְךָ sine כְּ praefixo. — 14 *b*: S§ מֵעַל *magis quam de* .... — 22 *a*: GSH גֹּל (imperativus verbi גלל). — 30: S אִוִּיתִי *elegi, adoptavi* (cf. 132, 13 s). — 41: GH legunt in singulari חַסְדֶּךָ. — 42: GSH חֹרְפִי. — 43: Fortasse legendum est תַּאְצִיל; neohebr. הֶאֱצִיל *seposuit, seiunxit, semovit; beseitigen: to put aside, to take away* (ab אֶצֶל *Seite:* Perles). — 49: GS דְּבָרְךָ. — 51: S אִלְצוּנִי (cf. vero Adnotanda. — 67: GS§ טֶרֶם אֶעֱנֶה *priusquam humiliarer.* — 78: GSH וַאֲנִי. — 82: S§ omittit לֵאמֹר. Ac vix de oculis apte dicitur "*dicentes*". Fortasse לאמר est incepta (ac dein abrupta, nec deleta) dittographia vocabuli praecedentis (לאמרתך). — 88: G legit pluralem עֵדוֹת. — 90: Lege אֱמֻנָתְךָ (pro אֱמוּנָתְךָ). — 91: Ad עמדו subiectum probabiliter in hoc versu quaerendum est, non in praecedentibus. In hoc psalmo enim universim unusquisque versus integra et completa sententia est. Ideo ad היום supplendum censemus והלילה. § — 98: G (cod. ART) H מִצְוָתְךָ. — 103: GST אִמְרָתֶיךָ. — 118: GSH legisse videntur תַּרְמִיתָם *cogitatio eorum*, τὸ ἔνθυμα αὐτῶν. Hoc nomen esset derivatum verbi דִּמָּה *cogitavit* (cf. 48, 10 et ad 4, 5); cf. nomina eiusdem formae תַּכְלִית, תַּבְלִית, תַּעֲנִית, תַּרְמִית a verbis בָּלָה, כָּלָה, עָנָה, רָמָה. — 119: SH'AΣ

חִשַּׁבְתָּ (G חִשַּׁבְתִּי). — 128: Legimus עַל־כָּל־פִּקּוּדֶיךָ יִשַּׁרְתִּי, cf. SH. (עַל־כֵּן videtur esse fortuita repetitio initii versus praecedentis; item certo est unum כל delendum). — 137: G (cod. אRT) H מִשְׁפָּטֶיךָ. — 139: S§ קְנָאָה *zelus*; MH *zelus meus*, G (cod. AT) *zelus tuus* i. e. zelus pro te, G (cod. א, psalt. rom.) *zelus domus tuae*. — 150: Lege רָדְפֵי GSH. — 172: Ne 2 nomina legis in 1 versu sint, scribe אֲמוּנָתֶךָ (pro אִמְרָתְךָ, quod iam in v. 170 occurrit; cfr. casum contrarium in v. 90). — Metri causa legendum esset 146 קָרָאתִי (G, cod. R), 156 רַבִּים מְאֹד G (cod. א^{c} ART, psalt. rom., Hilar. Ambr., copt.), 167 וָאֶאֱהָבֵם (cf. אֶהֱבָה Prv. 8, 17, יֶאֱהָבֶךָ 9, 8), 174 כִּי תוֹרָתְךָ.

120 (B: 7, 10, 8. 9.) — 2: GS מִשְׁפָּטֶיךָ, cfr. 12, 4; 31, 19. Prv. 10, 18 (mtr). — 6: GSH, codd. שִׂנְאִי.

121 (B: 7, 6. 5, 6. 6, 5. 5, 6.)

122 (B: 4, 5. 5, 8, 6. [5, 4] 9.) — 1: G (codd. *ART*) TH (cod Am.), nonn. codd. hebr. om. לדוד. — 9: אֱלֹהַי *Dei mei* (|| fratres meos), quod in codice graeco habetur, rhythmo melius conveniret.

123 (C: R, 9 6 6 9).

124 (A: 10, 10. 9, 6, 9. 6.) — 1: G (codd. *ART*) H (cod. Am.), nonn. codd. hebr. om. לדוד.

125 (B: 7, 8. 7, 6. 5, 6.) — 3: GS הֶרְשָׁע (mtr).

126 (A: 5, 5. 6, 6. 5, 4, 5. 4.) — 1: Pro שִׁבַּת (hapax leg., minus probabile) legamus שְׁבוּת.

127 (A: 6, 6. 7, 4, 6, 4. 7. 6.) — 1: G (codd. א *AT*) non habet לִשְׁלֹמֹה. — 2: שָׁנָה legendum. — 3: נחלתי hic arabico *niḥlah* 'donum' (a *náḥala* 'donavit') correspondere videtur. — 5: Melius legitur hitpael כִּי יְדַבְּרוּ 'si inter se disputant' (mtr).

128 (B: 5, 4. 9, 5, 8. 6.)

129 (C: 8 6 6 5 5 6 6 8, si correctio versus 1 admittitur. Cfr. Adnotanda).

130 (B symmetr.: 48645795: (versus primus ab ultimo, secundus a penultimo, etc., 1 ictu differt). — 5: GS om. וְ ante לְדַבְּרוֹ. — 7: GSH יֵחֵל vel יוֹחֵל.

131 (B: 5, 6. 4, 5.) — 1 GTH (cod. Am.) om. לדוד.

132 (B). — 1: GSH עֲנוָתוֹ *curam, strenuam sollicitudinem eius*, vel *humilitatem eius*. — 9: v. l. codd., G (cod. A) add. רַנֵּן. — 10: Cfr. Adnotanda et 2 Par. 6, 42 (Zenner ZfkTh 1896 p. 383). — 15: Pro צֵידָהּ quibusdam videtur legendum צִיּוֹן. — 16 *b*: S *et sanctos eius iubilo*. — 18: GHS נְוֵי.

133 (B: 5, 9, 4. 8.) — 1: לדוד om. G (cod. *T*) TH (Am.), codd. nonn. — 2: Lege vel כְּשֶׁמֶן־הַטּוֹב *k.šemn hatṭôb* (cf. 2 Rg. 20, 13. Ct. 7, 10. Joüon § 138 *c*) vel cum GS omitte הַטּוֹב. §

134 (B: 5, 4. 5, 6.) — 1: G Vg§ add. בְּחַצְרוֹת בֵּית אֱלֹהֵינוּ.

135 (A). — 7: Lege מוֹצִיא. — 20 GSH§ בֵּית־לֶוִי.

136 (B: 9, 10. 11, 12. 10, 9. 12, 11.) — 9: Ut in 8 lege מֻטְשָׁלֶת.

137 (B: 7, 6. 11, 10. 11, 10. 7, 6.)

138 (A: 5, 8, 8. 7, 5. 7. 9, 9.) — 1: GSTH§ add. יהוה. — 2: GSH§ שֵׁם (pro שִׁמְךָ). — 3: Legendum frt. תַּרְכֵּבְנִי GS, vel תַּרְהִבֵנִי. — 4: G§ add. כָּל־².

139 (B). — 11: Pro יְשׁוּפֵנִי coniectant יְעוּפֵנִי *me obtenebret* (cf. תְּעוּפָה), יְשַׁכֵּנִי *me tegat*, alia. — 14: Legimus יְדַעְתָּ; cfr. Adnotanda. — 15*a*: Tam numerus versuum in strophas ex aequo distribuendus quam ratio metri suadet ut ad v. 1 stichus addatur et alicui versui tertiae strophae stichus dematur. Proponimus ut stichus 15a versui primo adiungatur. Potuit, psalmo in duobus columnis scripto, casu omissus in margine intermedio scribi et dein alteri columnae accenseri, invitante nomine עצמי (praesertim si legebatur עַצְמִי = *os meum, ossa mea*), quia in v. 15 sq. mirabilis corpusculi infantilis in utero matris formatio describitur. — 20: Pro difficili יֹמְרוּךָ legimus יַמְרוּךָ *rebellant contra te.* Cum H (*elati sunt*) legimus נִשְּׂאוּ. — 21: Sine dubio legendum est וּבְמִתְקוֹמְמֶיךָ. — 24: M דֶּרֶךְ עֹצֶב *via dolores-afferens* s. ad dolores ducens; melius H§ דֶּרֶךְ עָצָב, quod Hieronymus vertit *via idoli* (unde in codd. v. l. *via doli*), nos vero (collato arabico *ġâḍab* 'ira, ira Dei') censemus significare posse *via irae* s. *ad iram*, sc. irâ Dei digna; cfr. Prov. 15, 1 דבר עצב verbum iracundum, opp. מענה רך responsum lene.

140 (A). — 11: S יִפְלוֹן, GH תַּפְלִים.

141 (B: 6, 7. 7, [11, 12] 6. 7, 8. 5, 6.) — 3: נִצְרָה hic nomen esse videtur (= שָׁמְרָה), non verbum. — 9: GSH וּמְבַקְשׁוֹת.

142 (B: 6, 9, 5. 10. 9, 10. 6, 5.) — 5: Legimus inf. abs. הַבֵּט et רָאֹה.

143 (A: 11, 7, 11. 7. 9, 6, 11, 11. 6. 9. 8, 8.) — 9: G חָכִיתִי κατέφυγον. Sed quia praecedit אֶל, probabile est primitus scriptum fuisse חִכִּיתִי *operior, exspecto*, vel כִּכַּלְתִּי (Perles) spes mea. — 10: Pro בארץ lege cum S et nonn. codd. בְּאֹרַח vel בְּדֶרֶךְ.

144 (A). — 1: G§ לְקָרֵב, לְמִלְחָמָה sine articulo. — 2: SH'A עַמִּים. — וּמְפַלְּטִי. — 11: Legi potest historice פָּצַנִי וְהִצִּילַנִי (Joüon § 120). — 12: An forte legendum est אַשְׁרֵי et vertendum: "*O* [*nos*] *beatos, quorum filii sunt etc.!*„?

145 (B). — 7: G§ וּבְצִדְקָתְךָ. — 5: GS יְדַבְּרוּ. — 12: H TM potentiam *eius*, regni *eius*; GS potentiam *tuam*, regni *tui*. — 14: Versum נ habent GS. — 16: GS§ פּוֹתֵחַ אַתָּה אֶת־.

146 (A: 9, 6, 9. [12, 8, 12. 8.] 6.) — 3: GS§ וּבְכֶל־.

147 (A). — 8: Ultimum stichum G habet (cf. 104, 14). — 17: Pro מִי יַעֲמֹד *quis sustinebit?* legendum videtur מַיִם יַעֲמְדוּ *aquae stant*; cf. suffixum ־ם in v. 18 (וַיְמַסֵּם), quod nomen plurale praerequirit. — 20: GSH וּמִשְׁפָּטָיו בַּל־יוֹדִיעֵם (mtr).

148 (A). — 5: GS§ addunt הוּא אָמַר וְהָיָה.

149 (A). — 2: GS§ וּבְנֵי.

150 (A: 6, 6. 9, 9.) — 1 VgSH§ הַלְלוּ אֶת־יהוה.

Canticum Trium Puerorum. — Versus 67. 68 omissi sunt in cod. B, in versione Vetere Latina et Syriaca. Revera *frigus* et *aestus*, *rores* et *nives*, quae hic ad laudem Dei evocantur, iam in vv. 64. 66. 69. 70 nominata sunt; bis eadem evocari probabile non est.

Canticum Davidis. 1 Chr. 29, 11 cum H lege וּבָאָרֶץ לְךָ וְלָךְ (haplographia).

Canticum Isaiae. (A: 5, 7, 7. 5. 7, 8, 7. 8.) — 1: GSH וַתְּנַחֲמֵנִי שָׁב ···.

Canticum Tobiae: — **13**, 5: cod. B habet bis ἡμᾶς, cod. א bis ὑμᾶς. — 6: στόματι cod. א, σώματι cod. B. — 7: cod. א et versiones it. arm. georg. καὶ ἡ ψυχή μου τὸν Βασιλέα τοῦ οὐρανοῦ scil. ὑψοῖ. — 18: Sic supplendum videtur: ὃς ὕψωσεν ἡμᾶς εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Canticum Ezechiae. Is. 38, 10–20. (A) — 11: Pro יה יה lege יהוה (recentes), pro חֶדֶל cum 8 codd. חֶלֶד. — 12 s.: Stichus frt. per dittographiam bis ponitur. — 16: Legimus לְכָל בָּהֶם (cf. Adnotanda). — TH, 1 cod. וְתַחֲיֵנִי.

Canticum Iudith. — 5: cod. א A, Vg ὄρια *fines* (cod. B ὄρη *montes*).

Canticum Annae. (A). — 1 *b*: GH בֵּאלֹהַי. — 9: SH בְּכֹחוֹ.

Canticum Exodi. (B: 8, 9. 6, 9, 5. 8. 8, 9. 12, [8, 7. 7, 8.] 9, 11. 10. 9, 8.) — 3: Sam. § יהיה איש גבור במלחמה Iahve est vir heros in bello.

Canticum Habacuc (Probabiliter B). — 2: GS תּוֹדַע. — 4: GSH וְנֶגְהוֹ. — 3, 6: וַיְמַדֵּד Poel radicis מוד (= arab. *mâda* être agité, balancé: concuti). — 9: GSH supponunt verbum cum suo inf. abs.; scribimus עָרֹה תָּעֳרֶה. — 11: GSH זְבֻלָה. — 13: Plerisque videtur vel אֶת־ omittendum vel pro secundo לִישׁע scribendum לְהוֹשִׁיעַ. At, quandoquidem in poësi saepe exsistit Piel pro Hiphil et iuxta Hiphil, nonne legi potest לְיַשַּׁע אֶת־מְ 'ad salvandum unctum suum'? Cfr. arab. *wâssa'a* (يَسَّع) et *áwsa'a* (أَوْسَعَ) 'rendre large, élargir etc.' — 16: Melius לַקּוֹל. — 17: G תְּפָרֶה. — 19: Lege לְנַצֵּחַ *ad canendum;* cfr. G τοῦ νικῆσαι, Syr. *et psallam*, Vg. *canentem*. Ut in Ps. 48 hic per metrum constat, vocabula finalia esse de textu carminis, nec esse (ut alii volunt) notam musicalem.

Canticum Ecclesiastici. (A). In ultimo versu G Vg legunt עוֹלָמִים.

Magnum Canticum Mosis: Dt. 32 (B). — (Sm = textus hebr. Samaritanorum). — 9: Sm GS§ addunt יִשְׂרָאֵל. — 13: Sm GS§ וַיְנִיקֵהוּ sine ו praefixo). — 15: SmS§ praemittunt וַיֹּאכַל יַעֲקֹב וַיִּשְׂבָּע. — 19: Pro וַיִּנָּאֵץ habet G וַיֶּקְנֶא, Vg. וַיִּאָנַף. — 32: G§ addit *palmes eorum*. — 35: Sm G לְיוֹם (pro לִי). — 36: Ne strophe antepenultima longior fiat, ultima brevior, 4 stichos transponendos censuimus. — V. 38: Sm GSTH וְיִהְיוּ *et sint*. — V. 43: GH *terram populi sui*, Sm ST *terram suam et populum* suum. Aptae constructionis causa alterutrum vocabulum, אַדְמָתוֹ vel עַמּוֹ, omittendum videtur §; possunt haec vocabula esse duae lectiones variantes ad optionem propositae.

Canticum BMV. (A: 7, 8, 8. 7. 10, 10.) Cf. ZfkTh. 1905 p. 754 ss.

O. A. M. D. G.

INDEX

PAG.

Prolegomena VI
§ 1. De libro Psalmorum VII
§ 2. De vulgati psalterii latini origine et indole VIII
§ 3. De carminum hebraicorum forma XIII
§ 4. De huius latinae psalmorum versionis propria ratione . . XVIII
Delectus bibliographiae XX
Explicatio scriptionis XXII
Psalmi 1–150 1
Appendix: Cantica Breviarii romani.
Dom.: Canticum trium puerorum (Dan. 3, 52–90) 261
Fer. 2: Canticum Davidis (1 Par. 29, 10–13) 263
Canticum Isaiae (Is. 12, 1–6) 264
Fer. 3: Canticum Tobiae (Tob. 13, 1–18) 265
Canticum Ezechiae (Is. 38, 10–20) 267
Fer. 4: Canticum Iudith (Idth. 16, 2–21) 269
Canticum Annae (1 Sam. 2, 1–10) 271
Fer. 5: Canticum Ieremiae (Ier. 31, 10–14) 273
Canticum Exodi (Ex. 15, 1–18) 273
Fer. 6: Canticum Isaiae (Is. 45, 11–25) 275
Canticum Habacuc (Hab. 3, 2–19) 278
Sabb.: Canticum Ecclesiastici (Sir. 36, 1–19) 281
Magnum canticum Mosis (Dt. 32, 1–43) 283
Breviarii cantica ex N. T.:
Canticum Beatae Mariae Virginis (Luc. 1, 46–55) . . . 288
Canticum Zachariae (Luc. 1, 68–79) 290
Canticum Simeonis (Luc. 2, 29–32) 292
Crisis textus hebraici 295

SMITHSONIAN
U.S. NATIONAL MUSEUM

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS1425.L2Z81928 C001
PSALTERIUM EX HEBRAEO LATINUM ROMAE
3 0311 00019 4071
WITHDRAWN

BS 28596
1425 Bible. O.T. Psalms.
.L2Z8 Latin. 1928
AUTHOR
1928 PSALTERIUM EX HEBRAEO
TITLE LATINUM

DATE DUE	BORROWER'S NAME

28596

3 0311 00019 4071